
ORATOR TERRÆ SANCTÆ, ET HVNGARIÆ; SEV SACRARVM PHILIPPICARVM, IN TVRCARVM BARBARIEM, ET IMPORTVNAS CHRISTIANORVM DISCORDIAS, NOTÆ.

Autore V. P. F. PHILIPPO BOSKHIERO
Cæſarimontano, Franciſcano.

AD S. D. N. PAVLVM V. PONT. MAX.

Hebr. 13.

Mementote vinctorum, tanquam ſimul vincti.



DVACI CATVACORVM
Apud PETRVM BORREMANS Bibliopolam iuratum
ſub ſigno Apoſtolorum Petri & Pauli. 1606.

Iudicium I. LIPSI de his Philippicis, ex literis ab illo datis ad virum Nobilem D. DANIELEM SVSIVM, Louanio pridie Kal. Decemb. 1604.

EGO *verò Bosquierum nostrum pridem vidi, & amplexus sum hominem amantem mei, & mihi amatum. Philippicas etiam gustaui: sed vt properabat, hoc tantùm. Ordinem & ingenium habent, & miram sæpè inuentionem. Vtinam fructus sequatur qnem destinat &c.*

SANCTISSIMO ET BEATISSIMO PATRI, ET D. N. PAVLO V. PONTIF. MAX.

F. PHILIPPVS BOSKHIERVS CAESARIMONTANVS, FRANCISCANVS.

ECCE *ego* ad te (Beatissime Pater) *mitto* Oratorem *meum*, *qui*, post adorata Beatorum pedum tuorum vestigia, & adfixa calceamentis pacis oscula, *preparabit*, spero, *viam ante faciem meam*, & fortia magis loquens quàm diserta, mentis apud te meæ, de rebus Terræ-Sanctæ atque Vngariæ, partim internuncios interpresque est futurus. *Admitte* (quæso) illum, & *nostras preces, intra sacrarium exauditionis*, *& reporta nobis antidotum reconciliationis. Fiat impetrabile, quod fidâ mente poscimus. accipe quod offerimus. re dona quod rogamus, excusa quod timemus*. Nàm profectò maximæ admirationi mòx futurum scio,

Malach. 3.

D. August. serm. 18. de Sanctis in med.

si non Sanctitati Tuæ, saltem & almæ matri vrbium Vrbi, & Orbi ipsi vniuerso, quòd ego homo non Patricius, merè priuatus, Ordine Minor, atque inter Minores minimus, ignotus pænè omnibus (vtinàm benè saltem mihi notus ac Deo!) tanquàm ex Regibus, maximísque Primoribus quispiam, etiàm Oratorem, & quidem de rebus sacri profaníque imperij maximis, ausim ad Pontificem Ecclesiæ Dei summum destinare, & hunc PAVLVM V. minimus scilicet ad Maximum. Vndè fraterculo illi, passim iactabitur (arbitror) vndè pulici huic viuo, vndè cani illi mortuo tantùm impudentię? Quid Minori illi cum Maximo? Imò verò, si quid tamen illi cum Pontifice Maximo, quæ tandem ista est homuli, priuatíque audacia, vt per Oratorem, & quasi legatum. veluti prodromum & præcursorem agat, non verò ipsus veniat in vrbem, & beatissimi Patris pedibus prouoluatur? Fateor ego libens hæc (Beatissime Pater) vniuersa. Attamen, quibus impugnari posse videor,

ijsdem,

ijſdem, ſi audior, ego defendor. Res & cauſa Chriſti eſt, pro quâ legatio hæc eſt inſtituta, opus arduum, quod iàm tot annos mente agitaui, pro quo tot mihi vigilatæ noctes, atque inſomnes ductæ, & quod crebris conſultationibus cùm viris magnis togatis ſagatíſque, cum Magiſtratibus, Epiſcopis, & in his, ſæpè ac diu cum Reuerendiſſimo Illuſtriſſimóque Epiſcopo Tricaricenſi Nuntio Apoſtolico Octauio (qui, vt pergerem, & hortator, & fautor fuit, & vt ad Pontificem communicata transſcriberem inſtigator) vltrò citróque habitis, hùc vſque tandem adduxi, vt extremam dumtaxat Sanctitatis Tuæ manum deſideret. Cauſæ autem Chriſti, ad Chriſti Sacrorum Proregem referendæ; Non igitur malè de rebus iſtis, per Oratorem, ad Paulum V. Chriſti in terris Vicarium & Procuratorem, perfero, cenſuram eius auxiliúmque implorãs. Neceſſitas profectò imperiosè mihi hoc præcepit, quæ volentes ducit, nolentes verò etiàm trahit. Quòd Ordi-

dine Minor, & in illo minimus, quòd priuatus facio, nemo vitio mihi æquus Iudex verterit: (est enim pientissima Terræ Sanctæ Christíque patrimonij, in quolibet solicitudo:) sed potiùs iure illos adcusauerit, qui cùm Magni aut sint, aut haberi velint, & publici currus temonem clauúmque teneant, boni (fateor) aurigæ, tamen suis nimium fortasse intenti, parum istam Christi causam procurant, imò forte *non recogitant corde*, certissimè futurum, vt si Christus hâc causâ cadat, omnibus sit casurus, & toto Christianismo, quàm latè patet, multandus. Gloria solicitorum, in confusione est negligentium. Benè optimè. At per Oratorem id ago, non ipsus venio beatis pedibus oscula adfixurus. Sed id reuerentiæ fuerit potiùs adscribendum, vt homuncionis vilitatem suam talem tantámque confitentis, vt Apostolicæ Maiestatis conspectu (vel senso ipsîus,) indignus sit; adde, etsi adparere sanè libuit, nondum licuisse; *homo enim sum, sub potestate constitutus; nec quod volo bonum, hoc ago*,
neque

neque cùm volo miles ſtationem deſe-
ro, ſed cùm Imperator. Vtinàm enim vtinàm, vti quondàm Chriſtus Petrũ, ſic Pro-Petrus *iubeat me venire ad ſe* vel per medias vndas! venirem profectò, adcurrerem, aduolarem adoraturus, & pleniùs, clariùs, tutiúſque, quod chartis, quod Oratori etiàm huic meo non totum credere volui, coràm & in aurem fidem retecturus. Et medius fidius, ad quem ex Pontificibus Maximis, de iſtis potius referam, aut cui primitias ſacri belli, Hungaricæque defenſionis artem dicem potius, quàm tibi (ô Paule) tùm quià Paulus es, tùm quià Quintus, tùm quià Romanus, tùm quià euidentiſſimè in hæc ipſa es propenſiſſimus? Quià tu Pontifex, oportuit; quià cætera, conſultiſſimum fuit. Primùm quià Paulus es, Pauli illîus ter maximi inſtar, qui gentium doctor ſpeciatim fuit, cuiúſque illa caritate ardentiſſimi vox fuit; *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* barbaricis Turcarum gentibus Chriſtum inuecturum

te ſperaui, & Chriſtianorum ſub Turcico iugo gementium & afflictiſſimorum, faciliùs miſerturum. Quià Paulus es, & velut Polus quidam, & *Paulus* ille *raptus in tertium cælum*, multos inde reuerſus, illuc mente, voto ac re ipsâ deduxit; etiàm tu vnus tot curuas in terras barbarorum animas, *mente polum transferre ſatages*. Quià Paulus es, & Pauli Paulæque tàm Ethnici quàm Chriſtiani, & à Paulo Paulini deducti, ferè maxima ſemper præſtitêre: Nàm, (vt Magnum illum Apoſtolum Paulum Sole notiorem prætercam, qui plus cæteris laborauit, & ſic præfuit quod profuit) Paulus ille Æmilius Macedonum olim regnum Regémque ipſum ſpatio dierum 15. cepit. Paulus III. Pontifex Romanus ſacrum illud Concilium Tridentinum, verum Moly morborum egerrimæ tunc Eccleſiæ, primus indixit: Paulus primus Anachoretiſmum, fælicem ſcilicet illam, beatorúmque cæli ciuium æmulam vitam, inſtituit: Paula matrona Romana, marito mor-

tuo,

tuo, facultates *dispersit*, *dedit pauperibus*, & Heroica multa, ac viris summis digna, (Hieronymo teste,) præstitit: Famosissimus ille Nolæ Episcopus, deducto à Paulo nomine, Paulinus adpellatus, opes omnes in captiuos redimendos profudit; profusis omnibus, pro viduæ filio captiuo & seruo, spontè seruijt durissimam seruitutem; Quià (inquam) post hos, Pauli quoque nomen inaugurandus vsurpâsti, mihi visus es, vel hoc ipso solo, polliceri, etiàm te maximè heroica ac diuina, post Paulos illos, (quorum egregia facta dormire Sanctitatem Tuam non sinunt magis, quàm Themistoclem olim trophæa Miltiadis) effecturum, & in mea planè vota consiliáque conspiraturum. An non etiàm, quià Quintus es, id debui? Quintos enim, Quintiósque videas etiàm magnos & ad magna natos fuisse, seu Quintum pro cognomine gentis ac familiæ (vt olim) seu pro numero virorum in aliqua dignitate cognomiorum vsurpemus. De Quintis, vt Psalm.

gentis

gentis cognomine, primum. Quintum Cincinnatum, (à quo tot Quinti & Quintij Romæ) quis neſciat, cum Dictator renunciatus eſſet, ruri ruſtico operi intentus, bello in Æquos gerendo, victos hoſtes, mirâ fælicitate, ſub iugum miſiſſe? Quintum Cæcilium Metellum, Achæorum ad Thermopylas fuiſſe victorem: Pſeudophilippum in poteſtatem redegiſſe, Macedoniam recepiſſe, vndè & illi Macedonici agnomentum? Quintnm Fabium illum verè Max. Ouiculam, prndentiâ & cunctatione opportunâ, Hannibalem Romanis armis ducibúſque anteà inuictum, viciſſe? An etiàm libet conſiderare numero & ordine Quintos? Illi Apocalypſis Angelo Quinto *data eſt clauis putei abyſſi, & aperuit puteum abyſſi.* ô clauem immenſæ poteſtatis, quâ tu quoqne non modò *cælum claudis aperis*, ſed & Infernum! Quinta generatio, apud Dominum ſancta iterum habetur atque in gratiam recipitur, poſt quartam ob peccata maiorum, maledictionibus agitatam.

T. Liuius lib. 3. decad. 1.

Apoc. 9.

tam. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Et (vt ait Hieronymus) *quià Ioram generi ſe miſcuerat impiiſſimæ Ieſabelis, idcircò vſque ad tertiam generationem eius memoria tollitur:* à Ioram ſcilicet, ad Oziam inde Quintum velut in gratiam receptum, redit genealogus Euangeliſta. In Pontificibus, quis Pio Quinto ſanctior? quis, victo ad Lepanthum Turcâ ipſius æuo atque auxilijs, fælicior? ne Clementes & Nicolaos Quintos commemorem. In Imperatoribus, quis Carolo illo Quinto, Flandriæ Gandauíque (in quâ ille vrbe natus) ſplendidiſſimo ornamento, maior, &, vt fert hæc vita, Regibus aliquot his deditis, his ſupplicibus, his captis, imò & Solymanno Turcarum tergemino Imperatore fugato, beatior?

Exod. 20.

Hieron. lib. 1. in Matth. post Hilarium canone 1. in Matth.

Carolo illo Quinto *non iuſtior alter, Nec pietate fuit, nec bello maior, & armis.* Te quoque (ô Beatiſſime Pater Paule) quià inter Pontifices Maxx. Quintus

Virgil. 1. Æneid.

es, ma-

es, maximè speraui, cùm hunc Oratorem ad te misi, tantæ molis opus, (quantæ esse scio, quod partim in mandatis habet ad te Orator hic meus, partim ego adhuc in pectore clausum gero) animo ingenti suscepturum, conaturum, perfecturum. Fallor? Nàm & Romanum etiàm te (Paule Quinte) audio. Romanus est Paulus Quintus? ergò ante alios nouit

Virgil. 6. Æneid.

pacisque imponere leges
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Romanus est Paulus Quintus? Ergò ad res, quæ ab Oratore meo ad ipsum perferuntur, perficiundas aptissimus. *Fortia agere, & pati, Romanum est*, aiebat Romanus ille Scæuola semiustus. O quam te memorem Roma, quæ talibus ex te, in te, tibique ortis ciuibus, potes vel sola, vel cum paucis gloriari!

Denique, cuius potui potiùs, Terræ-Sanctæ Hungariæque, dissidijs suis nostrísque pænè amissæ, opem patrociniúmque inclamare atque implorare, quam tuum (mi Pater beatissime) quem iàm huc spontè collimare, atque inten-

intendere, ex primis tuis ad populum Chriſtianum Iubilei literis intellexi, in quibus res Hungaricæ ità commendabantur, vt nihil pœnè magis, vt arma Turcica ab Hungariâ Dominus Deus, filiorum Eccleſiæ Catholicæ precibus expugnatus, propulſaret, pacem Hungarię in partes factionéſque exitioſiſſimas ſciſſę redderet, & quid non? quem theſauros Eccleſiæ binos aperuiſſe conſtat, ſacros profanóſque: ſacros, inquam, id eſt, illud inexhauſtum meritorum Chriſti ac Sanctorum ærarium: & profanos miſſis ſcilicet Imperatori, de Eccleſiæ ac Sedis Apoſtolicę patrimonio (ô quem, Deus bone, Paulum Eccleſiæ tuæ præfeciſti!) multis milibus aureorum, ſubpetijs ſubſidióque, in bellum cõtra Turcas Hungaricum, id eſt Sacrum? Ite nùnc igitur, ite, quicunque fraterculum, vt audacem inconſultúmque calumniamini, qui mittere auſit de rebus Terræ-Sanctæ & Hungariæ Oratorem, ad Pontif. Max. & hunc Paulum V. Quià enim is Pontifex & Max.

& Paulus, & Quintus, & Romanus, & huc propensus, hoc volui & debui, venturus aliquandò ipse profectò, vt illîus Pauli beatos pedes in terrâ lingam, atque vt cætera his maiora, & (vt sic dicam) Sacramentosiora, in fidam illius aurem effundam, si tamen mihi aut Superior meus regularis, aut Paulus ipse V. agens pro imperio ac plenitudine potestatis, ad se me vocet, quod votis nocturnis diurnisque pro rerum conceptarum magnitudine voueo, atque expecto. Dignare igitur (Sanctissime Pater) cum res cęterę tuę mole ingentes, multitudine innumerabiles, tantillum otij dabunt, vel audire hunc exilitatis meę Oratorem, vel non inuitus iutueri, vel admittere, si non vt Oratotem, saltem vt librum, more maiorum, Summo Pontifici ab homine Catholico dedicatum. Dederit sic Sanctitas tua vires in maiora illi, cuius *Ingenium*, *vultu*, *stâtque cadítque tuo*. Hâc spe, *flecto genua cordis mei* ad Deum, & hinc corporis mei ad Sanctitatem tuam: ad Deum, *vt sit* San-

ctitati

ctitati Tuæ semper *mens ſana in corpore ſano*, vt *intendas proſperè, procedas & regnes*; benè, vti cępiſti, ſeruis Dei ſeruiendo: Ad tuam Sanctitatem, libellum hunc ſubpliciter offerendo precabundus, ne oblatio mea aut *oratio fiat mihi in peccatum*. Pſalm. 44. Pſalm.

Datum in vrbe *Legiâ Eccleſiæ Romanæ filiâ* 1605. 14. Semptembr. ipſo Exaltationis S. Crucis, quę vtinàm iterum in Terrâ Sanctâ per Paulum V. exaltetur!


Feritas Turcarum in Christianis.
F. Waldor fecit.

ΣΕΒΑΣΜΙΩ ΤΕ ΚΑΙ ΕΛΛΟΓΙΜΩ
ἀνδρὶ Κυρίῳ Φιλίππῳ Βοσχιέρῳ
μαθητῇ ποτὲ φιλτάτῳ.

Ὡς ἱερὴ βουλὴ μάλα καὶ σωτήριός ἐστιν
Ἀνθρώποις, παλαιὸς δείκνυσι τοῦτο λόγος.
Εὖ συμβουλεύων τινι, τούτῳ χρήσιμός ἐστι
Μούνῳ. ὁ μὲν μεγάλην αὐτῷ ἔχει γε χάριν.
Ἀλλά συ τοὺς βασιλῆας ἐγείρων εἰς ὁμόνοιαν,
Καὶ πείθων τούρκοις πανστρατιῇ πολεμεῖν,
Χριστιανοῖς πᾶσιν σῇ βίβλῳ ὀνήσιμός ἐσσι.
Οὕνεκα ἀϊδίους οἴδασι σοι χάριτας.
Βάλλ' οὕτως, φέρε, μὴ παύου συγγράμμασι σοῖσι
Σύμφορος ὢν χριστῷ, χριστιανῶν τε γένει.

Φράγκισκος Καρίων Βρυγαῖος.

CATALOGVS
AVTORVM, NEC NON
PRÆCEPTORVM AVTORIS,

qui auctiores atque autoratiores Philippicas istas sacras reddiderunt.

Præceptores distinguit asteriscus, & character varius.

A*Do Viennensis.*

Adrianus Romanus theatro vrbium.

* Adrianus van VVassenhouen Collegij Houdani apud Montenses Rector meritiss.

Ælianus.

Æneas Syluius, qui posteà Pius 2. Pontif. Max.

Æsopus.

Æschines.

A. Gellius.

Alexander ab Alexand.

Achilles Tarduccius, Turcâ vincibili.

Alphonsus Rex Aragonum, epist.

Aloysius Armerius ep. ad Georgium.

Andreas à Lacunâ lib. de orig. Turc.

R. P. Antonius Gueuarra Franciscanus Hisp. Episcop. in Mondognedo, &c.

Anto-

Cyrillus.

Franciscus Hoyus amicus noster de Monarchiâ.

Franciscus Moschus Armentarianorum Curio, Iacobi Vitriaci restitutor, amicus ac Mecœnas meus præcipuus.

Franciscus Philelphus epist. ad Carolum 7. Francorum Regem.

R. P. Franciscus Titelmãnus Franciscanus.

Fulgosus.

G.

Ganifredus in prosopopæiâ & querelâ Crucis.

Genebrardus.

Georgius Agricola, oratione ad Ferdinandum Vngariæ & Bohemiæ Regem, &c.

Georgius Sabinus.

Gislenius Busbequius itinerarÿs suis, & consilio.

Gothefridus Bolionius epist.

* R.P. Gondisalnus S.Tho. Doctor Societ. Iesu Hispanus.

D. Gregorius Magnus.

D. Gregor. Nazianzenus.

Gulielmus Bellayus, oratione pro Ioanne Rege Vngariæ.

Gulielmus Bartassius, versione Lepanthi Iacobi vj. Angl. Regis.

Gulielmus Lindanus præfat. Apologet. ad Maximilianum Cæsarem.

Gulielmus Neubrigensis.

Gulielmus Paradinus hist. gallicâ nostri temporis.

Gulielmus Tyrius hist. belli sacri.

Dñ. Gulielmus Bosquier frater meus Phil. 11. Hispaniarum Regis Symphoniacus, colloquijs varijs.

H.

Haymo.

Hartmannus Scedel Doctor, Chronicis ingentibus.

Haythonus Armenius, hist. Orientali.

Hegesippus.

Herodotus.

Hesiodus.

* R.P. Henricus VVillotius Franciscanus Prouinciæ Flandriæ Minister, atque indè Custos, Theologus Parisiensis, meus in Theol. Scholasticâ institutor quadriennalis.

R. P. Henricus Sedulius Franciscanus comment. ad vitam D. Francisci.

D. Hieronymus.

Hyeronymus Cardanus, libris de Sapientiâ.

Hieronymus Turlerus I.V.D. ep. dedicatoriâ de migrationibus populorum.

Historia Scolastica.

Homerus.

Horatius.

Hugo Cardinalis.

I.

Iacobus Vitriacus. historiâ Orientali à D. Francisco Moscho meo restitutâ.

Iacobus VI. Scotiæ & Angliæ Rex Lepantho à Bartassio conuersa.

* Iacobus ..... Sacerdos Cameracẽsis.

* D. Iacobus Lessertot Burgundio S. Th. Doctor, colloquijs mecum familiaribus.

Iacobus Fontanus, libris de bello Rhodio.

Iacobus Philippus Bergomas, Supplemento Chronicorum.

Innocentius III. epistolis & decretis.

Ioachim Abbas comment. in Hieremiam.

Ioannes Baptista Mantuanus ad insuires, ad Reges & Principes Christianos, &c.

Ioannes Baptista Egnatius, libris exemplorũ.

Ioannes Becanus hist. gallicâ Magni Tamerlanis.

Ioannes Boëmus de moribus omnium gentium.

* M. Ioannes Bosquetius meus in alpha-

beticis

beticis cariſſimus magiſter.

Ioannes Criſpus Ægei maris Naxique Dux ep. ad Pontif. & Chriſtianos.

Ioannes Martinus Stella LL. *D. ep. ad fratres.*

Ioannes Cuſpinianus, de origine Turcorũ, &c.

Ioannes Etrobius comment. expeditionis Tunicea Caroli V. Imp.

Ioannes Raviſius Textor.

D. Ioannes Faber, oratione ad Henricum 8. Londini *dicta* 1528.

Ioannes Sturmius de bello Turcis inferendo.

Ioannes Geneſius Sepulneda, epiſt. ad Carolum V. Imp. de bello contra Turcas.

Ioannes Theodorus & Ioann. Iſraël de Bry fratres de geſtis Mahometis.

Ioannes Leunclauius, *hiſtoriâ* Muſulmanâ *Turcorum.*

* Ioannes Paludanus Collegij Houdani Montibus Hannoniæ Rector, item eius filius Synonymus.

Ioannes Stobæus.

* Ioannes Syluius Buſcoducenſis.

Ioannes Steph. Durantus de ritibus Eccleſ. Catholicæ.

Ioſephus.

Isocrates.

Iuuenalis.

L.

Lælius Zecchius Theol. & I.V.D. Politicis.

Lactantius.

Lazarus Soranxius de Ottomanno.

La Nouëus discursibus militaribus.

Leo primus.

Liber apophthegmatum Gallicorum.

Liber bipartitus consiliorum bellicorum in Turcas, à Proceribus varijs, in 4. ex officinâ Grosianâ.

Liber crudelitatum Angliæ in 4.

Liber epistolarum Procerum Mundi in 8.

Liber quinque-partibus epistolarum, in quibus consultationes de rebus Turcicis variæ, in 4. ex recensione Nicol. Reusneri, impressus Francofurti.

Liber Iocoseriorum Lat. Francofurti editus.

Libellus Nauis stultorum in 4.

*Libertus Houthemius Poëta Laureatus meus Ghislenopoli Præceptor.

Lucanus.

Ludouicus Viues libris de Concordiâ, & de vitâ Christianorum sub Turcâ, &c.

M.

Marcus

N.

O.

Origo

Origo Turcarum gall. incerto autore.

Otto de S. Blasio.

Ouidius Naso.

P.

Paulus Æmylius, hist. Francorum.

Paulus Iouius comment. rerum Turc. ad Carolum V. Imp.

Petrus Apollonius Collatius, libris 4. excidij Hierosolymitani versu heroico.

Petrus Aureolus Franciscanus, compendio, S. Scripturæ.

Petrus Crespetius Scholijs ad Catechismum Pij 2. ad Turc. Imperatorem.

* Petrus Procurator, Collegij Houdani Montibus Hannoniæ, Rector.

* Petrus Bacherius S. Theologiæ Doctor, & Montibus Hannoniæ quondam Th. professor pub. lib. de militiâ Christianâ, & lectionibus.

Petrus Comestor.

Petrus Crinitus, lib. de honestâ disciplinâ.

Philippus Cominæus, histor. Ludouici 11.

Philippus Lonicerus chronicis Turcorum.

Philippus Callimachus experiens, oratione de bello Turcis inferendo, ad Innoc. 8. Pontif.

Philippus Plessius, de veritate religionis

Christianæ.
Pierius Valerius, libris Hieroglyph.
Plato.
Platina.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Polybius.
Polydorus Virg. libris de inuentione.
Pomponius Mela.
Propertius.
Publius Mimograph.

Q.

Quintilianus.

R.

Robertus Bellarminus.
Robertus Monachus, hist.

S.

Sabellicus.
Sallustius.
Sebastianus Munsterus, Cosmographiâ.
Seneca vterque.
Seruius.
Sillius Italicus.
Simon Metaphr.
Simon Ogerius Audomarita amicus meus,

libro

libro ſymbolorum.

Simon Vallambertus Aualon.

Statius.

Sulpitius Seuerus, hiſt. ſacrâ.

Symphorianus Champerius Phyſicus Lugdu-*nenſis, varijs in Mahometum ſcriptis.*

T.

Terentius.

Theodoretus,

*R. P. Theodoricus Iaceanus Frãciſcanus, Prou. Flandriæ Cuſtos, indè Miniſter, meus in Theol. poſitiuâ Namurci Magiſter.

Theodorus Gaza, ep. de origine Turciorum ad Franciſcum Philelphum.

Thomas Aquinas.

Thomas Cantipratanus, lib. Apum.

Thomas Kempenſis, de imitatione Chriſti.

T. Liuius.

Thucydides.

V.

Valer. Maximus.

VVaremundus de Erenberg lib. meditamentorum pro fœderibus.

Varro.

Vbertus Foliætta ſeu Folietus, tract. de cauſis

magni-

ıgnitudinis Turcarum imperij. Idem de-
·ipsit libris 4. & sacrum fœdus, & victo-
ıam Lepanthinam.

etius de re militari.

gilius.

centius, spec. hist.

ianus.

sgāgus Drechslerus, chronico de Saracenorū
r Turcorum origine, & rebus gestis.

X.

enophon.

APOGRAPHVM LICENTIAE
Prælati.

Rater Andreas à Soto Ord. Minorum Reg Obs. super Prouincias Colonia, Argentina, Hibernia, Flandria, S. ndrea, atq; inf. Germania R.mi Patris Generalis F. Frā-sci à Sosâ, cum plenitudine potestatis Commiss. Generalis P. F. Phil. Boskiero Conuentus nostri Luxemburgensis uardiano salutem in Domino Iesu. Quandoquidem hacte-us non infœliciter ingenij tui fœtus in lucem edidisti, & dhuc totus in hoc es *(vt ait ille)* Condis & componis *ıulta alia, posteritati, vti speramus, profutura, cupisq; ehementer, vt, quæ ēdis, etiàm à nobis, ad Obedientiæ sa-utaris meritum, autorentur; nos pijs tuis conatibus im-ensiùs fauentes, tibi literis istis licentiam facimus prelo radendi, edendiq; vniuersa tua, dùm tamen etiàm Cen-ura legitimi librorum Censoris subieceris. Atque vt cum Obedientia merito id præstes, ità fieri hortor & vrgeo. Vale in Domino Iesu, quem mihi exora esse propitium.*

Datum

Datum in Conuentu nostro Gandensi 21. Iunij, 1602. sub sigillo meo familiari.

F. Andreas à Soto Commiss. Generalis.

ALIVD ALTERIVS.

F*Rater Ioannes Lambillon Ord. Minorũ Reg. Obseruãtiæ Prouinciæ Flãdriæ Minister & seruus, V.P.F. Philippo Bosquier Sacer. Præd. & Confess. salutẽ in Domino. Quandoquidem non expedit scribere quod occultari velis, ne intemperanter hoc sit abuti & otio & literis, neque infossum in terram talentum Domini abscondi culpá vacat, iàmq; pleraq; non infœliciter è scrinijs tuis Gallica Latinaq; in lucem emiseris, totusq; vel in castigandis, aut supplendis iàm editis, aut nouis condendis êdendisq; versaris, quod fœlix faustumq; sit gloriæ Dei, saluti populorum, & Ordinis Franciscani splendori, per me tibi licet cum Typographis agere, recudere vetera, noua êdere, postquàm scilicet censurâ Catholicâ fuerint autorata. Quin etiàm ad salutaris obedientiæ meritum, ista fieri hortor & instigo. Vale in Domino & ora pro me. Datum Leodij 1604. 19. Martij, ipso Iosephi Magni die, sub meo chirographo & officij mei sigillo maiori.*

Frater Ioannes Lambillon,
qui suprâ, manu propriâ.

SACRARVM HILIPPICARVM NOTÆ, EX

PSALMO 78. *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum &c.*

PHILIPPICÆ I. In die Aſcenſionis Domini, NOTÆ.

EXORDIVM.

ANTE HVNC Aſcenſionis diem, credibile quidem fuit (Auditores) Chriſtum eſſe Filium Dei, ex oraculis propheticis, teſtimonijs Ioannis Baptiſtæ, ex vocibus cœ- Aſcenſio teſtimonium Diuinitatis Chriſti,
apſis, ex operibus ipſiuſdem ſtupendis:
ıc autem oculis videtur, manu tangitur,
ſit credibile nimis, quandò is ſuapte vir-
e aſcendit in cœlum, ſeſſurus *ad dexteram*
ris, atque *indè venturus iudicare viuos &* *Apoſtol. Symbol.*
tuos.

ıgnoſcitur hodiè abundè tàm verus Deus Et veritatis,
;, quàm verus & verax homo fuiſſe, cùm

bipatentibus cœli portis, visus est palã, Cælo, tanquàm Regiâ suâ, recipi, cum iubilo cœlestis Curiæ sanè admirando.

Adscendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ. Psal.

Hodiè, nihilo minùs impletum illud est, cuius inuidiâ Lucifer cœlo exturbatus: Id est, natura humana hodiè angelicâ altiùs euecta est.

Et Angelorum perduellium cordolium,

Quamprimũ enim Angelos crearat Deus, ijsdem insinuarat, adfore tempus, quo creatura ipsis inferior, homo scilicet, ipsis longè anteferretur, adeò vt eidem ipsos Angelos subdi, ac velut Deo obedire oporteret, quæ omnia de Christo intelligi oportebat.

Qui reuelata exaltatione hominis in Christo, coniurati a Deo defecerunt,

Prædestinationi ergò illi Lucifer pro viribus iàm tùm resistere, quosdam è socijs ad defectionem solicitare, atque ad rebellionem armare, qui & ipsi coniurati quamprimùm ineluctabili illi Dei, de Christo, fato, quà potuêre, sunt reluctati.

Itan' scilicet (mussitabant illi) *impones homines super capita nostra?* Psalm.

Itáne, inuerso rerum ordine, grauia sursum, leuia deorsum cogentur?

Omnia naturæ præpostera legibus ibunt? Ouid. 1. Trist.

Itan, *Maior seruiet minori?*

—— *Manet altâ mente repostum*
Iudicium Paridis, spretæque iniuria formæ,
Et genus inuisũ, & rapti Ganymedis honores. Virgil. 1. Æneid.

Non

Non ità: nolumus hominem regnare super nos: sed *Ascendam super altitudinem nubium,* &, si non superior, certè par & *similis ero altissimo,* aiebat quisque ex perduellibus illis. *Isaiæ 14.*

Deus contrà, insolentes illos è Curiâ illâ pacis exturbare; exturbatis, Adamum, & qui ex illo, subplementum creare, hominem Angelo sufficere; hunc abdicare, illum cooptare. Cœloque à deo pulsi;

Neque sic quidem defectrix illa turba quieuit, sed rabere, sed tendere contra subiectos, tentare, fallere, perdere, chirographum decreti aduersus illos obtinere, vsucapione totum hominem tandem possidere; armis *Princeps huius mundi* fieri, dùm fortior superueniret. Hominem subiectum perdiderũt,

Christus verò renixus, *quæ non rapuit exsoluit,* passionis suæ ærario effuso, chirographum decreti receptum rescidit, crucique adfixit, captiuos recepit, Cui Christus patiens detraxit iugum.

Omnia fortis armati Vasa atriúmque *diripuit*;
&, ringerentur licèt perduelles,
Ascendens tamen *in altum, captiuam duxit captiuitatem,*
Eduxítque de lacu, in quo non erat aqua;
Mancipia humani generis libertati natiuæ adseruit; ipse verò hodiè ouans, imò triumphans cum spolijs opimis, victis illis catenatísque hostibus, nubibus velut 4. equis albētibus vectus, cæli Capitolium ingressus Adscendens libertate donauit.

est, & homo ille *prædestinatus in virtute Dei*, Angelis omnibus prælatus est.

Non est consilium scilicet contra Dominum.

Isaia. *Omne consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.*

Virgil. 2. AEneid. *Heu nihil inuitis fas quenquam fidere Diuis!* Cœlites triumphanti obuiam omnes effusi, Pater Filio, Spiritus Sanctus homini de se concepto, Angeli Domino ac Dictatori suo, mirantes vnà atque adplaudentes, hominem Hierarchias suas omnes supergredi *ad dexteram vsque Patris omnipotentis, vnde venturus sit* tandem *iudicare viuos & mortuos.*

Quare Cœlo Terraque iubilatum.

Hodie tantùm Pater honorauit Filium, quantùm nec animis capere possumus.

Vide Antonium Nebrissensem Quinquagenæ c. 39. de sessione ad dexteram.

Adsidere ad dexteram iussit, seu id sit in potioribus bonis Patris esse, seu claudere latus Patri, seu aliud quiduis: & iussit Cœlo Terrâque dominari, illi *flecti omne genu Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum.*

Philipp. 1.

O quàm deceret igitur me quoque iubilare! adplaudere! ac thema ex lætis lætissimum tractare, ne lætitiam tàm festam, támque publicam interturbem!

Et id commodè & vtiliter posse, Deus bone! quàm vellem!

Sed sic me vrit aliquod etiàm publicum nostrum, imò verò & Christi ipsîus malum, vt publico hoc gaudio gestienti, vel inuito fletus eiulatúsque extorqueatur.

Neque

Neque verò insolens, Rege aut Principe :imùm lætanter in suam vrbem aut orbem ıtroeunte, aliquem vnum ex omnibus ferè bilantibus, meritò tristem inueniri, ab ijs etiàm pro Principe caussis. Ferri hoc ɔtest (absit tantùm triumphi inuidia, aut : victis dolor, vt in Horatia virgine, quæ oratio fratri de tribus Curiatijs victori, & rgemina spolia reuehenti, ad portam Ca- nam obuia, sponsum suum ab eodem cæ- m flebiliter adpellauit.)

Iubilaturus etiam Autor, ni mœstitia aliunde fleret cogeretur,

Cuius rei cōgruis excusationibus datis,

1.

T. Liuius lib. 1. *decad.* 1.

Ecquod tàm solenne epulum, aut conui- ım tàm geniale, à quo aut impransus, t parùm satur, aut illætus aliquis non ıertatur? 2.

Archiducibus nuper ditiones suas solen- :er intrantibus, cæteræ vrbes quidem mpâ mirabili vsæ, arcubus triumphalibus ctis, tormentis maioribus explosis &c. meracum verò vnum dicitur atratum ac didatum obcurrisse, spe scilicet Princi- ; ad misericordiam, & aliquod miseria- n leuamen excitandi.

Et ego hodiè, Cælo Terrâque complau- ıtibus licèt, atra tamen ac funesta venio ℑtaturus, iustissimis ijsque maximis de sis.

Nàm, quis siccus tacitúsque videat, tot a Christianæ Reip. abs tot circumqua- hostibus coronatæ?

3. Atys ſcilicet quondàm Croeſi Lydorum
Herodot. lib. 2. Regis filius, anteà ſemper mutus, & piſce taciturnior, in eo prælio, quod Lydiæ ſeruitutem adtulit, cùm vidiſſet Cyri militem, elatâ machæriâ, Patri ſuo Crœſo cædem illaturum, linguæ vinculum, periculi magnitudine, ruperit, claráque voce patris mortem fuerit deprecatus; Ego, Chriſto & Chriſtianiſmo vim patiente, ſilebo? Taciturnitas ſemper noſtra Chriſtianiſmum amittet, vti olim *ſilentium Amyclas perdidit*?

Sit, ſit hic licèt cæleſti Curiæ feſtus & lętitiæ dies, & iterúmque iterúmque repetat,
Exod. 15. *Cantemus Domino, glorioſè enim equum & Aſcenſorem* Pharaonem *proiecit in mare:* non dedecere tamen opinor, hymnum vel canticum lugubre à me ex pſalmis pro themate vſurpari, nēpe hoc: *Deus venerunt gentes &c.* & ſequuturis deinceps contionibus fuſiùs declarari.

Sit abſonus fletus in Muſicâ, vt contrà eſt *Muſica in luctu importuna narratio: Nos ſtultos propter Chriſtum* dici & haberi non diſplicet.

Quid? Etiàm Romanis triumphantibus adſidebat quiſpiam, qui gaudia, admonitione caſuum humanorum, temperaret.

Sed Eccleſiæ quoque Catholicæ more eſt receptum, circiter lætam Chriſti Aſcenſionem, ſubplicationes flebiles ac preces decerni,

rni, ac fundi solito diligentiùs, vt *ascen- n: Christus in altum det dona hominibus :* vt se Cœlo, velut fido portu, receptus, secu- sque tempestatum, oculis, quibus Cœlos, ąte, Terras & cuncta serenat, miseros ali- andò sine despectu despiciat: &, vt, quē- modū ille multos sæculo defunctos hodiè Tyranni Infernatis gyāris extortos edu- , itá excitet vel tandemetiā, à quo miseris ıristianis tot hostium iugum immitissi- ım detrahatur.

Vt vt sit, stat sententia hunc psalmum *us Venerunt gentes &c.* opportunè impor- ıè, hodiè, ac deinceps exponere.

Proponit de quo sit dicturus.

Est autem is psalmus 78. vel (autore Hi- io) secundum Hebræos, libri 3. psalmo- n psalmus 7.

D. Hilar. prol. in psalm.

Hilarius enim ait, ab Hebræis 5. psalmo- n libros numerari, in quorum singulo- n fine sit (*Fiat, Fiat.*)

Apostoli tamen simpliciter vocant v- m psalmorum librum, quos libenter se- imur.

endum m im- is ho- est,

1. *De ijs, quæ ad intelligentiam & psalmi huius, & cæterorum fa- ciunt,*
2. *De terminis & arte primi versûs: & cur Iudæa hæreditas Dei dicta;*
3. *De Hierosolymorū celebritate, & vastitate hic indicatâ.* AVE.

I.

¶ *De iis, quæ ad intelligentiam & psalmi huius, & cæterorum faciunt.*

Thema. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam &c.* Psal. 78. vers. 1.

INTELLECTVRIENTIBVS hunc psalmum, vti & cæteros, imprimis claues aliquot reperiundæ.

D. Hilar. prolog. in psal.

Hilarij censurâ, *Est diligens propensúmque iudicium expositionis psalmi vniuscuiusque præstandum, vt cognoscatur, quâ vnusquisque eorum claue aperiendus sit. Nam liber omnis similis est vrbi pulcræ atque magnæ, cui complures ædes diuersæque sint, quarum fores propriis clauibus, diuersisque claudantur. Quæ cùm vnum in locum congestæ permixtæque sint, volenti vnamquamque ædem aperire, maximam ignaro afferant difficultatem, vt claues vniuscuiusque ædis inueniat, aut familiaris scientia cognitam clauem citò ex copiâ illâ congestæ in vnum qualitatis eligere, aut ingentis laboris, aptam & congruam clauem aperiendi vniuscuiusque aditus inuenire, quia ratio & æqualitas non sinat non suas claues claustris disparibus coaptare.*

Claues psalmorum duæ, Inscriptio & Persona.

Claues autẽ psalmorum:

1. *Inscriptio psalmi*, vt cùm dicitur: In finẽ psalmus Dauid, cũ venit ad eũ Nathan Propheta, quandò intrauit ad Bethsabe.

2. *Persona*

: duę / 2. *Persona* vel à qua, vel in quam, vel de qua dicitur psalmus.

1. *Inscriptio* Psalmi, seu titulus, seu argu-ntum. Tituli enim illi pro foribus psal-rum, etsi velut sacra velamina transpa-tia quæ imaginibus prætenduntur, pau-im obtegant & obscurent, tamen aciem ntis intendentibus, facilè permittunt, e subsunt, intueri.

Vide præambula præfixa Remigij commentarijs.

2. *Persona*, de qua claue Hilarius: *Princi-s hæc in psalmis intelligentia est*, ait, *ex cuius onâ, vel in quem ea quæ dicta sunt, intelligi teat, posse discernere.*

Hilar. introitu seu claue in psal. 1.

Sed inscriptio seu titulus huius psalmi d Hebr. est, *Psalmus Asaph*; in translatio-Hieronymi *Canticum Asaph*; qui titulus m psalmi vel autorem vel cantorem icat.

Psalmi nostri titulus Asaph, & cur.

Asaphi enim esse dicitur, vel fortè quià llo compositus, vel quià cantandus ab eo itarum vel cantorum ordine, qui sub ıu Asaph ipsîus erant. Nàm olim canto-:riplicis ordinis erāt (vt patet 1. paral. 25.) idam enim erant sub manu Asaph, qui-ı sub Idithum, quidam sub Etham, &) (ait Petrus Aureolus noster) *aliqui psal-ntitulantur Asaph, tanquam cantandi per n ordinem Leuitarum, sicut est; Deus vene-gentes &c.*

Petr. Aureol. in compendio S. Scripturæ. p. 3. de hymnidicis scripturis.

uit certè Asaph filius Barachię, ex filijs Caath

Asaph quis. 1. *paral.* 6. & 15.

Caath, & frater Heman cantoris, à cuius dextris ſtabat, vnus ex cantorum magiſtris à Dauide ordinatis in domo Domini, ad miniſtrandum coram tabernaculo Teſtimonij, donec ædificaret Salomon domum Domini in Ieruſalem.

1. paral. 15. *Porrò Cantores Heman, Aſaph, & Ethan in cymbalis æneis concrepantes.*

ibid. c. 16. Alibi noſter dicitur Princeps miniſtrorũ arcæ, & ſecundus eius Zacharias, vbi & ſubditur: *In illo die fecit Dauid Principem ad confitendum Domino Aſaph, & fratres eius*, & paulò poſt: *Dereliquit itaque Dauid ibi corã arcâ fœderis Domini Aſaph & fratres eius, vt miniſtrarent in conſpectu arcæ iugiter per ſingulos dies, & vices ſuas.*

Filius ergò fuit Barachię, id eſt benedicti Domini, ſeu iuſti, vt interpretatur Diuus Hieronymus,

D. Hieron. lib. 4. comment. in Matth. cap. 23.

Iſtius verò nominis (Aſaph) *eſt latina interpretatio congregans vel congregatio, Græca verò Synagoga. Per congregationem autem poteſt accipi tàm congregatio hominum, quàm animalium, ſed quoniam vſus habet, vt per Synagogam ſemper Iudaicum populum accipiamus, & hîc quoque per Aſaph eundem populum deſignemus: & non qualeſcunque in populo illo accipiendi ſunt hîc, ſed illi tantùm, qui in ſemine ſunt reputandi, non inter paleas numerandi.*

Quæ ſignificatio nominis. Ex Remig. in pſal. 73.

Ergò, ſi Aſaph vel autor, vel dumtaxat

cantor

ır huius pſalmi, Aſaph autem ſignificat
gogam, vi clauium aperio ſenſum pſal-
ııus, & aio eſſe lamentationem probo-
:x Synagogâ.

ı verò quęris, de quâ perſonâ, vel in
ı pſalmus iſte eſt, quandoquidem hoc
'a clauium ſatis aperit: coniecturis &
ım indicijs adſequendum.

Vt proſit ad ſenſum pſalmi eruendum.

: primò quidem omnibus in confeſſo
lſe hîc in exteros meram inuectiuam,
'x actis, quę narrantur, (vt ſunt pollu-
ımpli, deuaſtatio Hieroſolymorum, ig-
ntia Dei, & eius non inuocatio, quę
i non fecerunt) quàm quòd actores tot
rum, gentes appellantur: (ait enim: *Ve-
:t gentes &c.*) quâ voce Iudęi nunquàm
ſignificarunt.

t, cùm exteri, & peregrinæ religionis
ines varij ſint, rurſùs quæras, de qui-
andem hîc ſermo?

Reſp. *Primis* videtur inuehi propheta in
ɔchodonozorem, & Babylonios, de
us 4. reg. vlt.

Opiniones de Gentibus hoc pſalmo ſignatis, I.

'ranus noſter in hac mente, quòd ſub
ocho non videatur Hieruſalem reda-
ı *pomorum cuſtodiam*, ſeu aceruum lapi-
, & inſtar deſerti deſolata fuiſſe, vt
licitur.

d non meminerat vir alioquî vndequa-
acrorum doctiſsimus, quod 1. Machab.
dicitur

dicitur: *Misit Rex Principem tributorum &c.*

II. * 2. *Secundis*, in Romanos Tito & Vespasiano Imperatoribus.

Remigius certè intelligit vel de extermínio facto ab Tito & Vespasiano, vel ab Antiocho, vel à persequutoribus Ecclesię nouę.

Et certè, haud ægrè adcommodes psalmum Romanis. *Posuerunt* enim illi, si qui alij, *Hierusalem in pomorum custodiam*, vel, iuxta Hebræum, *in aceruum*, vel iuxta Hieronymi versionem *in aceruis lapidum*, id est, Romani desolârunt ac solo æquârunt, aut nemo alius illud Christi vaticinium impleuit: *Non relinquent in te lapidem super lapidem, & ad terram prosternent te &c.* (Math. 23.)

D. Augustinus tamen in hunc psalmum, negat esse de tempore illo, vt cui non quadret istud: *Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus &c.* quòd Iudæi tùnc à Romanis trucidati, non fuerint serui Dei, sed infideles, sed obstinacię pleni &c.

Adde, quòd dicitur, *Venerunt in hæreditatem tuam*; quod non quadrat Iudæorum populo repudiato, in eius iàm locum Christianâ gente subrogatâ.

Sed in promtu responsio, bonos etiã interfuisse scilicet: aut insinuari, non quales tùnc essent, sed quales illi olim, aut patres eorum.

III. * 3. *Tertijs*, in Antiochum, sub quo sacrorum, ac politiæ euersio etiàm summa. (In qua Autor, & cur.)

Casio-

Caſſiodorus & Hugo in hâc mente, in quâ & ego, ab his cauſis.

* *Primùm*, quòd in libb. Machab. in quibus Antiochi barbaries refertur, verſus iſte ex iſto pſalmo decerpitur: *Effuderunt ſanguinem innocentem per circuitum ſanctificationis &c.* velut prophetia illîus futuritionis, quod notat Titelmannus noſter. 1. 1. *Machab.* 1. & 7. *Franc. Titelm. arg. in hunc pſal.*

* *Secundò*, quòd, quæ de pollutione templi hîc deplorantur, Antiocho quadrent, vt mòx dicemus. 2.

* *Tertiò*, quòd vaſtationem Ieroſolymorum, & cædes ciuium &c. ille abundè prę̄ſtiterit. 3.

1. Machab. *Miſit Rex Principem tributorum & accepit ſpolia ciuitatis, & ſubcendit eam igni, & deſtruxit domus eius, & muros eius in circuitu.*

* *Quartò*, quòd quicquid de cadaueribus inſepultis, & laniationi belluarum expoſitis dicitur, idem Antiochus fecerit (vt videbitur mòx in illud, *Poſuerunt morticîna ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli &c.*)

Sed ais, de nullis horum eſſe ſermonem, tùm quòd loquatur formâ præteriti *venerunt: polluerunt templum &c.* templum verò tùm nullum, ac ne fundamentum quidem illîus vllum fuerit, quod pollui poſſet; tùm quòd ſub Dauidis victrice manu, & ſub Salomone pacifico, pax vndequaque altiſsima. Cõtra quam obiectiũcula 1. 2.

Reſpon-

Et pro ea responsio.

Respondero, Prophetis in more esse, de rebus etiàm post longa temporum interualla futuris, loqui specie præteriti, velut de preteritis, certitudinis euentuum fiducia.

D. Aug. hîc. *Dicitur tanquam præteritum, quod in spiritu videbatur esse futurum.*

IIII. *4 *Quartis*, in Antichristum, & nouissimos seculi huius Tyrannos, quos non refello.

V. *5. *Quibusdam*, & mihi cum illis, in Ottomannos & Turcas.

Quidni? Si enim Antichristi rabiem tàm feram præuidere potuit Propheta, cùr non & Ottomannidarum?

Lazarus Horanzius in suo Ottomanno. p. 1. pag. 73.

Lazarus Horanzius certè loquẽs de Turbãte, id est tiara illa Turcica, sic dicta à figura turbinata, quę Græcis κων υ dicitur, qua nùnc magis rotunda, quàm quondàm, Turcę vtuntur, sic ait: *Quod si fortè quis coniiciat propter eam formæ speciem, Tiaram illam in sacris literis sub pomi nomine intelligi? vbi Dauid Hierosolymæ ruinam deplorans, dicit: Templum Domini in Pomorum custodiam positum esse, quod non abs re de Turcis interpretari posse videtur. In oraculo Turcico, quod notum est omnibus, & à varijs variè interpretatum fuit, inter alia hæc continentur, fore vt Imperator Turcicus Pomum Rubrum priùs sibi subiiciat, quàm à Christianis imperium eius euertatur, quo pomo non Constantinopolim, sed regnum Persicum intelligi nonnulli volunt.*

Et pro-

t profectò fœda ac sęua illa omnia, quæ
eferuntur, nemo præstitit pleniùs Sara-
ac Turcis, vt suis locis ostendam.
quis futurus est vnquàm Anti-Christus,
si centum annos imperet, æquè Christi Ec-
exitiabilis, pestilens, funestus, vt Mahu-
Arabs? ait Ludouicus Viues.
gò hic Psal. elegîa mera est, & flebilis Ludou. Viues lib. 2. de concordia in fine.
ietia, & deprecatio, vel Christi, vel
tiani, vel ipsîus Ecclesiæ, de vastatio-
gni Christi seu Ecclesiæ, speciatim Ter-
nctæ, vel quam præsentem vident, vel
præuident futuram, vel quam præte-
meminerunt.

quidem nomen Asaph illis conuenit. Christum & Ecclesiam, Asaph dici posse, & qui,
m Asaph idem quod congregans; an
saph Christus,
dispersiones congregat Israëlis?
adducit alias oues, quæ nō sunt ex hoc ouili?
luit toties congregare filios Hierusalem, Matth. 23.
ina pullos suos sub alas?
facit vtraque vnum?
habitare facit vnîus moris in domo? Psalm.
ia verò nonne etiàm congregans &
gata, in qua
titudinis credentium cor vnum & ani- Act. 4.
a?
non & Christianus omnis, Asaph, cu-
dia omnia sunt pacis, vnitatis, acer-
is bonorum operum, errantiúmque
redu-

reductionis?

Ergò vocemus elegîam Christi, & Christianorum seu Ecclesiæ, hunc psalmum: quo admisso, *Gentes* hîc interpretari licebit, nationes Christianæ religionis exsortes, quales Iudæi; Impp. illi vett. Romanorum, Nerones, Traiani, Domitiani, Decij &c. Gotthi & Hunni, item Saraceni aut meliùs Agareni Mahumetis coniurati, & horum discipuli ac fœderati Turcæ, & in his maximè familia Ottomannidarum; denique AntiChristus cum administris.

Ac tum, quæ Gentes significentur.

6. * 6. *Possit* etiàm esse Christi ad Patrem, de eius crucifixione mirantem, & quærentem ipso Ascensionis die (*Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?*) responsum: *Deus, venerunt gentes &c.* id est, vel Iudæi vsi hac barbaricâ feritate in me: *his plagatus sum in domo eorum qui me diligebant*: vel Pilatus cum suo Romano milite; quod malim, vt videatur excusare Iudæos suos. *Venerunt in hæreditatem tuam*, in me, peculium tuum: Quid enim tàm patris, quàm filius? *Polluerunt*, fœdârunt sputis, virgatione &c. *templum santuum* corporis mei, *in quo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter*, de quo illud: *Soluite templum hoc: Effuderunt sanguinem* meum *velut aquam in circuitu Hierusalem*, & meorum, in puerulis innoxijs Bethlemiticis &c. vbertimè & vtilissimè. Et sic de cæteris.

*7. *Mora-*

* 7. *Moraliter* verò planctus est, & ora-
iustorum, de vitiorum in animos Chri-
inorum tyrannide.
Itáque *Gentes* adcipies tùm pro Dæmoni-
s, Carne ac Mundo; vel pro ipsis vitijs,
ıtagione confluentium vndequaque na-
num contractis, & inuicem adfricatis,
i vt possit; *Et commisti sunt inter gentes, &*
licerunt opera eorum.
Gens vna scilicet inuexerit fastum; Alia,
ıritiam, & sordidum quæstum; Alia mas-
orum concubinatum; Alia, Asotorum
:iositatem: Alia Alexādrinas delicias; Alia
lesium vestium luxum; Alia hæresim;
a Atheismum; quælibet morbum animi
ıprium in alium orbem intulerit; in suum
ulerit alienum, vel bellorum vel com-
rciorum (vt fit) occasione.
Vel certè quæruntur hîc iusti Ethnico-
n peruersos mores, Christianorum cæti-
s mentibúsque paulatim olim inrepsisse,
nc verò etiàm agminatim irrumpere.
An non tibi vitia gentes videntur omni-
; Barbaris barbariores, ipsámque in ho-
nibus barbariem ingenerantes?
An cuiquam Anacharsis quià natus inter
ythas barbarus, linguæ, ventris puden-
:um tantus Dominus: non potiùs Nero
'um mancipium, aut similis aliquis licèt
diâ Româ natus? Absit.

Nos tamen literalem sensum, & allegoricum maximè persequemur, moralibus & alijs haud omninò intactis. Itáque nunc ordiamur.

II. PARS.

¶ *Terminorum & artis primi versus lux.*

Ars exordij prophetici, ab exclamatione ad Deum.

DEUS *venerunt gentes &c.* Aptissimè, (quādoquidem Cassiodoro *est iste psalmus totus in lamentatione positus*) pathos, & vocatiuum, illúmque ad Deum, exordium posuit Propheta d. Deus! ah Deus!

Apostrophe omnis, & Exclamatio ad aliquem ex Magnatibus, maximè ad absentem est, multò magis si ad Cœlicolas ipsos, ac Deum, qui oculis corporis non videtur, vim habent exaggerandi adfectiô.

Vsitato eloquentibus more.

Ea Poëtis, Oratoribúsque priscis sæpè in ore, maximè in rebus valdè adflictis: vt, *Prô Dij immortales! Dij vostram fidem!*

Virgil. 4. Æneid.

Proh! Iupiter ibit Hic, ait, & nostris illuserit aduena regnis? Item: *Iupiter omnipotens.*

Aspicis hæc? an te genitor, cū fulmina torques,
Nequicquam horremus? cæciq; in nubibus ignes
Terrificāt animos, & inania murmura miscēt?

Quin & Christus in cruce moribundus ità exclamauit: *Heli, Heli &c. Deus Deus meus quare me dereliquisti.*

Imo & vulgo.

Nos quoque subitis casibus, *Iesus Maria &c.* inclamamus.

Scilicet

;cilicet hoc verum de omnibus: *Et clama-* *Psal.*
ınt ad Dominum cùm tribularentur.
mple facies eorum ignominiâ, & quærent no- *Isaia.*
ı tuum Domine,
Nuptiarum ferijs, aut epulis genialibus,
ıs qui insonet nomen Dei, (vt quidam
quodam lepidè fabulantur:) in confla-
:ionibus verò aut ruinis, aut naufragijs
ı est qui non Dei nomen tergeminet.
'aræ fumant fœlicibus aræ. *Sill. Ital. lib.*
'rimus in orbe Deos fecit timor. *7. belli Punici.*
)ei, & Diuorum nomen, miseris, & mi-
e proximis perfrequens in ore est.
táque scitè in tantâ Reip.. vastatione ex-
natum *Deus*! ah! Deus!
equitur exclamationis causa, & narra-
Venerunt gentes in hæreditatem tuam &c.
tes vocauit nationes Iudaicæ fidei ac
gionis exortes, vt ibi: *Hæc omnia gentes*
irunt.
Vt enim olim Græci primùm, deinde *Quid Gentes, Iudæis?*
nani, alias à suâ nationes barbaras no-
abant, quasi incultas: sic Iudæi & Scri-
a Sacra (etsi quidem omnes gentes
us ex vno Adami genere procreati)
es aut Gentiles vocant, (qui Græcis
's & *ethnico* dicuntur) idolatras, &
umque tandem aliter quàm Iudæi-
ıùnc Christiani, de Deo ac sacris sen,
t.

Euangelistę ferè vocant Ethnicos.

Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.

Nonne hæc omnia Ethnici faciunt?
Gentes ait, vel Chaldæos, vel Antiochenos, vel Romanos sub Tito, vel Ottomannidas &c. vt iam dixi.

In hæreditatem tuam, in mediam tuam Iudæam, amænissimum tuum hortulum, in populum ex tot populis vnicum tibi selectum, amore & caritate tecum certantē, de quo aias: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* (Cant.)

Nota sic ferè terram illam cum incolis suis adpellitari. (Terra Sancta fere dicitur sola hæreditas Dei,)

Nos autem tulit Dominus, & eduxit de fornace ferreâ Ægypti, vt haberet populum hæreditarium. (Deut. 4.)

Pars Domini populus eius: Iacob funiculus hæreditatis eius. (Deuter. 32.)

Nos populus eius, & oues pascuæ eius. (Psal.)

Hæreditas autem mea Israël. (Isai. 19.)

Israel virga hæreditatis eius. (Hierem. 10.)

Non des hæreditatem tuam in opprobrium. (Ioel. 2.)

Tantummodò vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ. (Amos. 3.)

Eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.

Hierusalem verò præ cæteris. (Maxime vrbs Hierosolymorū,)

Elegi Hierusalem vt sit nomen meum in eâ. (2. Paral. 6.)

Hierusalem ciuitatem Dei castigauit. (Tob. 13.)

Et in

Et in Hierusalem potestas mea. Eccles. 24.

ҫæras igitur: an Terráne aut vrbs ea sola mini est? An non Deus omnium, & nia Dei? Et cur, cum totus Orbis sit Dei?

An non *Domini est terra & plenitudo eius?* Psalm. 23.

Dabo tibi gentes hæreditatem. Psalm. 2.

Tu hæreditabis in omnibus gentibus. Psalm. 81.

Christum constituit hæredem vniuersorum. Hebr. 1.

Data est mihi omnis potestas in cælo & in â. Matth. 28.

Hic est hæres. Matth. 21.

Princeps Regum terræ. Apoc. 1.

r ergò *Iacob funiculus hæreditatis eius*, quasi olus Domini sit?

ondeo aliquid nostrum tri-
1. *Iure possessionis.*
2. *Amore singulari.*
3. *Ortu & habitatione.*

1. *Iure possessionis*, sic totus mundus, iureationis, redemptionis, regiminis, Dei alibi dicitur.

2. *Amore singulari*, vel quo amatur, vel ut aliquis, negatur aliquis esse illîus.

Hoc modo populi aliqui, vrbes, personę, alijs magis propriè dicuntur Dei, vel d Deus ab ipsis, aut ipsi à Deo amentur ulariùs.

udæorum ergò populus, Terráque san& vrbs Hierosolymorum dicitur hære s & pecullum Dei, vel quòd à Deo imsiùs cæteris vni ipsi iuuarentur, vel quòd Resp. Ab amore singulari, vel Dei in populum vel pop. in Deum.

 ipsi

ipſi (ſaltem boni) pleniùs ac perfectiùs Deũ amarent, colerentque, vel ab vtroque.

Pſalm. Illud Pſal. *Notus in Iudæâ Deus, in Iſrael magnum nomen eius*, populi erga Deum obſeruantiam ſingularem clamat.

Populi in Deum amoris ſignum. Terra illa vna & gens certè cæteris ad idolatriam transfugientibus, diuino cultui dedicata.

Et illîus ſpeciatîm hæres, herúſque Deus fuiſſe dictus eſt olim, non tàm iuris creationis, quàm mutui amoris adſpectu.

Nùnc verò is hæres herúſque proprius eſt populi Chriſtiani. Nàm repudiatâ Synagogâ, velut exoletâ meretrice, & adulterâ alios amatores ſequuta, Eccleſiam in ſponſam caſtam, & adhuc adoleſcentulam cooptauit ſibi iſte ſenex Dauid: & Aſſuerus iſte vxori Vaſtæi exploſæ caſtam Heſtera ſubfecit &c.

1. Reg.

Heſter 1.

Nos nùnc *populus acquiſitionis* nouæ, non res à Patre velut mortuo relicta, ſed Paſſionis die *empta pretio magno, non corruptibilibus auro vel argento. ſed ſanguine* emptoris ipsîus, & ipſo demùm Reſurrectionis die, cœpta poſſideri. Itâque *Venerunt Gentes in hæreditatem tuam*, aptiſſimè congruet Chriſtianis.

Et hic modus poſſidendi non tam ius creationis quam adfectus beneuolentiæque vim adſpectat.

Ità Regibus, Populis, Patribus, Ludimagiſtris

ſtris denique vulgò vſitatum, aliquid aut aliquem è multis ſuis, ſingulariter ſuum dicere, ab amore illîus ſingulari.

Spartani paternam lanceam, Reges paternum ſceptrum, optimè dixerint ſuum, inter mille alia etiàm ſua. *Vide Greg. Nazian. ad Nicobulum.*

Polycrates annulum illum paternum tàm charum, quem ad doloris materiam in mare abiecit, hoc ſenſu optimè vocaſſet ſuum.

Sic Naboth paternum agellum ſeu vineã.
Sic Iacob, ſuum Ioſeph, aut Beniaminum.
Sic Ariſtoteles Alexandrũ, diſcipulũ ſuũ:
Sic Alex. Hallenſis, ſuum Bonauenturam:
Sic Iuno, Carthaginem ſuam,

—— *quam fertur terris magis omnibus vnam* *Virgil. 1. Æneid.*
Poſthabita coluiſſe Samo: hîc illius arma
Hîc currus fuit.

Sin Dei erga populum Iudæorum beneuolentiæ indicia aliquot è multis etiam poſcis, habe. Dei in populum Iudæorum, amoris ſigna.

I. An non tibi Gens, ac Terra illa verè Deo cara, cui ipſus leges ſcripſit ſua manu ſemel iterúmque? cui beneficia contulit, qualia *non fecit omni nationi? &c.* apud quam, & ex qua naſci voluit? &c. *Exod. 20. Pſal.* II.

III. Et, ſi amoris indicium eſt caſtigari, iuxta illud: *quem diligo, caſtigo*; quò pertinet illud Periclis: *Perieramus, niſi periſſemus*: &: *caſtigat Deus omnem filium, quem recipit:* quæ gẽs Iudaica illa Deo carior, cuius ferè anniuer- *Vide Plutarch. in vita Periclis.*

IIII. ſariæ caſtigationes fuêre, aut captiuitates
(vt mox dicemus) ſed verò tales, quæ non
V. prorſus extirparent. Diſperſit ſæpiſſimè, ex-
tinxit nunquam, vt alias multas: imò etiam
tot annos iàm iure diſperſam, in decliuium
mundi ſeruandam reſeruat. *Reliquiæ Iſrael*
ſaluæ fient.

Adſpicis ergò ius creationis? omnia Dei
ſunt: Amoris adfectum? non item; imò po-
Osea. tiùs *Vos non populus meus*, de quibuſdam ve-
rum erit; de Iudæis olim, *Vos populus meus*;
nùnc de probis Chriſtianis & *omni gente quæ*
timet Deum dixerimus.

Isaiæ 19. Modus vterque tangitur: *Benedictus popu-*
lus meus Ægypti & opus manuum mearum
Aſſyrius; hæreditas autem mea Iſrael.

Et ab habitatione. * 3. *Ortu, & habitatione.* Sic Roma, non
modò Romuli aut Regum aut Conſulum
fuerit, ſed & omnium illîc productorum,
ciuiúmque vniuerſorum.

Capharnaum quoque dicitur ciuitas Chri-
ſti, quòd diutiùs illîc miraculis vacans
conſtiterit.

Baruch. Terra igitur Sancta dicitur Dei, in quâ
ille nuperrimè ex virgine natus, in quâ, *cum*
hominibus conuerſatus eſt, & olim ſub alienâ
ſpecie obcultatus, illi populo adpropinqua-
bat ínque medio illius habitabat.

Templum quoque illîus dicitur, in quo
non ſacrificijs dũtaxat honoratus eſt, ſed in
quo

o ipsus toties docens auditus est.

Venerunt ergò *in hæreditatem tuam*, in Iu-am, Hierosolymos, adeóque in templum im, res Maiestati tuę charissimas, irrue-it. q. d. quousque abutentur Barbari pa-atia tua? vulnera, opprobria tua ipsîus n sentis?&c. Venerunt non tam in nostra, im in tua ipsîus. *Regionem tuam coram te ni deuorant.* *Isaia 1.*

Quid tum? At verò etiàm! proh scelus! *uerunt templum sanctum tuũ, ait*, seu illud à omone structum, si de Chaldæis agit: seu d à Zorobabele, Cyri permissu, instau-im, si de Antiocho; seu illud ab Herode no Iudæorum Rege alienigenâ (deposi-llo Zorobabelis) à fundamentis, summâ gnificentiâ, secundum figuram primi omonis, excitatum, si de Tito & Vespa-o est sermo: seu illud à Christianis re-um, si de Saracenis ac Turcis &c *Pollue-* tamen, & (vt legit Cassiodorus) *coinqui-runt*, profanauerunt, vel euertendo alta-templúmque ipsum demoliendo, vel sa-vasa exportando in profana Symposia, Daniel. 5. habes à Balthazare factum:) vel a illîc constituendo colendóque (quæ n scripturis pollutionis ac fornicationis uiusmodi nominibus sæpè signantur) fecit *Antiochus Rex*, qui *ædificauit abomi-lum idolum desolationis super altare Dei:* *1. Machab.*

Quod templum pollutum, & quibus modis.

posuit

posuit enim, (vt alibi dicitur) in templo statuum Iouis: idémque *accepit altare aureum, & omnia vasa eius, & comminuit ea:* vel Gentes illûc introducendo, *de quibus praeceperat Deus ne ingrederentur Ecclesiam; vel caedibus mortalium, & libidinibus illud foedando.*

Ibidem. Thren. 1.

Haymo hîc. *Quià in templo tuo fecerunt adorari idolum, & stupris, & aliis immunditiis illud polluerunt,* adsentiente Remigio.

1. Machab. 1. *Iussit Antiochus coinquinari sancta, & iussit aedificari aras & templa, & idola & immolari carnes suillas.*

Sed & pollutum rursùs templum fuit, abs Iudaeis ipsis, cùm scilicet à Romanis defecerunt, obpressione Praesidum, maximè verò Flori, prouocati, & cùm seditiosi, vrbe obcupatâ, templum ipsum instar arcis munierunt (de quo Baronius intelligi putat illud: *Cùm videritis abominationem desolationis &c.*) imò illud ipsum interius exteriúsque obcupatum, per caedes, aliásque impuritates profanarunt.

Ioseph. lib. 2. belli. Caesar Baron. ad annum Christi 96. Matth. 24.

Item ab Ælio Adriano Imperat. pollutum, aedificata Ioui aede, ex aduerso templi, & posita in penetralibus templi, sui imagine.

Vide autem, quàm artificiosè vtrobique dixit (*tuam, tuum: venerunt in haereditatem tuam: polluerunt templum sanctum tuum*) vt

acrius

acrius Iudicem Deum in hoſtes iritaret, quaſi non tàm in ſeruos, aut ſeruorum bona, quàm in peculium Iudicis graſſatos. q. d. Quid? etiàm *regionem tuam* ô Deus, *coram te alieni deuorant*? Res tua agitur multò magis quàm noſtra; & ceſſas, itáque lenta tua eſt? non pro tuis ſeu aris ſeu focis, ſi non pro noſtris, pugnes? *Hæreditas tua* impunè *verſa eſt ad alienos.* Ars Prophetæ, Deum irritaturi, varia, I. Iſaia 1.

Deinde quàm aptè iniuriam templi, rerúmque diuinarum, Reipub. ciuiúmque iniurijs præmiſit! II.

Certè hæc priùs flebiliúſque alteris deploranda, &, cùm licet, vindicanda.

Sic Helias, cùm ait: *Dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael, altaria tua deſtruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, vt auferant eam.* 3. Reg. 19.

Sic Chriſtus, cum ingreſſus Hieroſolymos, mòx templum adit, nundinatores templarios increpat, flagellat, fugat; queritur, domum Dei & orationis factam ſpeluncam latronum &c. Matth. 21.

Zelus domus tuæ comedit me, & obprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. Pſalm.

Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum ait Helias. 3. Reg. 19.

Incenderunt igni ſanctuarium tuum in terrâ &c. ait alius.

Vtinam

Vtinam nos nùnc hoc ordine! vtinam ſacra profanis, lugendo præferremus!

Et nota, ſi templorum inanimatorum iniuriæ ſic & eo ordine deplorandæ, multò magis animatorum, & animarum ipſarum.

D. Chryſoſt. Paraneſi 1. ad Theodorũ lapſum, initio.

D. Chryſoſt. ait damnum animę in peccatum lapſę, grauius flebiliúſque, templi Hieroſolymitani profanatione, & incendio.

III.

§ *De Hieroſolymorum celebritate, & vaſtitate hîc indicatâ.*

SVBIICIT verò tandem Propheta noſter publica & profana mala: *Poſuerunt* inquit *Hieruſalem &c. Poſuerunt morticina ſeruorum &c. Effuderunt ſanguinem ipſorum tanquam aquam &c.*

Hieruſalem celeberrima & vnde.

Poſuerunt Hieruſalem Iudeæ Metropolim ſanctiſſ. illam, & illuſtriſſ. Orientis totius ciuitatem, tot nominibus clariſſ. *in pomorum cuſtodiam*. Vtrobique emphaſis hîc expreſſa, illîc ſubaudita.

Hieruſalem Illuſtris.
1. *Conditore,*
2. *Antiquitate,*
3. *Situ,*
4 *Formâ,*
5. *Templo,*

6. *Literis,*

6. *Literis,*
7. *Sacerdotio,*
8. *Imagine,*
9. *Nominibus.*

* 1. *Conditore,* ſcilicet Melchiſedech Rege, Sacerdote, & magno Chriſti Ieſu, eiuſque Sacerdotij exemplari. 1. A Conditore.

Nàm, vt Chriſtus quà Deus ſine matre, & quà Homo, ſine patre; ità & Melchiſedech dictus *ſine Patre, ſine Matre.*

Michael Glycas tamen à Sido Ægypti filio, qui Sidonem condidit, ortum ait, & regnaſſe in Salem 13. annis. Non recenſitum autem eius genus, quòd ex familiâ tàm impurâ natus eſſet. *Mich. Glycas part. 2. annal.*

Et vir tantus hic fuit, vt quidam (falsò licèt) Deum putârint.

Glycæ *Iuſtus & virgo fuit Melchiſedech.* *Glycas ibidem.*

Sacrificium Chriſti incruentum, eiuſque Sacerdotium idem expreſſit.

Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. *Pſal.*

D. Cyprianus: *In ſacerdote Melchiſedech ſacrificij Dominici ſacramentum præfiguratum videmus.* *D. Cypr. lib. 2. ex 3. ad Cæcilium.*

* 2. *Antiquitate;* Temporibus ſcilicet Abrahæ condita. Adrichomio circa annum à mundo creato bis millèſimum & vigeſimum tertium, tempore Abrahami, à Melchiſedech, rege condita iuuátque ab eo 50. 2. Antiquitate. *Chriſtianus Adrichom. cyfra. 1.*

annis

annis possessa videtur.

¶ 4. Situ, Formaque. Vitriacus hist. Orient. pag. 101. edit. Moschi.

* 3. 4. *Situ, Formáque*, de qua sic Vitriacus Card. *Est secundum omnes eius partes in monte sublimi sita, muro valido vndique circumdata, nec nimia paruitate angusta, nec magnitudine cuiquam fastidiosa, à muro vsque ad murum habens distantiam, quantum arcus quater proijcit sagittã.* loquitur autem de illa tẽporis nostri.

Qualis fuerit vetus illa Ierusalem, hinc fas suspicari, quòd, illam vicisse, victoribus Gentium Romanis tàm clarum opus visum sit, vt Titus ipse Imp. in ipso ingressu vrbis, mœnia admirans, tantam victoriam non humanę virtutis, sed diuinę gratię fateretur.

Montibus duobus ornabatur, monte Siõ, in quo arx olim Iebusęorum munitissima, & monte Moria, in quo pænè filiũ immolauit Abraham, in quo deinde templum Salomonis erectum.

Psalm.

Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum. i. adsimilari vtcũque cœlo ipsi possit, cuius etiàm & ipsa figura est, opinione communi.

5. Templo,

* 5. *Templo* omnium augustissimo, quà à materia, Forma, Sactis, Supellectili, quæ omnis vsque ad emũctoria ipsa ferè ex auro; à Donarijs Regũ etiam exterorum, ab oraculis ab rebus illìc adseruatis, à Ministrorum pompa numero &c. *Hic illius* arca fœderis. *Hic currus fuit &c.*

Virgil. 1. Æneid.

6. Literis

* 6. *Literis* Sanctis. Ea enim Scribis, Pharisęis, Sacerdotibus temporis illîus, idē quod olim Stoa porticus Zenoni, Academia Platoni, Lyceum Aristoteli; id est diuinę Sapientię ars & domiciliū fuit, maximè à Christo nato: *De Siō exibit lex & verbū Domini de Hierusalē. Erit gloria domus nouißimæ maior quàm primæ.* 6. Studijs literarum.

* 7. *Sacerdotio Regnóque*, quorum illîc sedes & velut Capitolium, vt nunc Sacerdotij, Romæ; regni Gallici Lutetiæ &c. 7. Sacerdotij Regnique sede.

Vnde ista: *Ciuitas Regis magni:*

Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei &c. Psal.

* 8. *Repræsētatione* Ecclesię imò & cœli ipsîus. 8. Exemplari.

* 9. *Nominibus*, maximè illo, quo dicitur Ierosolyma i. visio pacis vel pacifica vel Hie[r]osolyma à templo Salomonis, vt vult Eu[s]ebius, quasi ipsa vrbs tota templum esset, [q]uà aptissimè refert Ecclesiam vtramque, [m]aximè illam triumphantē in qua pax summa est, & quæ tota templum est. 9. Nominibus multis illustribus.

[Hi]erusalē [no]m varie [n]cupa-

1. *Hiebus*,
2. *Solyma* Græcis, vel *Salema*,
3. *Salem*, Hebræis,
4. *Ciuitas Dauid*,
5. *Hierusalem*.
6. *Helia*,
7. *Vrbs Sacra, Sancta Ciuitas.*

. *Hiebus*. Ios. 18. *Hiebus quæ est Hierusalē.* [...]*us, quæ altero nomine vocatur Hierusalem.* Iudich 19.

. *Solyma* (vt scribit Egesipp.) vel *Salema*

prius,

priùs, Abrahæ ſcilicet tempore, vt teſtatur Michaël Glycas, qui *Salemam* & *Hieruſalemam* vocat.

Mich. Glycas p. 2. annalium.

* 3 *Salem* Gen. 14. *At verò Melchiſedech Rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altiſs.) benedixit ei &c.*

D. Hieronymo vocatur tribus nominibus, *Iebus, Salem, Hieruſalem*, quæ ab Helio Adriano poſteà, de ruinis & cineribus ciuitatis in Heliam ſuſcitata eſt.

* 4. *Ciuitas Dauid*, ab eâ vrbis parte, Monte ſcilicet Siõ, & arce illîc munitiſſimâ, vnde Dauid eiecerat Iebuſæos, locúmque fortius munierat, futurum velut vrbis Capitolium.

* 5. *Hieruſalem*, communiſſimè, fortè quaſi Hiebuſſalem, propter Iebus, aut (vt eſt Ioſue 15.) Hiebuſæum habitatorem Hieruſalem, binis nominibus confluentibus: vel quaſi Hieronſalem. Cùm enim prius vocaretur Solyma (vt ſcribit Egeſippus) ac deinde Rex Chananæus cognomento Iuſtus, qui fuit conditor Solymorum, templum addidiſſet, inde Hieroſolyma nuncupauit; Græci enim ἱερὸν templum vocant: vel quaſi Hieronſalomonis, hoc eſt ædes Salomonis, à templo abs Salomone pulcerrimo auguſtiſſimóque illîc extructo, quod Etymon video Euſebio placuiſſe.

Euſeb lib. 9. præp. Euang.

* 6. *Heliam* de ſuo nomine aliquandò vocauit Adrianus.

* 7. *Go-*

* 7. *Gozum-berech* Turcæ nunc adpel-
t, vel vt vult Adrichomius *Cuzumoba-* *Adrichom.*
', siue *Codsbarich*, hoc est vrbem sacram. *pag. 41.*
Matth. 4. Dicitur Ciuitas sancta, alibi
iitas sancta &c.

Hierusalem ergò illam tuam, ô Deus! ait
pheta, tàm celebrem *Posuerunt gentes in*
orum custodiam, vel vt habet D. Hiero-
ni translatio *in aceruis lapidum*: vel vt
br. *in aceruum*, id est planè euerterunt.

Posuerunt in pomorum custodiam, id est, ad Quam vehementer deiecta.
icanas & viles casas reuocârunt, vel il-
in quibus tumultuariè structis, & iunco
is, poma, vuæ ac cæteri fructus adser- *Lyran. Cassiod. August.*
tur; vel illas, in quibus altiusculè, instar
:ulæ, subrectis, custodes fructuum in
s excubant, quæ fructibus saluis aut
tuntur, aut deseruntur, quod Cassio-
o placet.

'ox Hebræa hîc posita variè significat,
n aceruos lapidum; vel in fossas, vel in
lationes vel in deserta, vel in rudera.

sai. 1. *Relinquetur filia Sion, velut vm-*
:lum in vineâ, & sicut tugurium in cu-
rario.

ræca vox est *oporophulacion*, quam ver- *D. Hiero. ad*
interpres latinus (*in pomorum custodiam*) *Suniam & Fretellam.*
idit ad verbum, eámque aliter transfer-
ſſe negat D. Hieronymus: *phulace* enim
diam, seu locum custodiæ assignatum,

dicit: *opora* autem Græci adpellant fructus omnes corticis mollioris, quæ poma latiùs dicuntur. Disce partim ex hâc voce *Gazophylacium*, quod sonat, gazæ custodiam, id est, sacrum ærarium.

Forte *pomorum custodia* hîc idem est cum eo, quod Punicâ linguâ vocatur Magor, & cum ijs, quæ indè Virgilius vocat *Magaria* vel *Magalia*.

Virgil. 1. Æneid. vbi vide & Seruium. Idem 3. Georg.

Miratur molem Æneas, magalia quondam.

---- & raris habitata mapalia tectis.

Sensus igitur est; augustissimam vrbem, cæsis abductisque ciuibus in vastam solitudinem redegerunt, sed & solo æquárunt.

Exterminauit eam aper de syluâ, & singularis ferus depastus est eam:

Virgil. 2. Æneid. Idem 3. Æneid.

Et campos vbi Troia fuit:

Et omnis humo fumat Neptunia Troia:

Vix magni stat nominis vmbra.

Non reliquerunt in eâ lapidem super lapidem, vt loquitur Dominus.

1. Machab. 1.

Certè Princeps tributorum Antiochi, anno secundo postquàm iàm semel templum diripuerat ipse Antiochus, missus venisse dicitur, ac tùm rursus spoliàsse, & succendisse ciuitatem igni, destruxisse domos, & muros in circuitu.

Verbis istis igitur *Posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam*, haurit & absorbet ciuitatem vniuersam, quanta quanta fuerit.

Sed

Sed non absurdè quoque intellexeris, *Posuerunt in pomorum custodiam*, id esse quod: non pluris æstimârunt tantam vrbem violare, incendere, quam tuguriolum aut casam straminеam. q.d. O rem indignissimam totis Oceani aquis deplorandam, & fulminibus omnibus vindicandam!

Sic verò dicit, exaggerátque vniuersa, vt Deum & ad sui suorúmque misericordiam flectat, & ad hostium vltionem potentiùs irritet.

Quid nos verò Christiani miserrimi ferè omnium iàm populorum, regionibus depopulatis, aras in haras versis, muris moribúsque antiquis euersis, Terrâ Sanctâ, Sancto viuificóque Christi sepulcro in *pomorum* id est quibusdam Turcarum *custodiam* redacto? Silemus? non flemus? non homines omnes, non Deum ac Diuos omnes inclamamus? Proh insensatos & insensiles nos Christianos!

PHILIPPICÆ II.

NOTÆ.

Thema. *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum &c.*

FACTA repetitione vſitatâ, ita propoſitum:

Dicēdum hodie,
1. *De variis Hieroſolymæ captiuitatibus, & magno, poſt ſingulas, miraculo;*
2. *Chriſtianis maximè flebilem illius amiſsionem, & templorum pollutionem.*
3. *De templorũ ſpiritaliũ pollutione.*

AVE.

I.

¶ *De variis Hieroſolymorum captiuitatibus, & poſt ſingulas miraculo.*

Omnia volubilitati fortunæ ſubiecta,

OMNIVM *rerum quidem viciſsitudo eſt.* Quicquid oritur, incrementa ſua habet vel citatiora vel tardiora; ſtatum vix aliquem; Decrementa quoque ſua patitur; itẽ (vt ſic dicam) Fata quædam.

Videre eſt in plantis, in animantibus, in corporibus humanis, in honoribus ac fortunis

tunis nostris; in Ordinibus seu Religionibus ipsis sacris, rotam istam orbémque irrequietè volutari.

At in Regnis, vrbibúsque id maximè adparet, & gloriæ illa, ignominiæque perpetua vicissitudo illîc emicat. Regna & Respub. maximè.

Quæ heri casa fuerat, hodiè est Roma: quod heri Regnum Imperiúmque; hodiè est prouincia.

Assyriorum Persarum, Græcorum Romanorúmque imperiorum vices cogita, quę heri adsurgentia, hodiè stantia, crastino cecidêre, aut titubauêre. Faxis ô Deus! vt Lunarica illa Musulmanorum imperiosa Tyrannis etiàm breui decrescat, quæ propè est vt totum impleat orbem!

At verò nunquam fando audij, neque volutando legi, Rempub. aut gentem, vnâ Iudæorum gente & Hierosolymorum ciuitate, alteram grauiùs sæpiúsque adflictam, captam depopulatámue, neque (quod mirabile est) sæpiùs instauratam. Hierusalem imprimis,

Quoties aut cecidit aut titubauit, toties surrexit, ac velut fixit pedem fortiùs. Qua vrbe nulla sæpius aut cecidit, aut surrexit.

Hesdinum vetus accepi à maioribus bis, sex hebdomadarum spatio, & aliàs sæpè, hodiè à Gallis, cràs à Cæsarianis captum, tandémque à Carolo Quinto Imp. opt. solo æquatum pedes isti calcârunt: & sic, támque diu iàm iacet, vt instaurandum nun-

quam videatur, nisi instaurationem dicas, Hesdini noui vno miliari à vetusto illo procul ædificationem.

Virgil. 8. AEneid.

Extremíque hominum Morini (Terrouanam vel Taruannam alij vocant) etiàm sæpè capti, victi, excisi, sale aliquandò conspersi, & aliquoties excitati, at nunc tandem sub eodem Carolo Quinto sic radicitùs extirpati iacent, vt melius iàm Terram verè vanam voces, quàm olim, nomine fatum, ac statum, imò casum illîus perpetuum insinuante.

Ilium semel ab Hercule Laomedonte Rege euersum lego, ac posteà instauratum: sed tandem verò sub Priamo sic iacet, vt dicas,

Virgil. 3. AEneid.

Et campos vbi Troia fuit.

----- non vnquam tulit

Seneca in Troade act. 1.

Documenta fors maiora, quàm fragili loco
Starent superbi, columen euersum occidit
Pollentis Asiæ, cælitum egregius labor.
Excisa ferro est, Pergamum incubuit sibi.
--- hostis --- horret adflictam quoque,
Victámque quamuis videat, haud credit sibi
Potuisse vinci.

Veiorum & *Veientium quanta res fuerit, indicat decennis obsidio ---- nunc fuisse quis meminit? quæ reliquiæ? quódue vestigium? Laborat annalium fides, vt Veios fuisse credamus*, ait Echo Liuij L. Florus.

L. Florus lib. 1. c. 12. Liuius decad. 1. lib. 5.

Romam ipsam orbis Dominam mox futuram

turam licet, Bremius tamen ſemel cepit incendit, Capitolio tantùm ſaluo; aliàs alij aliquoties.

Carthaginem Romæ æmulam, & velut pellicem, adflictam anteà aliquoties, Scipio Æmylianus cepit tandem, ac ſolo æquauit, iámque tandem nec cadauer vrbis illius imperaturientis vllum reſtat.

Oppidorum multorum muros ſi queras, nec ruinas inuenias, imò ne ſolum, in quo iacuerunt. Græciam, & Greciæ corculum Athenas noſtri in Græcia fruſtrà requirunt.

Nec cadauera quidem quarundam ciuitatum reperire poſſis.

Hieruſalem verò vna Deus bone! quoties capta, ac deleta!

Anniuerſaria illi propè excidia, aut captiuitates fuère. Nulla capta ſæpiùs, aut euerſa.

Aliquot ex me audi, ex cæteris, ſi quæ ſunt (vt ſunt, opinor) cæteras diſce, & doce.

* 1. *Melchiſedech* primus (vt heri dixi) conditor eius vrbis, eam 50. circiter annos habuit. Hieruſalem enim habuit Dominos: poſt Melchiſedech cõditorem

* 2. *Iebuſæi à Iebuſæo filio Chanaam prognati*, poſt conditorem *obcuparunt, à quibus Iebus & Iebuſæum aliquamdiu dicta eſt. --- Tenuerunt eam annos octingentos & 24.* infinitos: *Iebuſæos,*

* 3. *Dauid*, qui inde expulit Iebuſæos: à quo tempore Hieruſalem, quaſi Iebuſſalem adpellata. *Dauidem,*

Nabucho-donozoré. * 4. 5. Et forte 6 *A Nabuchodonozore* aliquoties deinceps capta.

Michael Glycas p. 2. annal. *Sciendum* (ait Glycas) *à Nabuchodonozore ter spoliatam esse, videlicet regnantibus Ioacimo, Iechoniâ, & Sedeciâ quemadmodum Georgius scripsit. Theodoritus autem diuinissimum vatem Hieremiam secutus, ex Ioacimo & Iechoniâ facit vnum eundémque regem.*

Hierem. 25. Spatio 70. annorum, populus in Babylone tunc fuit sub iugo illo captiuus, interim Daniele & Ezechiele consolantibus.

Sionque tunc quasi ager arabatur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum, & verè (vt hîc dicitur) *pomorum custodia.*

Sesac ante illum. * 6. *Ab Asope* nescio quo Ægyptiorum Rege, iuxta aliquos, vel potius senso meo, & scriptura autore, *à Sesac*, de quo sic in libris

3. Reg. 14. Comestor. Regum: *In quinto anno regni Roboam ascendit Sesac Rex Ægypti in Ierusalem & tulit thesauros domus Domini, & thesauros regios & vniuersa diripuit: scuta quoque aurea quæ fecerat Salomon &c.* Cùm enim ei resisti non posset, admissus intrò est, sub pactis de murorum quorumdam destructione, quæ tamen fædifragus violauit. Is Nabuchodonozorem præuenit.

Ado in chron. ad annũ 4525. Alexãdrum Magnum. * 7. *Ab Alexandro* Magno, totius Oriẽtis turbine atrocissimo, qui à Iudæis fauorabiliter exceptus nihil nocet vrbi, Deo victimas immolat, & pontificem Iaddum honoribus

noribus, plurimis prosequitur, Andromacho locorum custode dimisso.

* 8. & 9. *Ab Antiocho* Rege, qui & Epiphanes, & radix peccati cognominatus est, semel & iterum: primùm ab ipso Antiocho, Menelao prodente: secundum, à Quæstore seu principe tributorum eiusdem. Antiochum illustrem.

* 10. *A Pompeio Magno*, quem ideò noster Cicero Hierosolymarium vocat, eaque captiuitate templum haud direptum fuit. Pompeium. *Cic. lib. 2. ep. ad Atticum. ep. 9.*

Cicero: *Cùm aurum Iudæorum nomine ex Italia Hierosolymam exportari soleret, hic Cn. Pompeius captis Hierosolymis victor ex illo fano nihil adtigit.* *Idem orat. pro Flacco.*

A Gabinio Scauro Varo insultus, & à Cæstio obsidionem aliquandò passam non commemoro.

* 11. *Ab Herode* primo ex alienigenis Iudæorum Rege. Herodem. *Ioseph. lib. 14. c. vlt.*

* 12. *A Tito* Vespasiani filio, anno 2. Imp. die 8. Septembris, anno post Christi mortem 38. capta, & radicitùs euersa, vndè illud Christi: *Non relinquent in te lapidem super lapidem &c.* *Hegesippus lib. 1. anno ab vrbe 717.* Titum. *Matth. 23.*

Tunc conclusis illîc velut caueâ pænè Iudæis omnibus, ciuitas illa facta est spelunca latronum, & sepulcrum mortuorum.

* 13. *Ab ÆElio Adriano* Imp. post annos 65. rebelliantibus Iudæis, vel quòd ab eo Ioui, ex aduerso templi, ædes excitata (vt ait ÆElium Hadr.

Cas. Baron. ad annum 11. Hadriani Imp.

(vt ait Baronius:) vel (vt Spartianus) quòd mutilare genitalia vetabantur.

Certè is Imp. ex Asiâ in Syriam veniens, Hierosolymam pridem euersam, rursùm exstruxerat, & angustiorem factam, inclusis alijs, alijs exclusis, habitari iusserat, & de suo *AElij* cognomento *AEliam* Capitolinam vocari voluerat, & *in templi penetralibus imaginem suam statuerat.*

Glycas p. 3. annalium.

Et eodem *regnante, coniunctis viribus ad statum Reipub. priorem reuerti Iudaei conabantur. Verùm Adrianus eis in potestatem suam redactis, vrbem rursùs euertit, & solo prorsus aequauit.*

Idem ibid.

Iuxta nonnullos, etiã sale adspergi iussit.

Christianos, Adrichon. pag. 39.

* 14. *A Christianis* tandem inhabitata, & Patriarchali sede insignita, annis quingentis Christianâ religione floruit.

Persas,

* 15. *A Persis* sub Chostroë, circiter Heraclij tempora.

Christianos rursus,

* 16. *Ab Heraclio* ipso Imp. qui & illò Christi crucem sanctam humeris reuexit, non sine illustri miraculo luxûs vestium sugillatore, de quo habes in historiâ Sanctae Crucis.

Mahumetanos, Vide Onuph. in chro. Eccles. Goth. Bolon. infra.

* 17. *A Mahumetanis*, Arabibus, Saracenis in Ægypto regnantibus, sub Heraclio ipso, anno à Christo nato 636. qui eam annis quadringentis sexaginta tribus habuêre: vel (Bolionio ipso autore) 409.

De qui-

De quibus gentibus, sic Heraclius ipse; *Vix credas* (inquit) *quàm acerbus mihi nnncius fuerit Maometis nuper inuecta religio, qua affecti Saraceni, qui mihi ex Arabia militabant, in Syriam secessere, Phœnicem Syriam, Ægyptúmque occupauere. Arabes enim omnes Maometi legem susceperunt, Persarúmque regnum opulentissimum, cæso Rege Asmisda, inuaserunt, eóque periculi ventum est, vt tantis viribus nullus exercitus occurrere tutò possit.* *Lib. Episto. procerum Műdi epist. Heracliј Imp. ad Seuerinum Pont. Rom. data Constantinop.*

* 18. *A Godefrido Bullonio* anno (vt Vitriacus refert) 1099. Idib. Iulij, seu die Iulij 15. feria 6. hora 9. quâ die, & hora, Rex gloriæ mortuus, anno expeditionis Christianæ tertio, Vrbano 2. Pontifice Max. Imperatore Henrico 4. regnante in Francia Philippo. Christianos tertio. *Vitriacus pag. 53.*

Rex Hierosolymarius tum primus Gothefridus creatus qui primus murum conscenderat, cuius ea modestia fuit, vt aurum coronarium respuerit, *indignum*, præfatus, *se seruum auro ibi coronari, in quâ vrbe Dominum Iesum spinæ coronassent.*

Ipse Bolionus de hâc re sic: *Vrbs Hierosolyma* (inquit) *à nobis Idibus Iulij capta est, anno salutis nostræ* 1099 *die* 39. *post cæptam obsidionem, qui annus fuit* 409. *post quam sub Heraclio Saracenis cesserat.* *Lib. Epist. procerum Műdi epist. Gothofredi Belionis ad Boeműdum Antiochiæ Regem.*

Tenuêre Christiani deinceps circiter 88. annos, aut (Saladino ipse victore teste) 89. *Saladinus eodem lib. ep. ad Isacum.*

19. *A Saladino* vel (vt alij nonnulli scribunt

bunt

Constantin. Imp. Mahumetanos iterum,

bunt) Aladino vel Salazadino, Sultano Cayri vel Ægypti Turcarúmque Rege bellicosissimo, qui circa annum Domini 1180. cum Christianis, triginta ampliùs annos, euentu vario, & sæpius victus, quàm victor confligens, tandem Balduino Hierosolymorum Rege (à quo antè, ad Ascalonem & Tyberiadem, fuerat superatus) mortuo, & Christianorum animis ambitùs malo, in diuersa scissis, tandem & sacram illam vrbem & regnum nobis eripuit, deditione factâ hoc pacto (vt ait Adrichomius) vt Christianis tantum efferre fas esset, quantum humeris possent.

Vbi hoc etiam mirum, quòd (Adrichomio teste) feriâ etiam 6. dedita est. An fortè semper in vltionem sæuissimæ mortis Christi quæ in illâ vrbe, aut sub mænibus illius, eodem die contigit?

Salahadinus ipse sic de tempore deditionis ep. ad Isaacum Constant. Imp. *Facta est deditio 2. Octobris, anno 89. postquam Christianis cesserat*, inquit.

Tenuit eam is victor annis. 330.

Monstrelet. Et Paradinus pag. 31. in heroicis. Fulgos. lib. 7. c. 2.

Saladinus hic ille est, qui moriturus in vrbe Ascalone, iussit, ab armigero primate suam demortui subuculam plateatim ex hastâ ostentari, & clamari; *Mortuus est Rex Orientis, hócque ex opibus tantis vnum effert.*

Cordirium ÆEgyptium,

20. *A Cordirio* quodam Ægypti Suldano 1230.

1230. obsessa, capta, sed & solo æquati muri ---- Cæsare Friderico igni ferróque Papam persequente, & ardentibus tum Guelforum & Gibelinorum furijs.

Ex lib. recenti fratrũ de Bry. c. 22. orig. Turcorum.

Viderit, qui scripsit, quam verè. Certè vt Cordirius eam aliquandò ceperit, tempora huius captiuitatis, cum temporibus, quibus Saladinus eandem tenuisse dicitur non constant.

* 21. *A Magno Temir* (vt Lipsius scribit) vel vt alij à *Tamur-Han*, id est Domino ferri, Partho, quem alij Tamerlanum, vel Tamerlanem vocant corruptè (si Lazaro Horanzio credimus,) à quo, catelli aut psittaci instar caueâ ferreâ inclusus, auro catenatus, & per regna nuper sua circumductus est ferox Baiazetus Turcarum Imperator, cæsis priùs suorum ducentis milibus, cæteris in fugam versis, mortuus ibidem biennio pòst anno 1398. Caroli Sexti 18. cùm victori equum ascensuro scabelli vice etiàm fuisset.

Tamerlane Parthum aut Tartarum.

Lazar. Horanz. in suo Ottomanno pag. 115.

Ex Christopho. Richerio lib. 1. rerum Turcic. & lib. 3. & ex alijs.

* 22. *A Selimo* 1. Turc. Imp. anno 1517. Itáque Hierusalem hactenus *Ciuitas Dei*, nùnc est in pomorum, id est, Turbinatorum Turcarum custodiâ,

Selimum Turcam.

Ah quàm malè prisci illi vrbem illam, Hierusalem, id est pacis visionem, nominârunt, quæ tam rarò pacem vidit quàm nos Phœnicem, tam sæpè bella & captiuitates, quàm

quàm nos Æstatem.

Anniuersariæ illi ferè vrbi vel deditiones, vel obsidiones, vel captiuitates.

Ruth. 1. *Ne vocetis me Noemi, id est pulcram* non Hierusalem, id est pacificam: *sed vocate me Mara, id est amaram, quià amaritudine valdè repleuit me omnipotens:* vocate me non pacificam, sed bellosam, sed captiuam &c. à tot bellis, tótque excidijs &c.

At notatu tamen dignissimum, neque vrbem, neque gentem illam vnquam ità stirpitus extinctam, quin surrexerit, quoties cecidit.

Hierusalem semper instauratam, mirabile, Psalm. Dixerit illa suo iure: *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi.*

Virgil. 3. Æneid. *Nec omnis humo fumat Neptunia Troia*

Idem 7. Æneid. *Num capti potuere capi?*

Vnde hoc? Fatum scilicet Dei priscum hoc fecit: *Visitabo in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.*

Reliquiæ Israel saluæ fient.

Quid signet. *Reliquit illis Deus semen.*

Deinde, hoc simulacrum aliquod est firmitatis Ecclesiæ Christi, & æternæ beatorum mansionis.

Cæterùm (vt ad rem regrediamur) ad omnes propè vrbis illîus captiuitates. (quæ tamen à Barbaris) fas sit, hunc psalmum referre. Quadrant enim ferè quælibet hîc posita,

posita, vel omnia cuilibet, vel singula singulis, vel omnia vniuersis.

Babylonij certè polluerunt templum iniectis ignibus, & vasis elatis, hísque in conuiuium tandem à Balthazare adhibitis, cuius & ipsa nocte pænas dedit. Daniel.

Antiochus verò, etiam *iußit coinquinari vasa, & iußit ædificari aras, & templa, & idola, & immolari carnes suillas &c.* 1. Machab. 1.

Sic & cæteri, de quibus iàm suprà.

II.

¶ *Christianis maximè flebilem Hierosolymorum captiuitatem, & polluta ab Ottomannis templa Dei.*

FATEOR quidem Iudæis dolendam vrbis, orbísque illius iacturam: At Christianis longè latéque flebiliorem. Terra Sancta prima Christianismi schola.

O Ciuitas Dei! Tob. 13.

Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. Psal.

Vrbs perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ. Thren. 2.

Ciuitas Sancta. Ciuitas Regis magni. Ciuitas Sancti. Isai. 52.

Terra S. Patria D. N. IESV, & Beatæ MARIÆ Deiparæ, & diuinorum præceptorum nostrorum Apostolorum: sanctior nùnc eadem cum templo suo a Christo Domino. *Gloria domus nouißimæ, maior quam prima.* Matt. 4. & 1. Machab. 15. Agg.

Eadem

Eadem Schola fidei nostræ, & princeps
Isaiæ 2. Mich. 4. Academia. *De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Hierusale:* cuius vicaria nunc Roma.

Eadem Officina nostræ salutis: salutis nostræ cunabula: Gerula Christi;

Testis oculata nostræ redemtionis;

Præcipuum Christianismi sacrarium;

Vmbilicus terrarum, *Operatus est salutem in medio terræ*; Paradisus alter;

Psal. *Terra desiderabilis*;

Thren. *Domina gentium*;

Lectus in quo vita mundi obdormiuit, resurrexit, ascendit, Spiritu sancto Apostolos impleuit, & artes linguasque vniuersas momento perdocuit;

O Stupor! ô terror! ô amor Mundi, Hierosolyma!

Ibidem antiquiss. Ecclesia. Sed & Ecclesia Hierosolymitana *mater omnium Ecclesiarum*, origine scilicet & tempore.

Vide epist. Synodalem Conci. Constant. Oecumenici apud Theodoret. lib. 5. cap. 9. Quod Cybele inter deos, hoc illa inter Ecclesias. Cybele mater deorum, illa mater Ecclesiarum, non tamen maior filiabus hæc, vt nec illa liberis suis, ex quibus Iupiter Rex hominúmque deorúmque dictus est, Iuno Regina.

Thren. Ténenunc ô *Domina gentium factam esse sub tributo*?

O antiqua *domus, quàm dispari Domino dominaris!*

Quis

Quis ſatis Thebas (& Hieroſolymas) *fleat?* *Senec. in*
Ferax Deorum terra, quem Dominum tremit? *Herc. furente.*
Ottomannum.

Terra eadem peregrinationibus iàm olim celeberrima. Peregrinationibus clara,

Regina Saba adijt auditura Salomonem. 3. *Reg.*

Tres Magi ab vltimo Oriente, viſuri nouum Salomonem. *Matth.* 4.

SS. *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt.* *Ioan.* 2.

Helena Conſtantini mater, cùm crucem Domini loco ſuo reſtituit &c.

D. Hieronymus in Palestinam ſeneſcens venit, & Bethlehem, ad Chriſti Domini præſepe, in monaſterio, quod à Paula Romana exſtructum erat, cæleſtem quandam vitæ rationem inſtituit.

Olim (ait Euſeb.) & tempore Conſtantini, adſolebant Chriſtiani ſemel in vita, iter Hieroſolymitanum ſuſcipere. *Euſeb. lib.* 6.

Origeni moleſtum adire non poſſe.

Solebat Eccleſia primitiua, & Franciæ totiúſque Chriſtianiſmi Nobiles, ſe deuouere, & morti conſecrare, ad S. Sepulcri tutelam, & viarum ad illud ſecuritatem.

Nùnc quoque omnigenæ Chriſtiani, Latini, Græci, Armeni, Gregoriani, Neſtoriani, Iacobitæ, Syri, Indi, Nubici & Abaſſini, è quibus ſinguli ſua illîc habent lararia, aut ſacraria, magno ſumtu exſtructa, capellas alij vocant.

D. Hieron. in proœm. lib. 7. in Ezech. ep. ad Marcell. 17. & ad Paulinam 13. de frequentia, ex toto orbe, Hierosolymis peregrinantium, legatur.

Hebræi ipsi & Mahumetani visitant etiam templum Salomonis vel potius Muscheam cuiusdam Califæ.

Tamur-Han seu Tamerlanus ipse in patriam rediturus antè Hierosolymos reuisit ibíque octo aut 10. dies commoratus, antiquitatem vrbis & mirabilia illîc perpetrata, cum stupore demiratus est. Itáque eam tributis & præsidio militari liberauit.

D. Hieron. ep. ad Paulinam, quæ incipit: Bonus homo de thes.

Nùnc porrò *viæ Sion lugent, eo quòd non sit, qui veniat ad solemnitatem: Hæreditas nostra versa est ad alienos.*

A Christianis *princeps prouinciarum* aditur *sub tributo, aut adiri omninò non potest.*

Ah rem dolendam! Etsi enim *non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis benè vixisse laudandum est*, tamen turpe adiri non posse, nec benè victuris.

Turpiter Christianis sub tributo aditur.

O! quàm pudendum, Christianos pati, hæreditatem Christi sui, manibus Christomastigum, & canum Turcicorum vsurpari, teneri, atque ità custodiri, vt nisi medicatâ frugibus aureis offâ Cerberi illi soporentur, ab ipsis Christianis adiri non possit.

Ac! Hierusalem nostram, esse in pomorum j. Turcarum turbinatorum custodia! Visitari, lustrari non posse eam vrbem, in qua

qua vna olim ac sola, vero Deo sacrificare licuit Iudæis.

Quò ter annuè comitia totius Iudæorum gentis fieri iussum erat, illò singulos Christianos tutò ire non posse!

Non posse calcari, imò osculis adtingi loca illa in quibus redemti sumus.

Non posse à nobis adorari in loco vbi steterunt pedes eius.

Aut tributis sic licere, vt vires hostiúmque opes, nostris fractis augeamus, quibus & nos debellent, & nostra sacra æternùm obcupent!

Et, cùm *Dominis fundorum, in quibus sepultra fecerint, etiam post venditos fundos, adeundorum sepulcrorum* (autore Pomponio) *ius sit*, prisco more; Christianos *apotaphous* esse id est maiorũ, & Christi Domini ac Dei sui, sepulcris exutos, & hoc nullo studio reperundi! O imbelliam, & infamiam Christianorum!

Cœlius Rhodig. lib. 17. antiq. lect. cap. 19. ex Pomponio.

Ferax Deorũ terra, quem Dominũ tremit. &c.
Cuiúsque muros natus Amphion Ioue
Struxit, canoro saxa modulatu trahens,
In cuius vrbem non semel Diuûm parens,
Cælo relicto, venit, hæc quæ Cælites
Recepit, & quæ fecit, & (fas sit loqui)
Fortasse faciet, sordido premitur iugo.
Cadmæa proles, ciuis atque Ophionius,
Quo decidistis! tremitis ignauum exulem,

Senec. in Hercule furente.

Suis carentem finibus, nostris grauem!
Qui scelera terrâ, quique persequitur mari,
Ac sæua iustâ sceptra cōfregit manu, Christus
Nùnc seruienti similis, in membris suis &c.

Illā a Christianis possideri, ad pietatem prodesset.

Ah Christiani! quantò festior iucundiórque hîc vobis adfulgeret dies, si iàm pro Barbaris, vos Terræ Sanctæ imperium teneretis! Videretis videretis oculis, manúque tangeretis mirabilia, quæ etiam nunc his festis diebus illîc, alibi nusquàm, contingunt.

Videretis in templo S. Saluatoris, quod Armenij possident, lapidem illum ipsum, qui ab Angelo, ab ostio monumenti, mulierum gratia, reuolutus fuit.

Vitriacus pagin. 103. hist. Orientalis.

Videretis *Canonicos Ecclesiæ Resurrectionis Dominicæ speciali prærogatiua dicentes, & demonstrantes: Surrexit Dominus de (hoc) sepulcro.*

Idem ibid.
Idem ibid. pag. 127.

Videretis, *cum in Euangelio Paschali dicitur, (surrexit non est hîc:) Diaconum digito demonstrantem Dominicam sepulturam.*

Adrianus Roman. in theatro vrbium tit. Hierusalem.

Videretis stupendum *ignem de supernis, Sancto Sabbatho Paschæ, in Ecclesia Dominicæ Resurrectionis, descendere.* Hierosolymis enim *singulis annis, in hebdomada sancta, magnum illud cernitur miraculum noui luminis, dum lampades, quæ ardebant extinguuntur. Nam hora Resurrectionis Christi, iterum accenduntur in sacellis Christianorum,* aiunt testes fide digni.

Hodiè

Hodiè *adoraremus in loco, vbi steterunt pedes eius*. Christum enim vestigia in monte reliquisse dicit Beda.

Certè Sulpitius Seuerus Aquitanus rem stupendam memorat: *Helena mater Principis Constantini ---- vsa regni viribus, basilicam in loco Dominicæ Paßionis, & Resurrectionis, & Ascensionis constituit. Illud mirum, quòd locus ille, in quo postremùm institerant diuina vestigia, cùm in cælum Dominus nube sublatus est, continuari pauimento, cum reliqua stratorum parte, non potuit. Siquidem, quæcunque adplicabantur, insolens humana suscipere terra respueret, excußis in ora adponentium sæpè marmoribus. Quinetiam calcati Deo pulueris adeò perenne documentum est, vt vestigia impreßa cernantur. Et cùm quotidiè confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentiat: & eadem adhuc sui speciem, velut impreßis signata vestigijs, terra custodit.* *Sulpitius Seuerus sacra histor. lib. 2.*

His vestigijs instare, his ingredi liceret nobis, qui vestigijs alijs, id est moribus Christi insistere, & viuere gloriamur.

His, & mille alijs, visis, tactis, frui libertimè liceret nobis, si iàm Terra illa tàm Barbaros Dominos, nostrâ imbelliâ, non pateretur.

Proh scelus! litigamus de minimis, de glebula, & terræ puncto digladiamur, & de hæreditate illa Christi, & nostrà, tàm pre-

tiosa, ne somniamus quidem.

Res priuatas eásque profanas ferro flammáque repetimus, publicas sacrásque patimur impunè auferri & violari?

Virgil. 4. AEneid. *Non arma expedient, totóque ex orbe sequentur?* O Deus! ô Deus! *Venerunt gentes in hæreditatem tuam.*

Hic versus psalmi maxime quadrat in Saracenos & Turcas. Sed & *Polluerunt templum sanctum tuum*, imò templa sancta tua, quæ habuisti orbe ferè toto celeberrima.

Asaph scilicet, & Hieremias putarint pollutum Salomonis templum, quià *Viderint gentes ingressas sanctuarium tuum, de quibus præceperas, ne ingrederentur in Ecclesiam tuam*; quod Antiochus acceperit altare aureum, & omnia vasa eius, & comminuerit ea; quod ædificarit abominandum idolum desolationis super altare Dei, id est in templo statuam Ioui posuerit; Nos Christiani non putemus nostra polluta, in quibus Saraceni & Turcæ impuri, non modo pedem ad aliquot dies posuerint, sed iàm tot seculis cõstiterint? è quibus sacra omnia sustulerint? nonnulla bestijs obiecerint? quorum nonnulla in lupanaria verterint? in nonnulla, Christo exploso, Mahometem suum, scelerum abyssum, colendum intulerint!

Threm. 1.

4. Machab.

Quorũ miræ, in Christianorum templa, insolentiæ.

Si qui alij ô *Deus!* certè Saraceni ac Turcæ *Polluerunt templa sancta sua.*

Saraceni, sub Leone 4. & Ludouico Imp.

circiter

circiter annum Domini octingentesimum, cùm, capto iamdudum Hierosolymorum imperio, Romam obsedissent, inuentáque extra munitionem omnia flammis dedissent, Ecclesiam ipsam S. Petri in stabulum equorum conuerterunt, ac deinde funditùs euerterunt.

Philelpho autore, *Saladinus Terram Sanctam Christique domicilium spurcissimi Mahometi ganeo dicauit.* Franc. Philelph. epist. ad Carol. 7. Franc. Regem.

Constantinopolitani quid, imò quid non? ex aris haræ &c.

Æneam Syluium audi: *Templum Sophiæ* (inquit) *Iustiniani Cæsaris opus toto orbe famatum, & cui comparari alterum nequeat, nudatum sacra supellectile, ad omnes spurcitias,* (per Turcas victores scilicet) *patuit: ossa martyrum, quæ fuerant in illa Vrbe preciosissima, canibus obiecta & suibus. Sanctorum imagines, aut luto fœdatæ, aut ferro deletæ. Altaria diruta. In templis ipsis aut lupinaria meretricum facta, aut equorum stabula —— simulacrum Crucifixi, quem colimus, & verum Deum esse fatemur, tubis ac tympanis præeuntibus raptum ex Vrbe, hostes ad tentoria deferunt, sputo lutóque fœdant, & ad nostræ religionis irrisionem iterùm cruci adfigunt. Exin pileo, quem sartulum vocant, capiti eius imposito, corona vndique facta,* HIC EST (inquiunt) CHRISTIANORVM DEVS. *Tùm lapides lutúmque iactantes, miris* Æneas Sylu. hist. de Europa c. 7. Christopho. Richer. lib. 4. rerum Turc. consentit.

dehonestant modis.

Vide eundem lib. 1. ep. 380. sub finem. Item lib. 1. epist. 131. Vbi addit: Templa Dei nostri, Pseudoprophetæ traduntur, diuina altaria proferuntur &c.

Æn. Sylnius lib. 1. ep. 380. Idem alibi addit imaginem Virginis Matris stercore deturpatam &c.

Et vt ægriùs ferant Christiani, sciant ex eodem, *Templum Sophiæ* (Constantinop.) *nongentis quondam Sacerdotibus celebratum.* *Idem lib. 1. ep. 155.*

Templa cætera Christianorum tunc versa in loca sordida, & stabula equorum, anno à conditâ Constantinop. *M. CXXX. vel circa. Tantóque tempore pauloplури senior Roma steterat, quandò primùm à Gothis capta est, Athalaricus enim ab Vrbe condita M. CLXIV. Romã irrupit*, ait idem scriptor. vel, vt est in Glycæ supplemento, *Expugnata est 4. Calendas Quincti qui dies Martis erat anno M. CCCCLIII. vel, vt alij tradunt LII. quum obsidionem 54. dies tolerasset.* *Idem ibid.*

Constantinopolis excellentia multiplex. At hæc in qua vrbe? in noua illa Roma, in quarta illa sede Patriarchali, in sede Imperij, in vrbe illius Imperatoris, & ab illo Imperatore seu condita seu instaurata, & ab eius nomine dicta, qui primus Ecclesiæ erexit caput, tempestates persequutionum à Tyrannis excitatas serenauit, inopem locupletauit &c. in vrbe sapientiæ quondam totîus arce & domicilio, ad quam, vt olim Athe-

Athenas, sapientiæ studio vndique conuentum est, in vrbe quasi diuino monitu ædificata, quòd (vt ait Robertus Monachus) *Constantino dormienti adparuißet anus veste dissipata, petens ab eo vestem, qua indueretur, coopertu-ram, qua tegeretur, alimoniam, qua pasceretur*, id est, ciuitatem veterem instaurari. In vrbe, inquam, diuinitus instaurata: *Robert. Monach. lib. 2. hist. in fine.*

Glycâ enim teste, *quum Imperator planè diuinus vrbem, quæ ab ipsius nomine adpellaretur, condere instituisset: quúmque decreuisset ipse secum, hoc nomine, versus Occidentem proficisci, per quietem impulsus est, vt instituto priori relicto, iter aliud ingrederetur, quod Byzantium scilicet duceret. Quò factum est, vt circa Chalcedonem magno studio condendæ vrbi operam daret: sed irrito conatu, quòd nimirùm cælitùs impediretur. Nàm proditum est monumentis literarum, aquilas, instrumentis artificum & fabrorum Chalcedone surreptis, ea trans fretum deportata Byzantij deposuisse.* *Mich. Glyc. p. 4. annal.*

In vrbe (inquam) illa, quæ (vt ait Pius 2.) *tantum operum mirabilium, tantum armorum, tantum literarum, tantum gloriæ habuit, vt omnium ciuitatum damna hæc sola vrbs ---- resarcire videretur* (ob quam) *post pacem cum Gratiano factam, & à Theodosio confirmatam, veniens Constantinopolim Rex Gothorum Athenaricus, cum regiæ vrbis amplitudinem, splendorémque contemplatus esset, veluti stupens dixisse fertur: verè Deus terrenus est Imperator hic habitans, & quisquis* *Æn. Syluius l. b. 1. ep. 131.*

quisquis aduersus eum manus mouerit, ipse sui sanguinis reus existit.

Aristot. in Rhet.

In ea vrbe, qua amissa iure id dixeris, quod subactis à Barbaris Lacædæmonijs Leptines dixit de Græcia. Græciam esse tùm factam *tousphalmon*, id est, luscam, sentiens Atticam & Laconicam esse cordatissimas Græciæ partes. Christianismum, amissa Constantinopoli, luscam videri qui non videt, nihil videt.

Rhodi verò & ad Rhodum quid ijdem Turcæ? quàm fædè Rhodum & Rosam illam, à capulo rosæ illîc sub ædificationem inuento, ità dictam, Rhodum colosso illo 70. cubitis sublimi, ac soli dicato celeberrimam, equitatu Christiano olim florentissimam; Rosam, inquam, illam, corollę Christianę decus quàm turpiter polluerunt?

In Rhodi obsidione, Solymannus super verticem Phileremi montis sacello Deiparę Virginis in balneas, sedémque arcanarum libidinum, & monstruosi concubitûs mutato, arcem erexit.

Captâ vrbe templum præcipuum Mahometi suo, Christi nostri cultu exploso, dedicauit, etiam contra pacta, vt mihi legisse videor.

Sic, sic Deus *venerunt Gentes* illæ, proh pudor! *in hæriditatem* quondam *tuam, polluerunt templa sancta tua, posuerunt Hierusalem in pomorum*

morum custodiam, & non est qui recogitet corde.

Asaph vnius templi profanationem vnâ cum Hieremiâ sic doluerint, nos tam multorum ne sentiamus quidem?

III.

¶ *De templorum spiritalium pollutione.*

QVID verò dicam de templis alijs nobilioribus? quàm fœde illa etiam iidem polluerint? de Animis & corporibus Christianorum loquor.

Habet habet enim Deus (Christiani mei carissimi) noster, templa materiatis istis nobiliora, si nescitis. Templa Dei viua, homines probi.

Christianos suos velut templa inhabitat.

An ignoratis quia corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti? Ait Apost.

Templum Dei sanctum est, quod estis Vos.

Vos enim estis templũ Dei sicut dicit Deus, Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos: & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. 2. Cor 6.

Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 1. Ioan. 4.

Anima iusti, sedes est sapientiæ. Sap.

Ecce ego venio, & habitabo in medio tui.

Lactant. *Firmius & incorruptibilius templum est, pectus humanum.* Lactan. lib. 1. instit. c. 20.

Idem. *Dei templum est, non lapides aut lutum, sed* Idem lib. 5. c.8.

ſed homo ipſe, qui figuram dei geſtat. Quod templum non auro, & gemmarum donis corruptibilibus, ſed æternis virtutum muneribus ornatur.

Idem lib. 6. c. 25. Idem. *Non in templis manufactis præcipuè habitat.*

Sed & Chriſtus ipſe *de templo corporis ſui,* ait: *Soluite templum hoc,* vt in *quo inhabitabat plenitudo diuinitatis corporaliter.*

Et cur, Et verò, an non templa Dei homines, in quibus tot imagines ac ſimulacra Dei? Intellectus, voluntas &c. virtutes?

Non templa, & quidem ſancta illæ animæ illáque corpora, quæ in Baptiſmo dedicantur? quæ, templorum inſtar, aliquoties inunguntur? in quibus corporaliter etiam inhabitat plenitudo diuinatis, per Sacramentum altaris, & per gratiam? *Si quis enim diligit me &c. Pater meus diliget eum, & ad eum* Ioan. 14. *veniemus, & manſionem apud eum faciemus,* ait Chriſtus.

Non templa, quę à nullo temerantur, quem non diſperdat deus?

Illa autem templa, quî & quàm fædè polluerint Saraceni ac Turcę, neque vos credere, nec ego, aut alius quiſquam, ſatis pro indignitate, eloqui poſſit.

Quomodo a Turcis polluta, *Polluerunt templum ſanctum tuum* rationale, animatum, libidinibus ſcilicet in omnem ſexum ætatémque exercitis, quas ſolet victor Turcus agere, victus pati. Non ſexennis vel

Annis, ſepten-

ſeptennis ætas captiuos vtriuſque ſexus à vi defendit.

Violant Virgines, matronas, etiàm ante ora patrum, & maritorum; ſed & maſculos captiuos indomitæ libidinis homines ſibi ſubſternunt. *Ex Barthol. Georgieniz. c. 6. & 7.*

In foro venales nudóſque exponunt viros fæmináſque, videndos & corã omnibus contrectandos etiàm quà pudor Naturæ debetur: nudos currere, ſaltare iubent, vt vitia, ſexus, ætas, corruptio vel integritas pateant.

Polluerunt viua templa vitia gentis illîus paulatim infuſa; polluerunt fœdæ illæ hirci Mahometi leges libidinoſiſſimæ, ſalaciſſimæ &c. Moribus.

Polluerunt, permiſſis vxoribus quatuor legitimis: permiſſo repudio, permiſſis repudiatarum nuptijs cum alijs. Legibus tur pessimis, *Vitriacus pag. 17.*

Polluerunt, permiſſo iàm cum maſculis quam cum fæminis, præpoſtero & infando concubitu. *In Alcorano cap. de baca.*

Polluerunt, conſtitutis, in templo & choro cordis, pro Deo vero, Dæmonijs & illorum Cacangelo Mahomete, & vitijs omnigenis, abominatione deſolationis poſitâ in loco ſancto, lararibus in lupanaria conuerſis.

Polluerunt, paradiſo excogitato, comeſſationibus, libidinibus, luxu veſtium, hortorúmque &c referti ſſimo. *In Alcorano Zoara 65.*

Polluerunt templum ſanctum tuum, corru-

perunt

perunt Christianos tuos sordibus vitiorum inauditis.

Nàm, quod aliud ouum abs malo illo coruo expectes, qui etiám ausus iactare, pollere se, diuino munere, vi generandi supra homines 40. vt scribit Episcop. Achonensis.

Episcop. Achonens. lib. 1. histor. Orientalis Ecclesiæ c. 5. Vitriacus pag. 15. In Alcorano azoara 42. & Vitriac. pag. 16.

Qui quindecim duxit Vxores, exceptis ancillis & concubinis, vt ait Vitriacus?

Qui ventitabat, Deum secum internuntio Gabrielis, dispensâsse de fornicatione, & adulterio, ídque cum se vno tantùm, vt prophetas scilicet, & filios virtutis, ad cultum Dei generaret?

Qui vinolentijs, libidinibúsque intemperatis, in morbum comitialem iuciderat, homo AntiChristo, aut par aut exitialior?

Quo imbecilliores Christiani, hic dissimulantes.

Et nos ad ista non flemus, non eiulamus cum Prophetâ, non dicimus: *Deus Venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum!*

Plangimus, pugnamus, amissis temporarijs istis, vastatis agellis nostris; hæreditate autem Christi occupat, proculcatis, profanatísque eius vtriusque generis templis, ridemus frænetici, & arma ponimus! cum vitulis marinis, cum Druso dormimus, lethargúmque pati videmur.

Hic hîc solicitos vnicè omnes esse oportebat, niti precibus, armis &c. ad adferendam Christi, & nostram, hæreditatem in liberta-

bertatem, à tàm exitiosa seruitute talium Barbarorum.

Flebilior, flebilior animę ruina, quàm vrbis, imò orbis vnius.

Quin igitur dicimus cum Dauide, *Si dedero somnũ oculis meis, & palbebris meis dormitationem, donec inueniam locum Domini tabernaculum Dei Iacob?* Psalm.

Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea.

Quin vt Achabas olim ad seruos sociũque Regem, sic nos inuicem dicimus, *Ignoratis quod nostra sit Ramoth-Galaad? Et negligimus tollere eam de manu Regis Syriæ? Et ait ad Iosaphat (qui ad se venerat scilicet) Veniésne mecum ad prælian-dum in Ramoth-Galaad? Veni mecum. Dixitque Iosaphat ad Regem Israel: Vt ego, & tu: sicut populus tuus, sic & populus meus, tecúmque erimus in bello q.d. Equi mei equi tui &c.* 3. Reg. 22. & 2. Paral. c. 18.

Quid obstet, quò minus ità inuicem se Reges instigent, & hùc coniurent.

Quin ait filius liberæ, id est Christianus alter alteri, de filio ancillæ j. Agareno, quod Sara olim suo Abrahę, de Agar, & Ismaële, *Ecce ancillam & filium eius; Non enim erit hæres filius ancillæ, cum filio liberæ?* Nàm nos ne hæredes quidem Terræ Sanctæ cum Turcâ sumus. Totam ille vnus tenet. Gen.

Vah Reges! vah Principes! vah homines nostros, iræ tàm nimiæ, quàm nullius! nimię,

in

Alibi temere sanguinis sui prodigi,

in suos; nullius, in exteros & barbaros! nimiæ, in causâ suâ, in verbulo vindicando, in glebâ vix vna repetundâ; nullius in causis Dei. *quas relinquimus, & ad nostra quotidiè lucra vacamus*: Imperia, & regna tam multa, tam vasta, tàm opulenta, Deique nostri vetus peculium, postliminiò ipsi Christo reducere negligimus.

D. Gregor. homil. in Euang.

Lucan. lib. 1. pharsal.

Quis furor, ô Reges, quæ tanta licentia ferri,
Gentibus inuisis Latium præbere cruorem?
Cumque superba foret Babylon spoliãda trophæis
Ausoniis:
Bella geri placuit nullos habitura triumphos.
Heu! quantum terræ potuit, pelagique parari
Hoc, quem ciuiles hauserunt, sanguine, dextræ!
Sub iuga iam Seres, iam barbarus isset Araxes,
Et gens, si qua iacet nascenti conscia Nilo.

Qui huc vtilius impenderetur.

** Ex lib. Nauis Stultorum tit. 96.*

** Nam diis æquales tangit Vesania mentes?*
Aut quidnam fidei patitur Respub. tanta
Detrimenta sacræ? Ferus hostis ad ostia tendit
Iam Tyberina viam: vixque est, qui Marte resistat,
Aut studio, aut opibus.

** Georgius Sabinus lib. 4. eleg. eleg. 1.*

** Dicite, summa quibus rerum concessa potestas,*
Vestra quis ignauus pectora torpor habet?
Quòd non indomitum bello compescitis hostem,
Cuius Pannoniam dextera cæde replet?

Pudeat, qui se Hierosolymorum Reges, aut hæredes iustos ex Christianis scribunt, ne glebulam quidem illîc possidere, sed ne quidem meditari, quibus illos ex hoste receptos

ptos sibi & Christo adserant!

Quis Deus creassit nobis vel nouos Tamerlanos, qui & *capiant*, & caueà rursus includant *nobis* non *Vulpes istas paruulas*, sed feras sed beluas infrænes, *quæ demoliuntur Vineas* Domini Sabaoth? imò Dracones istos horti Hesperidum id est terræ promissionis inexoratos custodes? Gryphes istos Hyperboreos, aurum nostrum & thesaurum Christianorum, S. Christi sepulcrum, custodientes. — Votum Oratoris.

Quis Gothefridos, Eustathios, Balduinos fratres, tria Bulionicæ domûs decora, è Cœlo hùc releget, qui Musulmannis illis egregie flagellatis, iterùm erepiant, & Christianis adserant Sanctam illam Terram, ac Ciuitatem!

Quàm id Sacrum, iustúmque bellum! quàm vtile! quàm necessarium vniuersis!

PHILIPPICÆ III.

NOTÆ.

Thema. *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum &c.*

FACTA repetitione vsitatâ, ità propositum.

Dicēdum hodie mihi,
1. *De caussis toties captæ Vrbis illîus, ac Gentis;*
2. *De caussis alienationis illîus à Christianis;*
3. *Cur eadem in manibus potiùs Mahumetanorum, quàm merè Paganorum (vt vocant.)* AVE.

I.

¶ *De caussis toties captæ urbis Ierosolym. ac Gentis.*

Hierosolymos & Iudæos, adflixerunt quatuor:

RECENSITIS tot captiuitatibus vrbis Gentisque illîus vnîus, meritò quæsierit aliquis, eccur Deus ità sæuus in suos, & in sua?

Virgil. 1. Æneid.

Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troës potuere, quibus tot funera passis,
Cunctus, ob Italiam, terrarum clauditur orbis?

an gra-

------- an gratis Abrami *euertere gentem* Ouid. 4. de Ponto.
Immeritam visum Superis?
An *ludit in humanis diuina potentia rebus?*
Absit.

Causę quatuor mihi:
1. *Peccata,*
2. *Terræ Sanctitas,*
3. *Priuatus Gentis amor,*
4. *Instructio eiusdem,*

** 1. *Peccata*, communis malorum omnium fons vniuersis. 1. Peccata.

Capti sumus in iniquitatibus nostris.

Gratia *Potentes, potenter tormenta patiuntur*, si vitijs vincuntur.

Sed ea vrbs, & gens ad non peccandum erat potentissima, legibus scilicet à Deo illi vni datis, *Non enim fecit taliter omni nationi & iudicia sua non manifestauit eis,*) prophetis, Sapientibus, & Scribis agminatim & indies missis, & gratia Dei speciali circumuallante roborata. Sed & nihilominùs extitêre in ea multi, qui variè in Deum peccauerunt. Igitur meritò hinc illæ lachrymæ vberiores, & frequentiores: hinc potenter tormenta passa tam sæpè.

Israel, si in via Dei ambulâsses, habitasses vtique in pace super terram.

Oraculum: *Principatus sensati, stabilis erit*, ergò insensati instabilis: est autem omnis peccans ignorans, & insensatus; Eccles. 10.

Peccatum peccauit Ierusalem, propterea insta- Hierem.

 bilis

Hierem. *bilis facta est*, ait Propheta.

Ennius apud Cic. Optimè Ennius: *Moribus antiquis, res stat Romana, virisque.*

Non quàm firmi muri, sed quàm probi mores ciuitatis adtendendum.

Eccles. 10. *Regnum à gente in gentem, transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.*

Iudith 5. Achior nescio quis Dux omnium filiorum Ammon etiàm id vidit, qui sic ad Holofernem in comitijs Ducum: *Nunc ergò mi Domine, perquire, si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum: & ascendemus ad illos, quoniàm tradens tradet illos Deus eorum tibi, & subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ. Si verò non est offensio populi huius coràm Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniàm Deus eorum defendet illos, & erimus in obprobrium vniuersæ terræ.*

Apophthegm. Gallicorum libello pag. 72. Ex Anglorum Ducibus quispiam scitissimè etiàm id ostendit, qui (Caleto sub Carolo 7. Francorum Rege amisso) iàm celocem ingressurus, & parans reditum in Angliam, garrulo nescio cui ex Gallis quæritanti, ecquandò redituri essent Angli in Galliam bellaturi, ità dicitur respondisse: *Cùm peccata Gallorum, id est vestra, erunt nostris grauiora.*

Num. 25. Balaamo id adeò verum visum est, vt suaserit objici ante aciem mulieres forma integras,

gras, quæ Israelitas in libidinem raperent, & sic Deo irritato perderent.

Peccatis igitur vrgentibus Iudæi toties ceciderunt.

Ergò dolore alterius discite carere vestro: *Discite iustitiam moniti, & non temnere Diuos.* *Virgil. 6. AEneid.* Domi & sub ficu sua is mansurus: *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam.* *Psalm.*

Sedulò autem cuncta libranti mihi obcurrunt quatuor inprimis peccatorum genera, quæ Iudæos perdiderunt.

Scopuli Iudæorum 4.
1. *Idolatria,*
2. *Feritas in seruos Dei;* *Amos 2.*
3. *Luxus,*
4. *Christi parricidium.*

Super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non conuertam eum: pro eo quòd vendidit pro argento iustum, & pauperem pro calceamentis, id est pretio vilissimo Christum perdiderit.

* 1. *Idolatria*, in quàm sæpè illi lapsi ac relapsi, nunc Baali, nunc Idolo maloch, nunc Astarotho &c. immolantes. Idolatria.

Achior Dux Ammonitarum de Iudæis ità in consessu ducum Holoseruis: *Quotiescumque Iudæi præter ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in obprobrium.* *Iudith 5.*

* 2. *Feritas in seruos dei.* Barbaries, 4. Reg. 21. & 24.

Manasse temporibus, repleta legitur

Hierusalem sanguine Prophetarum vsque ad os:

3. Reg. Sub Achabo, Eliæ nusquàm locus satis tutus.

3. Reg. 22. Achabi vox de Michea: *Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum.*

Quem prophetarum non sunt persequuti Patres vestri?

Matth. 23. *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt &c.*

Catenatam illi & in vinculis habebant veritatem: Veritatem eloqui tum capitale erat; vt nunc apud multos, à quibus, veritas vix aliud impetrat, quàm odjum aut exilium, aut silentij indictionem. *Veritas odium parit.*

Terent. in Andria, act. 1. Scen. 1.

Faxit deus, ne *Silentium Amyclas* nostras *perdat!* ne dum dicimus *Qui nescit dissimulare, nescit regnare*; seruitutem perpetuam, spe regni vanissimâ, incurramus!

Verbum dei non esto adligatum.

Ioannes, etiam *in vinculis*, suos doceat, & ad Christum mittat; &, si nondum in vinculis, vinculorum tamen metu, non taceat.

Timeant verò delicatuli isti, qui nec Elias, nec Baptistas audire patienter possunt, ne silentij plusquam Pythagorei crebris in Christi Oratores indictionibus, & Æacidinis minis, se, suos, Rémque pub. perdant, Iudæorum instar.

* 3. *Luxus* { Regum / Plebis } Luxus,

Ezechias certè rem amisit quòd gazas, thesaurósque regios Berodach Regis Babyloniorum legatis ostentâsset.

Sic enim ait Esaias Ezechiæ: *Quid dixerunt viri isti, aut vnde venerunt ad te? ... Quid viderunt in domo tuâ? Ait Ezechias, quæcunque, sunt in domo mea, viderunt, nihil est quod non monstrauerim eis in thesauris meis: Dixit itaque Esaias Ezechiæ, Audi sermonem Domini, Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui, vsque in diem hanc, in Babylonem &c.* 4. Reg. 20.

Sed & plebecula luxui deditissima; fæminę, *filiæ eorum compositæ, circumornatæ, vt similitudo templi.* Psalm.

Hinc Isai: *Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant: ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant: decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamenta calceamentorum, & lunulas, & torques & monilia, & armillas & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra. Et erit pro suaui odore fœtor,* Isai. 3.

& pro Zona funiculus, & pro crispanti crine, caluitium, & pro fasciâ pectorali, cilicium. Pulcerrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio.

Erit pro Zona funiculus vel restis, quâ tu te misera præcingas, vel quâ te hostis aut caudæ æquinæ, aut currui adligatam seruituram aut vænum ituram trahat, ne de catenis loquar.

Vbi obiter de se cogitent Christiani ne quorum fastum luxúmque imitantur, etiam subeant vltionem.

An qui Iudęis ramis naturalibus non pepercit, parciturus insititijs ramis, j. Christianis?

Imò: an qui sic vltus ab hac causa tyrones perfectionis, leuiùs ad perfectionem vocatós habiturus? Scilicet.

Parricidij Christi.

* 4 *Christi parricidum*, & eiusdem coram Pilato eiuratio.

Et non erit eius populus, qui eum negaturus est.

Hieron. ep. ad Dardanum, quæ incipit: Quæris Dardane &c.

D. Hiero. Memento Iudaæ vocis parentum tuorũ, Sanguis eius super nos & super filios nostros. Et, venite occidamus eũ, nostra erit hæreditas. Et, Non habemus Regem, nisi Cæsarẽ. Habes quod elegisti, vsque ad finem mundi seruiturus es Cæsari, donec gentium introeat plenitudo, & sit omnis Israel salmus fiet, & qui quondam erat in capite, vertatur in caudam.

Vide ibi pulcra.

Luc.

LUC. 21. *Hierusalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora nationum.*

Christum crucifixisse imprimis Iudæos perdidit.

Non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.

Sanguis scilicet Prophetarum eos solum vertere coegerit, non etiam sanguis Regis Prophetarum?

Numquam illi deinceps Hierosolymorum Domini futuri.

Iam 1604. annorum exilium passis nulla spes, ad Mundi vsque finem, in sua remigrandi, adfulgebit.

* 2. *Terræ Sanctitas*, etiam depopulationes illas fecit; dum sordes ferre non potest. Terræ Sanctitas scelera non ferentis;

Moysi accedenti & visurienti rubum ignitum ait Dominus: Ne *appropies huc: solue calceamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo stas, terra sancta est,* Exod. 3.

Hierusalem sancta & aliquod Cœli empyrei simulacrum. Vtrobique enim nihil inquinatum admittitur. Apoc.

Quæcunque, in veteri lege, vmbram aliquam sacrarum rerum futurarum habebant, pro sacris habebantur, neque impunè contingebantur, vt patet in percussione Ozę, ab adtactu arcæ fœderis indigno. 2. Reg. 6.

At Hierusalem sedis beatorum figura fuit: Igitur pro sacrâ habenda fuit, neque impunè

impunè peccatis polluenda.

Vti mare cadauera non sustinet, sed mox ad littus adpellit, & velut euomit; sic Terra, & Vrbs illa, Sanctæ dedignantur incolas peccatores. Audire non vult, *Bona terra, mala gente.*

Scilicet, pecatores sunt Sanctæ illius *telluris inutile pondus*, non tantùm, sed & importabile.

Horat.

Eiectus est quisquis ex populis, *in terrâ Sanctorum iniqua gessit*, vti è Salomonis templo nundinatores columbarum &c.

Dei prouidentiâ, neque Hierusalem neque Palestina solitaria vnquàm, aut incolis deserta omninò, sed vnis eiectis alij suffecti, malis boni, aut non pariter mali.

Chananæi illîc inter primos constitêre, quamdiu benè, beatéque vixêre; eiecti cùm malè, in quorum locum Iudæi, ex seruitute Ægypti educti, subiêre, coloniæ melioris instar.

Israel etiàm deinde *impinguatus, incrassatus, dilatatus recalcitrauit?* etiàm eiectus est, & in manus nunc Sesaci Regis Ægypti, nunc magni Nabuchodonozoris, nunc Antiochi, nunc Titi &c traditus, tamen post expiata exilio peccata reuersurus.

Deuter. 30.

Vox Dei: *Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde retrahet te Dominus Deus tuus, & adsumet atque introducet in terram quam possederunt patres*

tres tui, vbi aut de primis captiuitatibus tantum aut certè secundum spiritum sermo est.

Aliquando in meditullio ac visceribus Terræ eiusdem, hostis relictus, ab eadem caussa.

Iud. 2. *Quia irritum fecit gens ista pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, & vocem meam audire contemsit, ego non delebo gentes, quas dimisit Iosue, & mortuus est.*

* 3, *Priuatus Gentis amor*, quam impunitate perire noluit. 3. Amor Dei in illos. *Apoc. 3.*

Quem diligo, castigo.

Flagellat Deus omnem filium, quem recipit. *Psalm. 88.*

Visitabo in virga iniq. tuorum, & in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam.

Lactant. *Ex hoc intelligimus nos deo esse curæ, quoniam cùm peccamus, irascitur.* *Lact. lib. 5. instit. c. 23.*

Perissent multi, *nisi perissent*, quod de se aiebat Themistocles, apud Xerxem exul fœlicissimus. *Plut. in vita Themist.*

* 4. *Instructio Iudæorum*, id est, vt castigatione erudirentur, & ad fidem velut vi intrare compellerentur. 4. *Instruendi studium.*

Populus ille ceruicis durissimæ ità tandem flagello erudiendus.

Hùc gladius legi adpensus.

Vt quidam pugnis & malleis facetè dicuntur inculcare verba vitæ: sic & Deus agere cum Iudæis dici possit.

Et quià

Et quià Iudæi terrena ſemper ſomniant, cogendi ſunt vel tandem non de terrena ſua Hieroſolyma ſemper cogitare; in quam nulla ſpes redeundi adfulgeat, ſed de cœleſti, ad quam vtrique inuitamur.

Arcendi ab vbere lactiſugæ illi ſenes, & ad cibi ſolidioris vſum fame & neceſſitate adducendi.

Sperauêre illi ſemper, nullam captiuitatem tantam fore, à qua non ſint poſt aliquot annos ad ſua reuerſuri, Domini Dei promiſſis iſtis innixi, *Si ad cardines cæli fueris diſsipatus, inde retrahet te Dominus Deus tuus &c.*

Deut. 30. ſup.

Et viderunt ſanè aliquoties ità præſtitum, iuxta literam ſonúmque verborum.

Et ſæpè illis promiſſum, Meſſiam aliquem venturum, qui ſaluaret, & res eorum amplificaret &c. *Citò veniet, & ſaluabit vos*, quòd quià, ſenſo illorum, non præſtitit Chriſtus, cuius regnum neç erat neque adparebat ex hoc mundo, ideò illum non recepêre, & alium ſperare non deſiſtunt.

Vt verò Meſſiam ſpiritu non litera recipiant, fallíque ſe aliquando animaduertant, dum liberatorem corporum ſperant, tot ſeculis ab ſuis Hieroſolymis exulare coguntur, nulla interim ſpe adfulgente remigrandi.

Ineptiores quotidiè ad reditum in ſuam Hieru-

Hierusalem terrenam fiunt, vt cœlestem intrent.

Hieremias insinuare id iussus: *Conteres lagunculam in oculis virorum, qui ibunt tecum. Et dices ad eos. Hæc dicit Dominus exercituum: sic conteram populum istum, & ciuitatem istam: sicut conteritur vas figuli, quod non poterit vltrà instaurari*, id est, etsi muri instaurentur, non tamen ciuitas, id est, ciuium vnitas meris Iudæis constans, coibit. Hierem. 19.

II.

¶ *De causis alienatæ Hierosolymæ à Christianis.*

CHRISTIANI Iudæis eiectis subrogati diu Hierosolymos tenuerunt, aliquoties amiserunt, amissos aliquoties receperunt; tandem vltimùm, sub Saladino seu Aladino, discordijs quidem suis, sed tamen non sine numine Diuûm, perdiderunt. Sed & Hierosolymos Christianis abstulere peccata.

Qui ibidem seu Canonici, seu Religiosi vitam nunc agunt, aut illuc tendunt, tributum pendunt.

PP. Franciscanos habere Conuentum in vrbe ipsa, & custodes esse Sepulcri Dominici, vulgatum est, tributo (vt ferunt) Regum Catholicorum.

Alterum ijdem habere dicuntur in Bethlehem, ad presepe.

Quis-

Quiſquis tamen illîc ex Chriſtianis, nemo vt Dominus,ſed vt tributarius, proh dolor! Muſulmannorum.

Cauſas ablati nobis tanti theſauri ſi quæris, eædem feré mihi cum ſuperioribus, è quibus aliquæ à culpâ noſtrâ, aliæ à beneficio Dei. Nunc de primis à culpâ noſtrâ.

Hieroſolymos nobis perdiderunt, noſtra
1. *Peccata,*
2. *Auaritia,*
3. *Simonia,*
4. *Diſcordia.*

* 1. *Peccata,* quæ vt Iudæos primùm deindé Chriſtianos expulêre.

Si adeò terra ſancta, vt ne Chananęos quidem, nec Iudæos improbos ferre potuerit, quî tulerit Chriſtianos, ſceleroſos, ad perfectiora vocatos?

Si terra ſancta ante Chriſtum natum, quam ſancta poſt illum ibi natum, ibi paſſum?

De terra illâ iure dixeris illud Zachariæ: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei,* cuſtoditur enim vt pupilla oculi, tenerriméque diligitur. Charior eſt Deo oculis ipſis, imò & pupillâ oculorum. Zachar. 2.

Vt pupilla oculi nullum ſeu puluiſculum, ſeu atomū tolerat patienter, eijci enim illum mòx vult, aut exſufflari; ità nec illa terra vllum ſcelus.

Emphaticum eſt illud: *In terrâ Sanctorum iniqua*

qua gessit:

Et illud: *Dilectus meus, in domo meâ, opera-est scelera multa.*

Item: *Domum meam, domum orationis feci-s speluncam latronum.* Matth. 21.

Itáque, quantisper Christiani Christianè ixerunt, Terrâ Sanctâ tantisper constitêre: uamprimùm degenerârunt, eiecti sunt ho-ibus vrgentibus cum magnis Dijs.

Exsufflati illi instar sordium ex illa pupilla oculi tenellula.

Speciatim verò, quæ sequuntur.

* 1. *Auaritia.* Heraclium enim Impera-torem, illum, qui crucem Christi aliquandò, quam Persæ captis Hierosolymis cum reliqua præda auexerunt, redditam humeris tulit, & collocauit in loco, vbi fuerat prius Christo constituta (quo in opere, egregiè vestium luxus damnatus est, dùm regium habitum coactus est Rex deponere, plebeiũ induere) historicorum plerique scribunt, victo Chosroe vel Cosdroa, illò auaritiæ prolapsum tandem esse, vt populos tributis premeret, neque interim stipendia daret Arabibus, Saracenis tunc commilitonibus Christianorum, itaque effectum, vt ijdem, (in quibus & Mahometes fuit) ab illo deficerent, odia exercerent, rebellarent, prædas agerent &c. &, quod rei caput, à fide Catholica discederent. Auaritia.

Iniu-

Iniuriosa res, militi, post sudores, imò post sanguinem sudatum, negare mensium multorum stipendium, quod sutori, domi tutam operam tibi danti vel vnum diem, retinuisse, dicitur in cælum clamitare. &c.

Adcessit ad iniuriam contumelia.

Siue enim spado quidam, siue (vt alij) Quæstores & ærarij prefecti, certè munera, togas, & stipendia reliquis militibus partientes, Saracenis belli socijs negauêre; sed & canes appellauêre q. d. *Canailles*; *racaille*.

Franc. Philelph. ep. ad Carolum 7. Franc. Regem.

Fr. Philelphus mihi autor, qui & addit: *Nàm Sarrhaceni ipsi, quasi Carrhaceni, apud Arabas quoque habiti erant infames.*

Contumeliarum,

Irritati igitur illi defecerunt, totámque gentem Sarracenorum concitârunt; Mahometus ipse suos Arabes, & ijs vt iàm magnæ famæ, magis quàm bonæ, Ducem se præbuit.

Vide Philip. Lonicerum chronicorum Turc. to. 1. Ludo. Vives lib. 2. de cõcordia in fine.

Viues meus sic habet: *Mahumetes erat Christianus miles in bello Persico sub Heraclio, & Arabes, quos in suam opinionem pertraxit, maximâ ex parte Christiani. Sed Arabes odio Heraclij, & Græcorum, & Latinorum, qui sub illo merebant, non dubitârunt ab ijs discedere.* Itàque deinde sibi militantes, loca varia Christianis eripuerunt, & in eis, sub Heraclio, ipsos Hierosolymos, quos 409. annis tenuerunt, teste ipso Bolionio.

Gothef. Bolionius ep. ad Boemundũ Antiochiæ Regẽ.

Auaritia ergo Imperatoris, & Quæstorũ

contu.

contumelia rempub. perdidit:

Sermo durus suscitat furorem, scilicet, vti *mollis frangit iram.* *Vide Vincent. in spec. hist. lib. 23. c. 30.*

Adde alia eiusdem Heraclij peccata. Nàm Monotheletam factum esse illum scribunt aliqui; auersúmque à fide ab Anastasio quodam Iacobitarum Patriarcha.

Michaëlus Glycas ità scribit: *Secundum hæc* (victo scilicet Chosroe) *per Athanasium Iacobitarum, & Sergium Constantinopolis Patriarchas, dolo circumscriptus in Monotheletarum sectam prolapsus est*, vnã tantùm in Christo naturam constituentium. *Glycas p. 4. annal.*

Insuper, ingens flagitium, fratris filia sibi iuncta, perpetrauerat, vndè & veretrũ eius inuersum vrinam sursùm in faciem eiaculabatur, teste Glyca. Libidinis, *Glycas ibid.*

Ab his ferè causis, rebellio Saracenorum, & tandem captiuitas Hierosolymorum, totiúsque imperio accisio.

* 3. *Simonia* iterùm receptam perdidit. Nàm Hierosolymos, Ducibus Gothefrido Bulionio, Balduino Comite Flandriæ, & aliquot Franciæ Angliæque proceribus, vi receptos tenuimus vno propè seculo quidem, sed tandem, quoniam *omnes diligebant munera, sequebantur retributiones*, & auferentes claues Simoni Petro, eas Simoni Mago tradebant, dicebántque Iudæ instar: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* & Simoniæ,

 quoniàm

quoniàm discordiæ animos principum discciderant, Saladini armis rursùm amisimus.

Dissensionum,

* 4. *Discordia* etiàm tùm adcesserat, quæ summa semper euertit.

Vitriacus hist. Orient. pag. 250. & 251.

Vitriaco enim autore, *Saracenis iam valdè confusis, & perterritis, & iam non solùm regno Hierosolymitano, sed & magna parte terrarum suarum cessuris* (multo iàm post tempora Gothefridi scilicet) *facta est contentio inter Principes venantes propriam gloriam suam, & quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, inuicem detrahendo, inuidendo, adeò quòd plerumque quando Rex Francorum contra ciuitatem adsultus vna parte faceret, Rex Angliæ, ne ciuitatem impugnarent, suis inhibebat. Quotquot autem de Principibus & Baronibus Franciæ, muneribus, vel promissionibus allicere poterat, latenter adtrahebat, & in partem suam inclinabat. Vndè Rex Franciæ commotus, & maximè, quia ægritudine quadam laborabat, relicto Duce Burgundiæ cum parte exercitus, loco sui, statim post captionem Acconensis ciuitatis, recessit.*

Prætereà, litigatum de regno sceptróque tàm domi, quàm foris.

Domi,

Domi, hoc est Ierosolymis, inter Guidonem & Raymundum. Itaque Guido Saladinum, ex Ægypto, ad belli societatem aduocauit, à quo rebus suis fraudulenter intento, & ipse tandem obpressus est, regnóque Hierosolymitano finem dedit.

Foris

Foris. Nàm Saladino Terram-sanctam grauiter infestante, sub Balduino 4. Hieros. Rege, Fridericus Romanam Ecclesiam durissimé exercebat, totámque Italiam, flammâ ferróque vastabat anno 1174.

Forìs. *De Bry fratres lib. rerū Ottomannicarum cap. 22.*

Ità, *Nostris peccatis barbari fortes fiunt, nostris vitijs Romanus superatur exercitus, & quasi non hæc sufficerent, cladibus plus penè bella ciuilia, quàm hostilis mucro consumsit. Infœlices nos, qui tantum displicemus Deo, vt per rabiem barbarorum, illius in nos ira deseuiat.*

D. Hieron. in epitaph. Nepotiani ad Heliod.

Me tibi posse rapi, non vis effecerat hostis.
Imò tuum vitium, quià tot tua crimina vidi,
Rapta rapi volui, ait Crux Christi.

Apud Ganifredum de prosopopœia.

Non illi vestram ignauiam contemsere, nec suæ virtuti confisi sunt. Quippe toties fusi, fugatique, castris exuti, agro mulctati, sub iuga missi, & se & vos nouere Discordia ordinū est venenū vrbis huius.

Apud Liuium vox T. Q. Capitolini quartum Cos. ad pop. Rom.

Hæc ergó Ierosolymos imprimis Christianis abstulerunt.

* *Abstulit* verò illos etiàm nobis Deus, aut auferri est passus, vti beneficus & misericors Iudex.

Abstulit & nobis illos Dei clementia,

In beneficijs Dei numeranda.
1. *Contemtus præuentio,*
2. *Eleuatio peccati,*
3. *Pigritiæ discußio,*
4. *Mentis erectio,*
5. *Exemplum.*

* 1. *Contemtus præuentio*, subtractione rei nimium familiaris.

1. Præueniens contemtum, qui a familiaritate nimia

Vti *omne rarum, carum*; ità familiare, triuiale, præsens, contemtui obnoxium.

prou. *Minuit præsentia famam.*

Num. 21. Manna quotidianum *nonne* Iſraëlitæ nauſeabundi cibum leuiſſimum vocant? *Nil niſi man vident oculi noſtri, nauſeat anima noſtra &c.*

Panem cibarium, non minus, quàm Sol ipſe neceſſarium, ecquanti quæſo facimus adfluentem? quanti rarum illum?

Agnos Dei, quos vocant, imo & Synaxin, Miſſamque illam miſſuum delicatiſſimam, quotuſquiſque non faſtidit, frequentia?

Miracula quædam maxima, vt ex paucis granis mundi totîus paſtio, *aßiduitate ſua* ita *viluerunt*, vt eis altio ſeptem milium ex quinque panibus, præferatur. D. Aug.

Solis ortum quotidianum, & noctem quis miratur: at cometas, eclipſéſue quàm multi!

Plutarch. in Pericle. Pericles húc adſpiciens, Magiſtratum gerens, rarus in conuiuijs, rarus in publico.

Sancta Sanctorum vnus Sacerdos ſummus ſemel annuè olim intrabat.

Ergo ne Terra-Sancta, quotidie nobis trita atque inhabitata, & Crux ipſa oculis quotidie conſpicianda fortè vileſcerent, ereptæ illæ nobis, & inacceſſæ.

Pſalm. Vel caſtigatio eſt eorum *qui pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem.*

2. Peccatum minuens. * 2. *Eleuatio peccati*, quod à loci circum-

ſtantia

ſtantia grauari, in confeſſo eſt.

Zachariæ cædes hinc fœdior, quod inter templum & altare. 4. Reg.

Aræ enim & fana etiàm Ethnicis veneranda, & aſyli loco, qua de re vide Ioannem Steph. Durantum, de ritibus Eccleſ. Cathol. lib. 1. c. 15. num. 7. & cap. 26. numero 10.

Ioab iram Salomonis declinans cornu altaris vti aſylum & anchoram ſacram adripuit. 3. Reg. 1.

Olim *hucuſque cruentus ſæuiebat inimicus, ibi adcipiebat limitem trucidatoris furor.* D. Auguſt. lib. 1. ciuit. c. 2.

Hinc illa: *Vel in ara*, de ſumma audacia.

Et: *Amicus vſque ad aras*, vel de religioſa amicitia, qua fides amico promittitur, quatenus nihil iuſſerit impium, aut aris fociſue aduerſarium: vel de illa, qua quis mori ac ſacrificari (inſtar Pyladis pro Oreſte) pro amico paratus eſt.

Non niſi per noſtrum vobis permiſſa patebunt
Templa latus, aiebat Romanè religioſus, Romanus ille. Lucanus lib. 3. Pharſ.

Pygmalionis parricidium grauat, quòd *Ille Sichæum*

Impius, ante aras, atque auri cæcus amore,
Clàm, ferro, incautum ſuperat. Virgil. 1. Æneid.

Quid? adeò loca augent culpas, vt etiàm eas ad ſpeciem aliam atque aliam trahant.

Furta, tàm Veneris, quàm auri, alibi furta ſunt; in fano, ſacrilegia.

F 3 Superi

Superi tibi testes huius, qui in locorum sacrorum profanatores tàm sæui.

Christus ipse agno quouis alioquî mitior, & pro ipsis etiàm suis crucifixoribus posteà orator, neminem quantumcunque feruente ira, quacunque ex culpa vnquàm cecîdit, præter templi profanatores illos, & columbarum nundinatores. Flagellum ipsus tunc, ex funiculis, colligauit, abegit illos canum instar, & mensas nummularias euertit, obiugauítque acerbissimè dicens: *Matth. 21.* *Fecistis domum Dei speluncam latronum*, oculis vel solis plane terribilis.

Cassiod. lib. 6 trip. c. 31. Iulianus præfectus nescio quis, quod contra sanctum altare minxisset, mox sęuo morbo correptus, visceribus putrefactis interijt.

Sed nec Dij illi falsi & fallaces licet, passi impunè sua templa arásue violari.

Virgil. 1. Æneid.

----- Palláſne exurere claſsem
Argiuûm, atque ipsos potuit submergere Pōto,
Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei?
Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem,
Disiecitque rateis, euertítque æquora ventis.
Illum exspirantem, transfixo pectore, flammas,
Turbine corripuit, scopulóque infixit acuto,

quod scilicet Aiax ille Locrensium Rex, capta Troia, Cassandram Priami Regis filiam, virginem vatémque, in ipsîus Palladis templo, violasset.

Cybele, mater Deorum falsò credita, Hippomenem & Atalantam coniuges, legitur in leones commutasse, & currui suo subiugasse, quod, neglecta religione, in ipsius templo coîssent.

Hippomenes *vetito temerat sacraria probro:*
Sacra retorserunt oculos, turritaque mater, — Ouid. lib. 10. Metam.
An Stygia fontes, dubitauit, mergeret vnda;
Pœna leuis visa est: Ergo modò leuia fuluæ
Colla iubæ velant, digiti curuantur in vngues &c.

Sed Hierusalem, omnísque ea terra, & sancta iam olim habita, & nunc multò, à Christi præsentia, concionibus, miraculis, totiésque iteratis sanguinis adorandi effusionibus, effecta sanctior, — Quod ratione sanctitatis loci grauatur,

Classibus hic locus, illic tendebat Achibes, id est, hîc fuit, hîc iacuit Christus; hîc orauit, illîc pauit; hîc sudauit, illîc exspirauit; hic sepultus adcubuit, hinc surrexit, indè ascendit &c. *Omnia pontus erant*, omnia templum erant, *Locus in quo stas terra sancta est*, vndè & illic periculosius, quàm alibi peccatur. — Virgil. 2. Æneid. — Exod. 3.

Non Hierosolymis fuisse; sed Hierosolymis benè vixisse, laudandum est. — D. Hieron. ep. ad Paulinū quæ incipit: Bonus homo de bono thes.

Ergo Christianos degeneraturos, peccaturósque, ac iam peccatis sordidissimos, indè deturbatos, alióque à Deo, velut in profanum, translatos esse, in lucro, ac beneficio numerandum.

Æditus litigantes, lapides loquentes,

iámque ad verbera à verbis venturos, è ſacrario aut ſepulcreto eijcit, aut extrahit?

Curiæ ianitor, Nobiles in Curia ipſa, aut eius limitibus, capitis ſui periculo, digladiáturos fuſte abigit? Cenſura æqua, vterque in eiectos valdè beneficus.

Sed & qui gladium furioſo extorſerit.

Sic Deus in nos officioſus, qui Hieroſolymis peccaturos ſeu eduxit, ſeu extraxit, ſeu expulit.

Alioqui cum quanta ira diceret tandem: *Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?*

Quid? etiam *in terra ſanctorum iniqua geſſit?*

Matth. 21. Etiàm *Domum Dei feciſtis ſpeluncam latronum?*

Heſter. Etiámne Aman Reginam præſente Aſſuero in Regia ipſa obpreſſerit? Curiam Regis in lupanar verterit? Etiam *Ruben adſcendiſti cubile patris tui, & maculâſti ſtratum eius?* *Gen. 49.*

Et, cum cuilibet domus ſua, pro aſylo eſſe debeat, contra vim; etiàm mihi Deo, ſerui mei, in domo, in arce meâ, vim gratis intulerint?

Orig. homil. Origenis ſenſo, Noluit Chriſtus nec in cænaculo quidem capi, ob loci ſanctitatem.

Quæ-

III.

¶ Quæstiuncula, de peccatorum inæqualitate.

SED aias: Turcæne igitur Christianis sanctiores, homines, legis suæ permissu, salacissimi, scelestissimi, Sodomitæ, *homines pessimi nimis*? homines quouis & loco & tempore epulantes sæpè ad mediam vsque noctem, madentes inter exoletorum ministeria, nullâ parte corporis puri? quibus etiàm despectui sunt, qui honesta meditantur? quibus honesti studium, non bonitas ingenij, sed imbecillitas videtur? quibus, lege sua, tot concubinas habere seruas licet, quot plurimas alere possunt? vxores ternas aut quaternas? mancipiorum venalium in foro pudenda videre, contrectare? quibus nihil turpe, nisi quod re vera pulchrum est?

Fontanus lib. 2. de bello Rhodio.

Michael ab Isselt histor. sui temp. ad annũ 1571.

Folieta tractat. de magnitud. Turc. Imp.

Christ. Richer. lib. 2. rerũ Turc.

Aut forsitan sordes Mahumetanorum suauius olent Deo, quàm Christianorum? Scytharum ac Barbarorum ferino propè ritu degentium, quàm probè à Christo institutorum?

Æneas Sylu. orat. ad Calixtũ Pap. lib. 1. ep. ep. 398.

Audi. Nos quidem & Fide illis superiores, addo & moribus, & vita: Attamen pauciora nostra illa, minoráque ex genere suo scelera Deus ægriùs fert atque acerbiùs, quàm

Nicol. Clenard. lib. 1. epist. pag. 5.

Ex ratione personæ ibidem peccantis.

quàm illorum & multa, & horrenda, ab impari scilicet nostra illorúmque obligatione, institutione, gratia &c.

Quid enim si Sacerdos ipse, qui templi velut numen tutelare est, in templo peccet?

Disparium pares actus, dispares faciunt culpas.

Horat. in arte.

Intererit multum Dauúsne loquatur herúsne.

D.Bernard. de consid ad Eugenium.

Nugæ in ore sæcularis, sunt nugæ, in ore Sacerdotis blasphemiæ, ait mellitus doctor.

Iuuen. sat. 8.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quãto maior qui peccat, habetur.

Ganisredus in querela crucis Christi (de prosopopæia.

Hinc Poëtarum quispiam ità crucem Christi introducit loquentem: *quia tot tua crimina vidi,*

Rapta rapi volui, puduit minus, in peregrinis,
Quàm castris sordere meis.

Amantium iræ iniuriæque, acerbiores, concoctuque difficiliores.

Psalm.

Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique.

Zach.

His plagatus sum, in domo eorum qui me diligebant.

Psalm.

Homo pacis meæ in quo speraui, magnificauit super me subplantationem.

Turcæ non amicorum Christi nomine censentur, sed Christiani. Ergo.

Quid an par canis hominísque delictum? *Qui nihil nouit, nihil delinquit,* ait ex priscis aliquis.

Dicis

Dicis causa. In media Regis aula, aut Reginæ gynecæo, canes venatici & stirpe Molossi, sæpe meiant, aut aluũ exonerent, ac putidissimè, Perfacile tolerabuntur, aut leuiter eijcientur. Aliquis verò ex seruolis, Baronibus, Militibúsue, aut Liberis tantum crepet, aut exspiret è ventre odorem minùs Sabæum, Deus bone! quibus verbis iurgijsque multatur! tantumnon serui in pistrinum non deduntur vt molant.

Turcæ in canum ferarúmque ordine; Christiani, in classe hominum, ratione, disciplina ac religione præditorum.

Hierusalem ergo Terrámue Sanctam, domum Dei, sacrarium sanctitatis intimum, ipsúmque Dei Opt Max. conopæum Barbari illi permingunt, sordidant &c? videt id quidem Deus indignanter satis, sed patienter tamen, canes enim sunt. Disparia verò, sed tamen fœda aliqua ibidem perpetrant Christiani? *tangitur dolore cordis intrinsecus*, sic vt aiat facilè? *delebo hominem, quem feci, à facie terræ*: Homines enim illi sunt, aut esse oportebat. *Genes. 6.*

Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumẽtis insip. & similis factus est illis. *Psalm.*

Corcyca illa Turcis, vt canibus, *libera est, cacent vbi libet*, licet, vt ait prouerbium.

Christianis verò eadem maximè reuerenda.

Itáque

Itaque à Deo ablatam illam nobis esse degeneribus, beneficium, quantisper non *meminerimus cuius capitis sumus membra.*

D. Leo. ser. 1. de natiu. Christi.

Tutius enim si peccandum est, in profano, quàm fano peccatur.

Osea.

Sapit vias nostras *spinis*, & repagulis arcet alioqui in foueam casuros: cancellos obijcit, sacra sanctáque profana manu tacturis.

Exod.

Bestia quæ tetigerit montẽ, lapidibus obruetur.

3. Excitans ad Orientis vniuersi repetitionem.

* 3. *Pigritiæ discußio*, qua totum Orientem nobis adimi patimur, sine conatu illo repetendi.

Ganifredus in querela crucis Christi.

Crux ego rapta queror, vi rapta, manúque canina,

Et tactu polluta canum, sum rapta pudenter.

Crux ego rapta queror, ego Crux Christi crucifixi,

A canibus, nec adhuc extorta, nec ense redemta.

Incuriosos indolentésque ademti cæteri in Oriente peculij Christianorum, curiosissimos dolentésque facere conatur Deus, vrbis Terræque illius vnius amissione. Irritare vult desides, vult per alia omnia perrumpi, dum huc irrumpatur.

4. Reg. 6.

Hoc, miraculo illi simile, quo Elisæus ferrum sæcuris in aquam dilapsum, proiecto etiam illùc manubrio seu ligno quocunque alio, adnatare iussum reddidit possessori.

Signo, ac velut Christianismi vexillo etiam amisso.

Stratagema etiam sapit.

Ex Di-

Ex Dictatoribus aut Ducibus Rom. aliquis, signum suum in hostium vallum iniecit, studio suos ad irruptionem acriorem adcendendi. *T. Liuius decad. 1.*

Certè *emissum signum Camilli iussu in hostium* (Volscorum, Antiatium, Latinorum, Hernicorumque scilicet) *aciem ferunt: idque vt repeteretur, concitatos antesignanos.* *Idem lib. 6. decad. 1.*

Sed Crux, signum Christi, & vexillum Christianorum, palladio illo Troianorum. illoque ancyli Romanorum pretiosius, forsitan ideò à Barbaris, Deo prouidente, capta, vt dùm vexilliferos Reges pudet, Imperatoris sui Christi vexillum in manibus esse Barbarorum, obuia quæque perrumpant, & vicina obcupent, quatenus illud è manu hostis extorqueant: item, vt dum Sacerdotibus rubori est, reliquiarum illustrissimam crucem Christi, osculo sacro excipi non posse, nisi barbara manu velut porrigente, auro etiam sacro dignentur illam de manibus indignis extorquere, & dignis adtrectandam dare, *Ilium in Italiam portando, victósque penates.* *Virgil. 1. AEneid.*

Deinde, qui vrbeculis captis aut finibus indormiūt, adsolent, Metropoli ac sede belli obsessa, aut capta, euigilare

De Capitolio Romano sic Liuius: *Hic Capitolium est, vbi quondam capite humano inuento responsum est, eo loco caput rerum summámque imperij fore.* *Liuius decad. 1. lib. 5.*

Itáque

Pro illo enim velut pro Capitolio decertandum.

Itaque vnicè, capta iam Roma, pro Capitolio illo abs Romanis tota opum vi depugnatum: desertaque vrbe Brenni furoribus, totus velut vrbis sanguis, illuc, velut ad cor hominis, confluxit, illóque, velut corde, seruato, Roma iam seminex seruata reuixit: Ferro primùm; auro deinde; tandem iterum ferro, à Brenni Gallorúmque iniurijs, vindicatum Capitolium est, sicque vrbs recepta.

Sed cætera in Oriente nobis ademta, vrbeculæ sunt, ac fines quidem: Terra autem Sancta & Hierusalem, velut metropolis regni Christi; Et ibi quæ non capita generis humani, vbi Adam, vbi Abraham &c. sepulti? vnde caput nostrum Christus ortus est, vbi prima Imperij eius exordia?

Ergo vt auro ferróque semel toto ipsas & cętera repetamus, vna vrbs illa nobis quoque diuinitus ademta est.

Cic. lib. 5. epist. famil. ep. 12.

Vt Epaminondas apud Mantineam vulneratus, clypeo saluo ęquiore animo mortuus est & cum laude: ità nos cruce Christi restituta.

4. Et erigens ad sublimiora.

* 4. *Mentis erectio*, quæ terrenis istis, alioqui bonis, nimium adfixa, humi nonnumquam repens, ijsdem ablatis sublime volare cogitur.

Alas altè auem elaturas, vapor ex aquarum vicinia nonnumquam collectus grauat, aut lapis pedibus adligatus: & hominem

æternis

æternis natum iſta temporaria.

Columba Noaci *cum non inueniſſet, vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eum in arcam.* Geneſ. 8.

Manna cæli non fruuntur Iſraelitæ, ante conſumtam farinam Ægypti. Subtractis inferioribus iſtis.

Spiritus ſanctus non ante collatus Apoſtolis, quàm ſubtracta eſſet carnalis viſibilisque præſentia: *Niſi abiero, paracletus non veniet ad vos*, aiebat.

Prius quod corporale, deinde quod ſpiritale.

Crepundijs ablatis pater, nucibuſque reiectis quid niſi ad ſeria ab illis filium auocat?

Ergo, Hieruſalem viſibili ademta, ad cogitandam optandámque eam *quæ ſurſum eſt mater noſtra*, prouocamur.

* 5. *Exemplum periculi, à* { *1. Peccatis.* / *2. Diſcordijs.* } 5. Et doceat alieno malo ſapere.

* 1. *A peccatis,* quæ illam perdiderunt: vt diſcant cęteræ ſeu vrbes, ſeu prouinciæ, merito illam non ęquantes, Deum peccando non irritare. Peccata vitare.

Ecquos enim non ſit deſerturus Deus, ac Barbaris traditurus, qui & ſuos, & Patriam ſuam irritatus vendidit, & tradidit?

Si naturalibus ramis non pepercit &c. Rom.

Nónne ideò quià Deus tradidit illos, illi victi ſunt?

Si in viridi ligno hoc fit, in arido quid fiet?

Si ipſam Chriſtianiſmi Academiam fontémque ità is deſeruit; quid riuuli, quid La-

cunæ

cunæ ſperent?

Et ſchiſmata,

* 2. *A Diſcordijs*, vt oderint illas infenſiſſimè, quæ rem illam publicam ità perdidêre, ac ſenſim penè in viſcera noſtra Turcam trahunt.

Homerus Iliad. lib. I.

Turcarum gaudia, diſcordiæ Chriſtianorum: vt Priami & Troianorũ, iurgia Achillis atque Agamemnonis Neſtor dicebat.

In fabulis eſt, murem ranámque inuicem mordentes, miluo prædæ fuiſſe, & quatuor boues Leoni; at vero verius, Chriſtianos inuicem digladiantes, Turcarum res auxiſſe, ſuam perdidiſſe.

D. Chryſoſt. hom. Quod nemo &c Senec. epiſt. 71.

Si nemo læditur niſi à ſeipſo, vt ait Chryſ. *Nemo niſi ſuo vitio miſer eſt*, vt Seneca: nos, vitio noſtro, ſeruimus.

Turca diſcordes pacificat, dum dicere videmur *Nec mihi, nec tibi, ſed diuidatur.* Libertatem concordem exoſi, in ſeruitutem diſcordem ruimus.

Vt Romanus olim, ſic Turca ſedendo, ac ſpectando vincit.

Ex quibus regnorum omnium ruina,

Ità Turcarum res, diſcordijs noſtris, gerimus, velut ſi Duces eius eſſemus. Nos Ottomannos gignimus ipſi, alimus, promouemus.

Prou. *Pugnantibus molitoribus, væ farinæ.*

Væ naui, in quâ nautę victoréſque iurgantur, aut quæ in tabulas partéſque diſſoluitur.

Ve cur-

Væ currui, cuius aurigam equi non ferunt. Phaëtontæa tragædia exemplo est. *Ouid. lib. Metam.*

Væ corpori, in quo morbi, in quo quatuor qualitatum discordia, in quo membra in ventrem, velut pigrum & voracem, insurgunt.

Adeò exitiosa vbique discordia, vt illam in castra hostilia inferre aut serere, ex arte belli sit. *Veget. de re milit.*

Effusa est contentio super principes, & errare fecit eos in inuio & non in via. *Psalm.*

Aristoteli; *Ex animalibus Lupus primùm dispergit, posteà rapit.* *Arist. 2. animal.*

Oraculo simile illud, *Concordia res paruæ crescunt, discordia res maximè dilabuntur*, quod aiebat Rex Numidiæ Mycipsa moribundus, filios hortaturus ad pacem, debile malis, firmum bonis regnum relinquens. Testibus oraculis, *Sallustius.*

Oraculum Delphico verius ab ore Christi: *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur.* *Matth. 12.*

Scylurus Tartarorum Rex, sagittarum fasciculo filijs suis 80. in orbem, ad frangendum porrecto: & Sertorius Dux Lusitanorum, cauda equina simul seméllque expilanda, parabolicè insinuârunt. *Plutarchus to. 1. moral. tract. 13. & in apophth. vett. Reg. de Scyluro.*

Experientia multiplex huius Magistra. Et exemplis 600.

Agamemnone & Achille ad Troiam, de Bryseide captâ, litigantibus, factâ discessione, clades omni calamitate calamitosior, exercitui Græcorum illata. *Homerus Iliad. a.* Veteribus,

Horat. *Quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui.*

Socialia bella, id est in socios arma capta quid possint, Respublicæ omnes clamant.

Græcia Philippo Macedoni non tam armis victa, quam Atheniensium, Lacedæmoniorum, Thebanorum &c. discordijs.

Macedones in partes diuisos etiam Romani facile obpresserunt.

Carthago, imperij Romani semper æmula, dissidijs excisa.

Terentius enim Poëta, captâ Carthagine captus Romámque ductus, cùm in Senatu interrogaretur, Romanorúmne vires an Pænorum impotentia illam expugnâsset, respondisse fertur, neutrum, sed dudum concordiâ seruatos, discordiâ tandem se suámque vrbem perditum iuisse.

Romam quoque ipsam, ex casis & magalibus, Dominam mundi fecit Concordia; eandem, ex Domina mundi, redegit ad casas & magalia, Discordia Syllarum, Mariorum; Cæsarum, Pompeiorum; Augustorum Antoniorum &c.

Discordia ordinum, Patrum plebísque certamina venenum vrbis illîus fuêre.

Regni Iudæorum partes decem, Hieroboamo Seruæ filio celsêre, Roboamo cum 3. Reg. populo parùm de tributorum auctione conuenientibus.

Sic Arrius Christi tunicam inconsutilem scindens,

ſcindens, Mahometi ſtrauit viam.

Sic, ſic, *dum bellum geritur inter Chriſtianos acerrimum, tota Europa primum euerſa eſt* (*ait Beda.*) *Saraceni occupata Lybia atque Africa, ex Septa ſoluentes, omnes Hiſpanias præter Aſtures & Cantabros occupauére.* *Beda ep. ad Carol. Marcellum Galliarum Regem ac cæteros Regulos.*

Per cæſorum noſtrorum cadauera ſtruéſque illi adſcendêre.

Anno 1396. Chriſtiani exercitûs clades ad Nicopolim cum Baiazete pugnantis, nata ex diſcordia, modò Gallis, modò Vngaris primas præliandi partes depoſcentibus.

Tamerlanis illîus magni latum illud proliхúmque imperium, breui à morte ipſius, duo eius filij diſcordes perdidêre.

Conſtantinopolitanum imperium perdidit Palæologi Imp. cum principibus diſſidia. Nàm cùm is ab Amurathe in Europam auxiliatios traxiſſet, Turcæ illîus hortuli amænitate prægustata, pòſt plenis copijs reuerſi illum obcuparunt. AEui noſtri: *Vide Lindanum præfatione Apologet. ad Maximil. Cæſarem.*

Ecce verſus fuerat gladius vniuſcuiuſque ad proximum ſuum. Hiſpani de Sicilia & Neapoli certantes, totam turbabant Italiam; Germaniam Huſſitæ. 1. Reg. 14.

Diſcordijs Chriſtianorum, Turcæ, velut ponte à nobis ſtrato, ad ingreſſum ſuum in Europam abuſi ſunt.

Baiazetes Venetos flagellat, Maximiliano bellante in Heluetios: Solymannus Bel-

gradenses, Carolo 5. Mediolanum recuperante, & Franciscum Gallorum Regem capiente.

Lycurgus ille Lacedæmoniorum legislator egregiè profectò cùm ad suos ciues scribebat, *repelli à se hostes posse, si pauperes manerent, contentionésque mutuas deponerent.*

Grego. Naz. orat. 1. de pace.

Et Nazianzenus: *Dissidij filia dissolutio.* Direpta auulsáque membra non modò robur, sed & speciem amittunt.

Ex Euphrate fluuio illo magno, lato, profundo, ac celeri disce, quem ab irato Rege Cyro, ob puerum suum in eo mersum, in trecentas circiter fossas deriuatum, pueruli contemtim & passim traiecêre.

Concordia immunita muniente.

Virtus vnita fortior dispersa. *Si duo praeualuerunt contra vnum, duo resistent ei.*

Valer. Maxim.

Coniunctos fasses Scylari *frangere nemo potest* ex filijs.

Nec equi quamlibet macilenti totam simul caudam quisquam militum Sertorij reuellere potuit, cum per pilos & partes alterius quamlibet generosi, ignauissimus quisque posset.

Publius.

Auxilia humilia firma consensus facit.

Funiculus triplex difficile rumpitur.

Cic. lib. 2. de Repub. recitante. Aug. lib. 2. ciuit. c. 21.

Ignem ægrè extinguas, stipitibus simul relictis.

Concordia arctissimum atque optimum omni in Repub. vinculum incolumitatis. Aduersus concor-

concordes, nec Regũ quiſpiam ſatis potens.

Quod cæmentum, quod contignationes, quod fibulæ ferreę murorum domorúmque firmitati, quod nerui humano corpori; id Concordia, ciuitatibus, regnis, imperijs.

Bonum non tantum, ſed *& iucundum habitare fratres in vnum.* Pſalm. 132.

Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. Quod deſcendit in oram veſtimenti eius &c. Illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſæculum. Hinc proſperitas, hinc longæuitas, hinc æternitas.

Quot enim ſunt ciues in conſentiente ciuitate, tot oculi illius vident commodum, tot aures audiunt, tot linguæ admonent, tot cogitationes cogitant. Dion. orat. 39.

Cuncta vehit ſecum pleno Concordia cornu Commoda.

Quid? *mundus ſi pacatus eſſe deſinat, etiam mundus eſſe deſinit.* Nazianz. oratio. 1. de pace.

Nec Cœlo ipſi, Diſcordia Luciferi & Angelorum eius, tolerabilis fuit.

Diſcordia enim inſtar turbidi maris, tempeſtatis, torrentis fulminiſque cuncta diſpergit, diſperditque.

Hieroſolyma ergò ſic amiſſa nobis, & ſic ne hactenus reciperetur, actum eſt, cùm commodè toties poſſet; & nunc quoque, ne noſtra fiat, diſcordijs noſtris agitur.

Bergomas chron. supplemanti lib. 12.

Iacobus Philippus Bergomas ità testatur: *Richardi Anglorum Regis, & Philippi Francorum, copijs in Syriam ductis, iunctisque copijs, ambo ad Ptolemaidam tàm prosperè bellum in Saladinum gesserant, vt omni penè victus, de dedendis Hierosolymis cogitaret. Sed ecce contendentibus ijsdem, de principatu, Regibus, castra dissoluta, résque infecta est, abeunte in patriam Philippo indignante.*

Ex lit. Richardi Angl. Reg. ad Calestinum 3. Roma. Pont.

Richardi ipsius verba audiantur: *Saladinus (ait) etiam Hierosolymam nobis sponte reddidisset, nisi dissidijs nostris cognitis consilium mutâsset.*

Quæ vna res maxime deceat Christianos,

Vah! pudorem! homines, & principes eos quidem & Christianos adeò discordijs de'ectari, vt perire velint etiàm nauim in quâ nauigant! perire etiàm, vri, secari, dùm etiàm alter pereat, amburatur, lædatur! non *malè vehi malle alio gubernante, quàm tàm ingratis vectoribus benè gubernare, vt Cicero malle se aiebat.*

Cic. lib. 1. epist. 10. ad Atticum.

Cur, quum omnia habeamus communia, & progenitores, & Deum, & Magistrum eundem Christum, & consuetudines, & festos dies, multi quoque priuatas cognationes, & amicitias, cur Christiani sic in Christianos velut in Turcas, homines sic in homines, vti in feras, depugnamus, tanto Barbarorum bono? & quidem (vt ille ait) *de paupere regno pugna* est de lanâ caprinâ, imò de vmbra asini.

Stat. lib. 1. Thebaid.

Quam-

Quamobrem, qui dilectionis sumus, odio nos prosequimur, & in odio vicissim sumus? qui pacis, bella gerimus absque præconibus, & citra omnem reconciliationem? qui lapidis angularis, dissidemus? qui petra, concutimur? Grego. Naz. orat. 3. de pace.

Cur, vbi maximè iussa Concordia & Pax; ibi & minimè illa, sed maximè discordia & Bellum?

Cur, quorum tessera Charitas esse debuit, qua discipuli Christi palàm cognoscantur, tesseram Diaboli Discordiam adsumserunt? Ioan. 13.

Quò nobis Spiritus sanctus in igne datus, nisi vt vniat? quo in columbæ specie, nisi vt mites, sine felle, simplices, societates, atque imbelles faciat, & nobis *oculos* det vt *columbarum*? Cant.

Quò ex vno Adamo facti omnes, ab vno Christo refecti, vt sic dicam, & renati?

Non pudet Christianos, agno & Christo Duce, viuere vt Leones; cum Turcæ, Leone id est Mahometo ductore, agnorum instar inter se viuant?

Non pudet, sub Christo pacifico, inermi, tempore pacis nato, pacis autore, suasore, semper in armis contra suos esse: cùm Mahometi (qui in gladio, qui in armis, turbisque venit) commilitones tanta cum suis pace degant, vt se Islamos, hoc est vnanimes, & inter se pacificos, à concordia mutua, vocare consueuerint? Cum ea in Turcis, Leunclanius histor. Musulinam lib. 1,

Non pudet, pietatem sub Christo professos, impia & Cadmęa arma sequi, cum impietatis, sub nebulone Mahometo, coniuratores, in similia aut rarò, aut numquàm, aut non diu dilabantur?

Christ. Richer. lib. 1. rerũ Turc.

Turci anno 1115. Saracenis se & Arabibus. quibuscum sæpè antè conflixerant in Balduinum & Tancredum Christianæ rei defensores, coniunxerunt.

Non pudet Turcarum vota ac preces iuuare. quibus Deum *precari non cessant. Vt inter se discordes perpetuò Gauros* id est Christianos, quos Gauros vel Cauros vocant, esse velit.

Leuuncl. iuius ibid.

Ethnicis,

Non pudet, ne Ethnicis quidem pares esse, ex quibus multi in gratiam cum hostibus redière, tantum ne quid Respub. caperet detrimenti.

M. Æmylius lepidus, bis Consul & Pontifex Max. diutinas ac vehementes inimicitias, quas cum Fuluio Flacco, eiusdem amplitudinis viro gessit, simùl vt Censores renuntiati sunt, in campo deposuit, existimans (ait Valerius) *non oportere eos priuatis odiis dißidere, qui publicè summa iuncti eßent potestate.*

Vale. Max. lib. 4. c. 2.

Africanus superior, ac Tib. Gracchus, ad cuius mensæ sacra odio dissidentes venerant, ab ea, & amicitia & affinitate iuncti discesserunt.

Idem ibid.

Cum *Crassus & Pompeius* aliàs non satis amici iam sub exitum Consulatûs sui in concione

Plutarch. in Crasso tom. 2. vit.

cione adessent, & Onatius Aurelius eques Romanus, vir neque illustris, & agrestis rudísque vitæ, suggesto conscenso, tale suũ insomnium recitasset; Iouem sibi dormiẽti adparuisse, ac mandasse, vti publicè moneret populum, ne priùs abdicare se magistratu Consules sineret, quàm ij in gratiam mutuò redijssent; *populúsque hæc illo dicente, hortaretur vt offensis positis reconciliarentur, & Pompeius quietus staret, prior ei Crassus dextram iniecit, &, Non (inquit) existimo, Quirites, abiectè me, meéque personæ inconuenienter agere, quòd cum Pompeio redintegrandæ beneuolentiæ initium ipse facio, cùm vos imberbem adhuc eum Magni cognomine ornàueritis, nondum in Senatum adscito triùmphum dederitis.*

Athenienses & Achiui fædus defensiuum (vt vocant) iniêre in annos 100. sine dolo & noxâ, terrâ marique, vt áit Thucyd. *Thucydid. lib. 5.*

Creta illa olim armorum studiosissima, externis armis sæpè tentata, domesticis & ciuilibus agitata, cum externa arma adparerent, quamlibet ciuium simultatibus intùs flagraret, ad communem tamen sui salutem conspirabat, vnde & natum vetus illud Syncretismi prouerbium, de ijs, qui ad propulsandum externuum malum, ab interno vertuntur.

Gudracos Mallósque similiter egisse in rebus Alexandri refert Curtius. *Q. Curtius.*

Contra Philippum. Attalus Asiæ, Pleuratus

ratus Traciæ. Sard. Syriæ Reges ac Ætoli cum Romanis fœdus fecêre anno mundi. 3355.

Romani quàm ſic ſæpe. Quoties Patres Plebéſque, iurgia domeſtica aut depoſuêre omninò, aut tantiſper ſepoſuêre, dum exteris obcurriſſent!

1. Albanis Romaniſque bello flagrantibus, cùm Albani (mortuo C. Cluilio Imperatore ſuo) ad Metuum Suffetium Dictaturam & imperij ſummam, caſtris iàm non amplius quinque milia paſſuum ab Vrbe locatis detuliſſent, ipſe Metius adciri ad colloquium Tullum iubet, idemque prior in hanc ſententiam de totiûs rei ſummā locutus eſt: *Si vera potiùs* (Tulle) *quàm dictu ſpecioſa dicenda ſunt: cupido Imperij duos cognatos vicinoſque populos ad arma ſtimulat. Neque rectè, an perperam, interpretor: fuerit iſta eius deliberatio, qui bellum ſuſcepit. Me Albani gerendo bello ducem creauere. Illud te, Tulle, monitum velim: Hetruſca res, quanta circa nos, teque maximè ſit, quo propiores vos, hoc magis ſcis. Multùm illi terrâ, plurimum mari pollent. Memor eſto, iàm quum ſignum pugnæ dabis, has duas acies ſpectaculo fore, vt feſſos confectóſque ſimul, victorem ac victum adgrediantur? Itaque ſi nos Dij amant, quoniam non contenti libertate certâ, in dubiam imperij ſeruitijque aleam imus, ineamus aliquam viam, quâ*

Liuius decad.1.lib.1.

vtri

vtri vtris imperent, sine magna clade, sine multo sanguine vtriusque populi decerni possit. Itaque tergeminis fratribus, tergeminos alios superantibus tandem aptissimè duo illi populi in vnum coiêre, virium externarum metus vtrimque communis, ex infestis hostibus, socios fideles, etiam ciues fecit. *Albani enim diruta Alba Romam traducti sunt; Latini, Sabini in ciuitatem accepti.* Liuius lib. 1. decad. 4.

Legiones itaque primæ Romuli, quæ tria milia pedites, tercentum equites. habuerant, tandem adiunctis mixtique Sabinis sunt duplicatæ. Plut. tom. 1. vit. in Romulo.

Exercitus per agrum latè fusus, in agmen coit, hoste ad irrumpendum parato.

Prisci illi rudésque homines, olim singuli hîc illícque patentes, ac dispersi, cùm viderent ità viritim singillatimque, vniuersos tãdem prædæ futuros fortioribus illis robustisque instar Nemrothi, venatoribus, gregatim coierunt, ciuitatésque, id est ciuium vnitates, instituerunt, siue Orphei, siue Amphionis, siue alterius cuiuspiam cantibus, id est eloquentia persuasi, quod nos, senescente seculo totque experimentis doctiores, non facimus, vrgente robusto isto venatore Turca. Idiotis,

Quid rusticulos dicam? Dicuntur aliquando duo ex illis, quum expilandos se à caussidicis suis, vt fit, intellexissent, pacem

iniisse,

inîsse, pecuniamque, in caussidicos litemque perdendam, in conuiuium contulisse, & agrum verò litis segetem liberis suis vtrimque matrimonio iunctis, velut sequestris, dedisse.

Brutis. Vel bruta animantia eò vsque sapiunt, vt in periculis socientur.

Canes duos, vel quouis Cerbero efferatiores, rixantes vides? addùc ad eos lupum, missis rixis coniunctim inuadent.

Oues aut arietes vides colluctantes, pro cespite, pro amoribus? aut gallos gallinaceos, de gallina certando, rostra rostris conferentes? obijce istis Miluum aut aquilam, illis lupum, conuenient contra vim externam.

Vide Plin. lib. 8. Obcurrant oues quamlibet iratæ, in ponte arcto, altera alteri de itinere decessura, ne obstinatiâ vtraque in flumen ruat.

Est tamen stultitiæ symbolū hoc animal.

D. August. ser. ad frat. in eremo. Porci ipsi, stolidum etiàm pecus, & disciplinę incapax, etsi inuicem rixentur, tamen ad socij sub cultris positi clamorem gregatim adcurrunt.

Membris humani corporis. Membra ipsa, ne discordiâ, aduersus ventrem, productiore perirent, conuenere; de quibus ita Męuenius Agrippa ad pop. Rom. secessorem. *Tempore quo in homine non, vt nùnc, omnia in vnum consentiebant, sed singulis membris* (*Ex T. Liuio decad. 1. lib. 2.*)

suum cuique consilium, suum sermo fuerit; indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore ac ministerio ventri omnia quæri: ventrem in medio quietum, nihil aliud, quàm datis voluptatibus frui: conspirasse indè, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. hac ira cùm ventrem fame domare vellent, ipsa vnà membra, totumque corpus ad extremam tabem venisse. indè apparuisse, ventris quoque haud segne ministerium esse: nec magis ali, quàm alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc quo viuimus, vigemúsque, diuisum pariter in venas maturum, confecto cibo, sanguinem. Itaque singula in gratiam cum ventre rediſſe, aduerſus vim mortis irruituram, ſimul in ſe ac ventrem.

Venæ intus caſu aliquo ſanguine ſcaturientes, ſe ſpontè claudunt ac ſiſtunt, cùm foris medicorum lanceolæ alias ſecuerunt, ac ſanguinem excierunt.

Sed & hæderæ arboribus adhæreſcunt ſtudioſiſſimè, vt creſcant, & validam ventorum vim ex alto deſpiciant. **Plantis, Elementisque, reperiatur.**

Antiperiſtaſin ſentiunt elementa? collectis viribus in illam armantur. Vult æſtus frigori præualere? colligit vires frigus vt obſiſtat. *Plutarch. de quæst. Platonicis q. 6. Liuius.*

Ità *externus timor maximum concordiæ vinculum* cęteris quidem omnibus, præter quàm vnis Chriſtianis, qui polypi inſtar atque Encſichthonis membra ſua exedunt ipſi. *Ouid. lib. 8. Metam.*

Sed &

Grego. Naz. orat. 3 de pace.

Sed & mirabilium hoc quoque mirabilissimum, quod *quum cibi & somni & canendi nos capiat satietas, etiam rerum turpißimarum (vt aiunt) & saturemur non modò tristibus, sed etiàm suauißimis rebus omniaque inuicem sibi subcedant, & in orbem vertantur, nos tamen nullum ictus vel infligendi vel accipiendi finem faciamus.*

Homerus.

Cunctarum satias rerum est Somnique & Amoris, ait ille.

Mel, si nimium, etiàm amarum.

Inuentorum priscorum, Artium, Scientiarúmque aliarum quædam maximæ, longitudine temporis, aut penitus sunt extinctę & damnatæ, aut mutatæ, aut mollitæ; sola bella, discordiæque ac hominum cædes magis magisque inualescunt.

Cic. epist. 5. Lib. 4. famil.

Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat, atque molliat; sed iræ Christianorum indies recrudescunt.

Velut ignis in naphtha, aut Samothensi Maltha qui profusa aqua ardet pertinacius, sunt bellorum nostrorum incendia.

Coëunt lacerata corpora, & vulnera corporum ducunt aliquandò cicatricem; schismata corporis mystici in Christo, & vulnera animorum nostrorum propè numquam.

Peregrini rami arboribus inseri possunt, non homines eiusdē religionis hominibus.

Alijs, *non simultates, sed bella quoque finiuntur,*

tur, & ex infestis hostibus plerumque socij fideles, interdum etiam ciues fiunt; Christianis, numquam, aut perrarò; contra illud tamen, *adcubabit lupus cum agno.* Liuius lib. 10. dec. 4. Isaia.

Inimicitias soli Christiani habent immortales, amicitias autem mortales, & propè ephimeras.

Amant quidem illi *tanquam osuri*; *non oderunt, tanquam amaturi*, quorum tamen Magister Christus odia explosit; iras, solis obcasu, terminauit. Cic. in Lalio.

Nerones alter alteri inuicem sumus.

---- *Ecclesia & Religio.*

Non nunc alieno cadit impetu: sed eheu!
In sua viscera, non sua, sua dextera sæuit.

---- *penuria numquam.*

Rixarum fuit, quas hortor obtestorque omnes vt deponant, ni velint (quod minari atque ominari facile quisque potest) etiam cum Hierosolymis, similibus casu caussaque perire.

---- *Felix quicumque dolore.* Ouid.
Alterius, discit, posse carere suo!

Dixi de caussis à nobis Christianis.

III.

¶ *Cur Hierosolyma nobis erepta, & cur sub iugo Mahumetanorum potiùs, quàm merè Ethnicorum.*

NVNC

NVNC ad caussas, quæ ex parte Barbarorum.

Varij, iàm tùm ab eius origine, populi Hierosolymam incoluêre, de quibus Vitriacum videre est pag. 3 histor. Orientalis. Nùnc tandem velut peculium incolunt eam Turcæ ac Mahumetani, Christianis indè pulsis, quos maximè perpetuos esse hæredes illìus, iudicio humano, forsitan melius fuisset, aut (si à peregrinæ religionis hominibus fuerat obcupanda) merè Ethnicos & Paganos.

Hierosolymam in Barbarorũ manu esse, ad eorum conuersionem, *D. Thom. p. 1. q. 22. art. 2. in resp. ad 2.*

Duo dixi; primum; malum videri Hierosolymos à Christianis non possideri; Alterum; peius esse quod à Turcis habeantur. Dixi (inquam) non sensu meo, sed popelli.

Ad primum ergò ità video respondendum. Aliter loquendum de vnîus, aliter de vniuersorum curatore. Curator enim vnîus, excludit ab sibi commisso defectum omnem pro virili; Curator verò vniuersorum, patitur nonnumquàm vni alicui aliquid deesse, aut aliquid perperam accidere, ne vniuersorum ac totius bonum impediatur. verbi causa. Corruptiones defectúsque in rebus naturalibus, dicuntur quidem esse contra naturam particularem, qui tamen sunt ab intentione naturæ vniuersalis, quatenus defectus vnius cedit in alterius bonum, vel etiàm totius vniuersi. Corruptio enim

enim vnius, generatio est alterius, qua species conseruatur.

Sed Deus curator est vniuersalis totius entis; Ergò prouidentiæ eius est, pati vni alicui aliquid deesse, ne bonum vniuersi perfectum impediatur.

Fac enim omnia mala tolli aut impediri, Deus bone! quot bona deerunt vniuerso!

Tolle aut vera cædem minorum animalium, vnde viuat aut sit Leo? vndè Lupus tàm syluestris ille, quàm lupus piscis?

Tolle persequutiones Tyrannorum, vbi erit patientia Martyrum?

Tolle Decios, vbi tibi Laurentios?

Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant. Ad Cor.

Quomodo laudem meretur deuota Deo suo fides, nisi esset aliquis, qui à Deo vellet auertere? Nàm & ideò potiores esse iniustos permisit, vt cogere ad malum possent: ideò plures, vt virtus esset pretiosa, quæ rara est. Lactan. lib. 5 instit. c. 7.

Maluit Deus bona ex malis elicere, quàm nulla mala esse permittere. D. Aug. in Enchirid.

Igitur, etsi Christianos Terrâ Sanctâ exutos esse malum videatur, & hoc Deus, si Curator illorum tantùm esset, nollet, tamen quià idem etiàm Curator est Barbarorum totiusque vniuersi, fert hanc Christianis auferri, à Barbaris haberi, vt loci illius, & tot fidei nostræ monimentorum religione,

illi etiam fiant ex Barbaris Christiani.

Ac maxime Turcarum,

Ad secundum illud, quo dicebatur, pessimè à Turcis eam possideri, negatiuè respondeo, ac sic probo.

Quandoquidem ex Barbaris Christianos creare velle hac arte videtur Deus, ij fuerant illùc maxime adducendi populi, de quibus potiùs ea conuersio fuerat speranda

Sed plus sperandum de Mahumetanis ac Turcis, quàm de reliquis Barbaris; Ergò.

Prior nota, altera sic mihi probatur.

Facilius aliquid ex aliquo fit, quàm ex nihilo. Primùm enim hominum est, alterum nullîus creaturæ. *Ex nihilo enim nihil fit.*

Qui sunt semi-Christiani,

Sed in fidei Christianæ negotio, Barbari cæteri habent se sicut nihilum in productione rerum; Mahumetani verò sicut aliquid. Ergò.

Barbari enim ecquid præter Deum credunt, aut nôrunt?

Erasmus Rot. in consult.

Mahumetani verò (si Erasmo credimus) *sectam habent ex Iudaismo, Christianismo, Paganismo, & Arianorum heresi commixtam. Agnoscunt Christum, vt vnum quempiam ex Prophetis.*

Ortu,

Bergomas chron. supplementi lib.10. Vincent. in spec. hist. lib.23.c.51.

Mahumetes enim matre Hebræa Ismaëlitici generis natus, & puer octennis Iudæo quodam Astrologo institutore vsus dicitur; posteà Christianos quoque monachos apostatas duos, Ioannem scilicet Antiochenú, & Ser-

& Sergium illum ob graue crimen excommunicatum, déque monasterio depulsum audîsse, è quibus alter Ordinis D. Benedicti professor fuit, vterque sanè hæreticus, atque (vt opinor) Arianus; Sergius certè & Arrianus & Nestorianus fuisse mihi legitur, à quo multa Mahometes hausit tàm nouæ quàm veteris legis, & textûs vtriusque peruertendi peritiam. *Vide Fortalitium fidei fol. 260. Michael. Glycam. p. 4. annal.*

Idem 25. annos natus, mercaturam exercens, Ægyptum frequentabat, ibíque magna anni parte cum Iudæis Christianísque promiscuè versabatur.

Itáque multa de vero Deo, & de Christo hinc didicit sciuítque, & in suos transfundere pleraque, etsi dolo malo, non neglexit.

Quàm multa de Deo, de Christo, de virgine Maria Christiano velut ore loquitur, etsi non Christiana mente?

Ludouicus Viues ità de Saracenis & Mahumete ipso: *Mahumetes Arabs erat Christianus miles in bello Persico sub Heraclio. & Arabes, quos in suam opinionem pertraxit, maximâ ex parte Christiani. Sed Arabes, odio Heraclii & Græcorum ac Latinorum, qui sub illo merebant, non dubitârunt ab ijs discedere religione, à quibus primùm animis ac voluntate discesserant, deinde etiàm corporibus & armis, electo Mahumete duce defectricis manus.* *Ludo. Viues lib. 2. de concord. in fine.*

Sed & ipse Christianum aliquandò se,

NVNC ad caussas, quæ ex parte Barbarorum.

Varij, iàm tùm ab eius origine, populi Hierosolymam incoluêre, de quibus Vitriacum videre est pag. 3 histor. Orientalis. Nùnc tandem velut peculium incolunt eam Turcæ ac Mahumetani, Christianis indè pulsis, quos maximè perpetuos esse hæredes illìus, iudicio humano, forsitan melius fuisset, aut (si à peregrinæ religionis hominibus fuerat obcupanda) merè Ethnicos & Paganos.

Hierosolymam in Barbarorũ manu esse, ad eorum conuersionem, *D. Thom. p. 1. q. 22. art. 2. in resp. ad 2.*

Duo dixi; primum; malum videri Hierosolymos à Christianis non possideri; Alterum; peius esse quod à Turcis habeantur. Dixi (inquam) non sensu meo, sed popelli.

Ad primum ergò ità video respondendum. Aliter loquendum de vnîus, aliter de vniuersorum curatore. Curator enim vnîus, excludit ab sibi commisso defectum omnem pro virili; Curator verò vniuersorum, patitur nonnumquàm vni alicui aliquid deesse, aut aliquid perperam accidere, ne vniuersorum ac totius bonum impediatur. verbi causa. Corruptiones defectúsque in rebus naturalibus, dicuntur quidem esse contra naturam particularem, qui tamen sunt ab intentione naturæ vniuersalis, quatenus defectus vnius cedit in alterius bonum, vel etiàm totius vniuersi. Corruptio enim

enim vnius, generatio est alterius, qua species conseruatur.

Sed Deus curator est vniuersalis totîus entis; Ergò prouidentiæ eiûs est, pati vni alicui aliquid deesse, ne bonum vniuersi perfectum impediatur.

Fac enim omnia mala tolli aut impediri, Deus bone! quot bona deerunt vniuerso!

Tolle aut vera cædem minorum animalium, vnde viuat aut sit Leo? vndè Lupus tàm syluestris ille, quàm lupus piscis?

Tolle persequutiones Tyrannorum, vbi erit patientia Martyrum?

Tolle Decios, vbi tibi Laurentios?

Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant. Ad Cor.

Quomodo laudem meretur deuota Deo suo fides, nisi esset aliquis, qui à Deo vellet auertere? Nàm & ideò potiores esse iniustos permisit, vt cogere ad malum possent: ideò plures, vt virtus esset pretiosa, quæ rara est. Lactan. lib. 5 instit. c. 7.

Maluit Deus bona ex malis elicere, quàm nulla mala esse permittere. D. Aug. in Enchirid.

Igitur, etsi Christianos Terrâ Sanctâ exutos esse malum videatur, & hoc Deus, si Curator illorum tantùm esset, nollet, tamen quià idem etiàm Curator est Barbarorum totîusque vniuersi, fert hanc Christianis auferri, à Barbaris haberi, vt loci illius, & tot fidei nostræ monimentorum religione,

illi etiam fiant ex Barbaris Christiani.

Ac maxime Turcarum,

Ad secundum illud, quo dicebatur, pessimè à Turcis eam possideri, negatiuè respondeo, ac sic probo.

Quandoquidem ex Barbaris Christianos creare velle hac arte videtur Deus, ij fuerant illùc maxime adducendi populi, de quibus potiùs ea conuersio fuerat speranda

Sed plus sperandum de Mahumetanis ac Turcis, quàm de reliquis Barbaris; Ergò.

Prior nota, altera sic mihi probatur.

Facilius aliquid ex aliquo fit, quàm ex nihilo. Primùm enim hominum est, alterum nullîus creaturæ. *Ex nihilo enim nihil fit.*

Qui sunt semi-Christiani,

Sed in fidei Christianæ negotio, Barbari cæteri habent se sicut nihilum in productione rerum; Mahumetani verò sicut aliquid. Ergò.

Barbari enim ecquid præter Deum credunt, aut nôrunt?

Erasmus Rot. in consult.

Mahumetani verò (si Erasmo credimus) *sectam habent ex Iudaismo, Christianismo, Paganismo, & Arianorum hæresi commixtam. Agnoscunt Christum, vt vnum quempiam ex Prophetis.*

Ortu,

Bergomas chron. supplementi lib.10. Vincent. in Spec. hist. lib.23.c.51.

Mahumetes enim matre Hebræa Ismaëlitici generis natus, & puer octennis Iudæo quodam Astrologo institutore vsus dicitur; posteà Christianos quoque monachos apostatas duos, Ioannem scilicet Antiochenũ, & Ser-

& Sergium illum ob graue crimen excommunicatum, déque monasterio depulsum audîsse, è quibus alter Ordinis D. Benedicti professor fuit, vterque sanè hæreticus, atque (vt opinor) Arianus; Sergius certè & Arrianus & Nestorianus fuisse mihi legitur, à quo multa Mahometes hausit tàm nouæ quàm veteris legis, & textûs vtriusque peruertendi peritiam.

Vide Fortalitium fidei fol. 260. Michael. Glycam. p. 4. annal.

Idem 25. annos natus, mercaturam exercens, Ægyptum frequentabat, ibíque magna anni parte cum Iudæis Christianísque promiscuè versabatur.

Itáque multa de vero Deo, & de Christo hinc didicit sciuítque, & in suos transfundere pleraque, etsi dolo malo, non neglexit.

Quàm multa de Deo, de Christo, de virgine Maria Christiano velut ore loquitur, etsi non Christiana mente?

Ludouicus Viues ità de Saracenis & Mahumete ipso: *Mahumetes Arabs erat Christianus miles in bello Persico sub Heraclio. & Arabes, quos in suam opinionem pertraxit, maximâ ex parte Christiani. Sed Arabes, odio Heraclii & Græcorum ac Latinorum, qui sub illo merebant, non dubitârunt ab ijs discedere religione, à quibus primùm animis ac voluntate discesserant, deinde etiàm corporibus & armis, electo Mahumete duce defectricis manus.*

Ludo. Viues lib. 2. de concord. in fine.

Sed & ipse Christianum aliquandò se,

aliquandò Iudæum mentiebatur, homo amphibios, & neutri ſatis fidus.

Pius 2. lib. 1. epiſt. ep. 396.

Pius 2. *Vetus teſtamentum & Iudæis, & Chriſtianis, & Saracenis commune eſſe* ait.

Ergò, ſi Chriſtianus aliquandò fuit Mahometes, & Saracenorum Turcarúmque maiores; facilius illi, quam merè Ethnici, ad fidem poſſint reuocari.

Conſuetudo tantiſper deſueta, momento minori reſtituitur, quàm noua inſtituitur.

Facilius, quæ dedidicimus, iterum oblita recurſant, quàm ſemper ignorata diſcuntur.

Facilius lacera ædificia inſtaurantur, quā noua conſtruuntur.

Inſtituto.

Sin verò Chriſtianus Mahometes cùm omninò non fuit, ſed tantum didicit, recepit, tradidit quædam ex Chriſti ſchola, ſuoſque imbuit ſemi-Chriſtaniſmo: etiàm ſic facilius illi Chriſtianiſmo integro imbuantur, quàm Ethnici reliqui, ad quorum aures ne fando quidem Chriſti nomen ijt. Mahumetani enim dimidiatum habent Chriſtianiſmum.

Facilius enim eſt aliquid in medio iàm poſitum, ad alterum extremorum reduci, quàm aliud conſiſtens adhuc in altero extremorum.

Facilis è Samaritanis Iudæos effici, quàm ex Ægyptijs.

Dimi-

Dimidium facti, qui benè cæpit habet. Ouid. 1. Trist.
Inuentis incæptisque addere, facile est. Adijci autem multum potest initijs fidei, ac super ædificari, à Terræ Sanctæ adspectu quotidiano, atque incolatu.

Denique; illis gentibus conuincendis, magis studendum, quæ contrariè impugnant fidem atque explodunt, aut illius partem, quàm illis, quæ merè priuatiuè se habent, id est, quæ illam incognitam inauditamque neque admiserunt, neque exploserunt, in neutrum propensæ.

Antiperistasis dogmatum imitetur antiperistasin elementorum.

Sed Turcæ at Mahumetani quædã Christianismi dogmata verbo ferroque impugnant? Ethnici meri non item, vt qui de ijs nihil audiêrunt (*quomodo enim audient, sine prædicante?*) Et ad conuincendos eos prosunt quæ in Terra-Sancta videntur.

Ergo satius haberi à Turcis Hierosolymos Terramque illam Sanctam, quàm a reliquis Barbaris.

Duabus ergo de caussis tradita illa est a Deo, Mahumetanis, ad {
1. *Instructionem velut ex demonstratione pleniorem,*
2. *Confusionem.*

* 1. *Ad instructionem* in fide, cuius illis occasio amplissima, ab adspectu ostensioneque locorũ, è quibus fides nostra adstruitur.

* 1. *Verbi causa. Non credunt illi* altiora hu-

Vel vt sic velut demõstratiue instruantur, in fide Catholica,

manis de Christo? Non credunt Deum verum, sed hominem dumtaxat, etsi sanctum illum quidem virum, & prophetam magnum, & quidem natum ex virgine fatētur?

At credendi ansa illis prolixa porrigitur, à locis, quæ vident, calcant, incolunt, ipsique nostris peregrinis demonstrant, in quibus vel audita, vel visa Diuinitatis Christi testimonia luculentissima.

Ostendunt, vbi in Iordane baptizarit Christum Baptista suus, vbi dixerit Pater de Christo: *Hic est filius meus &c.*

Ostendunt, vbi mortuum Lazarum imperioso illo suo verbo (*Veni foras*) si nō ex Inferno inferiori, certè ex morte quatriduana iàm tabo defluentem, putentem, ac sororibus grauem excitarit, opus diuinum, hominibus Angelísque altius, vt vel sic credant Deum.

Ostendunt, vndè is triduum mortuus resurrexerit.

Ostendunt, vbi is ieiunârit, pugnârit, vicerit, triumphârit de principe Inferorum, vbi in monte Thabor adparuerit *os humerósque Deo similis*, vbi turbas pauerit, paucis panibus, innumeras; vbi claudos curauerit: ad singula non dicam stadia, sed pedes, singula miraculorū Christi vestigia ostendunt.

Ostendunt, vidéntque etiam nunc ignem adhuc anniuersariè, hebdomade Sancta, cælitus

litus delabentem.

* 2. *Non credunt* Trinitatem personarum in diuinis? Ast vt credant, & videre illis datum alijsque ostendere, vbi tota Trinitas simul ac semel sese ostentarit, Pater in voce, *ecce filius meus* &c. Filius in palpabili corpore, Spiritus sanctus in columbæ specie, in verticem Christi delabens & insidens.

* 3. *Non credunt* Christum passum, ac deindè rediuiuum, sed cùm Manichæo, per aliquem discipulum vicarium, crucifixum esse fabulantur? *Pius 2. lib. 1. epist. ep. 396.*

(*Aiebat enim Mahumetus Christianos stultè credere, Iesum prophetam summum, ex Dei spiritu genitum, ac omnis terrenæ labis expertem, voluiße obprobria, & cruciatum à Iudæis perpeti, cum præsertim eius gloriosum corpus minimè pati potuerit, ac proinde deridebat, qui eius sepulcrum religione seruandum censerent.* *Polyd. virg. lib. 7. inuët. c. 8.*

Vnde Pius 2. ep. ad Mahometem Imp. *Adhuc viuentem Christum confitemini ---- & eius mortem deridetis, quem trãslatum, & alium sibi similem loco suo interfectum arbitramini.*) *Pius 2. sup.*

At ostendunt tamen ijdẽ crucifixionis ac sepulturæ Christi locum, atque ità visu, demonstrationéque rerum huiusmodi, vel instrui sponte sua possint, vel à nobis erroris argui, cogíque vel ad veritatem fidei nostræ confitendam, vel suam in mentiendo malitiam.

Vel mendacij sordique lucri arguantur.

* 2 *Ad confusionem* ruboremque vel. { 1 De errore, 2. De Auaritia sordida.

Aut enim sunt, aut non sunt vera & veneranda, quæ ipsi peregrinis nostris ostendunt. Si sunt; ergo errant, qui spretis illis, aduersam superstitionem amplectuntur: Si non sunt; ergò illi sordidè auari, qui falsum pro vero, profanum pro sacro exhibent, aut temerè coli ab alijs sinunt, lucri sui causa dumtaxat.

Turpiter ille improbéque auarus est, quisquis lucri sui caussa tantùm falsa pro veris tolerat, exhibet, ac superstitiose sinit coli. Sed Mahumetani isti (vt vt se iactent virtutis studiosos, vt vt generosissimi Turcarum Musulmannos, id est, quasi Orthodoxos & rectè de Religione sentientes se vocitent) putant Iesum Nazarenum mortuum ac sepultum falsò dici ac credi, atque esse deum, atque interim tamen tolerant, exhibent, ac peregrinis nostris ostendunt loca quædam ac sedes, velut illic mortui, velut illic sepulti, velut illic rediuiui Christi &c. Sepulcrum eiusdem adorari permittunt, quæstum scilicet inde facientes, & superstitionem cauponantes cum peregrinis.

Ergo aut ipsi turpissime auari, aut fides nostra verissima, illorum inanissima est.

Fortalit. fidei. fol. 272. Da Principes Christianos dominatores esse templi vrbis Mecquę (quæ dicitur Arabicè

bicè *mediniaraziel*) in quo, Mahometem Chalybeo feretro inclusum, ferunt, vi Magnetis in laquearibus templi ipsîus, iubente seductore, inseri, sursùm, auis instar in aëre pendulæ pendêre; An ij etiàm vel pretio Mundi vnîus, Saracenos illùc adoraturos admittant? non funditus monimentũ spurcissimi nebulonis potius euertant?

In auaritiam Turcicam inuectiua.

Sed scilicet Saraceni, Turcæque, *aurum omnes victâ iàm pietate colunt*, vti & suus legislator, cuius hoc egregium sanè decretum, *Non sum mißus* (*inquit Mahometes*) *nisi in virtute gladij: & qui non susceperit meam prophetiam occidatur, aut reddat tributum, precium pro infidelitate suâ.* Auro illic licet esse infidelem; ferro non licet esse pium.

Pius 2. epist. ad Mahometem de fide Christianorum.

Apud Turcas *omnia cùm liceant, non licet eße probis*, nisi Regina pecunia donante.

Si (vt aiunt) erroneum superstitiosúmque est, Christum adorare, pro Deo colere, qui non sit filius Dei, sed se *filium Dei fecerit, aut æqualem Deo per rapinam*; (Omnis enim qui participem Deo dat vel coæqualem, illi contradicit:) cur, per Deum immortalem, Mahumetani accepta pecunia, suis illis locis, ipsísque indicantibus, sinunt adorari?

Vide Hiero. Cardanum lib. 3. de sapientia.

An cuiquam is vir probus, qui, si malum est Deos nouos falsò credi, admitti, coli: si malum furari, prædari &c. fieri illa, nume-

rato

rato auro, permittat?

Huc ergo ruboris Turcas trahi voluit Deus, in Terram Sanctam illos, expulsis nobis, admittendo.

Q. d. *Surrexit* Iesus Nazarenus crucifixus, *non est hic*, qui hîc fuit, *Venite, & videte locum, in quo positus fuerat.*

Non hæc sine n..mine diuûm.

Cæterùm, non nos inculpati, qui locum vitijs nostris dissidijsque perdidimus, vt vt potens omnium artifex Deus inde elicere nôrit bona.

Vt vt alius ditetur thesauro inuento, ille ne inculpatus, qui custos positus, illum amisit incuriosus?

Tàm nos inculpati (opinor) quàm homines ebrij & Helotæ illi, qui vitro suo sensum amisêre, atque in voluntariam insaniam incidêre, quorum tamen adspectione, pueruli seu Atheniensium seu Lacedæmoniorum ebrietatem detestari, docebantur.

Faxit Deus, vt Sacrorum ac murorum Reges, & concionatores æquis lancibus hæc pensitent.

PHI-

PHILIPPICÆ IV.

NOTÆ.

Thema. *Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ.* *Vers. 2.*

Effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam &c. *Vers. 3.*

FACTA repetitione vsitatâ, sic propositum.

Dicendum mihi hodie
1. *De hominis inhumanitate, & quæ Iudæis hîc illata insinuentur;*
2. *De inhumanitate Turcicâ in Christianos;*
3. *De peccati in peccatores barbarie.* AVE.

I.

¶ *De hominis inhumanitate, & quæ Iudæis illata hîc insinuentur.*

SI vera potiùs, quàm speciosa dicenda sunt (Auditores &c) animantium omnium vrbanissimum vnum hominem esse quidem oportebat, vt qui *apo tes homonoias,* i. ab vnanimitate ac mansuetudine nomen accepe- **Hominem natura ad pacem composuit,**

acceperit, & homo ab humantate dictus sit, quíque ad pacem atque humanitatem, planè à naturâ compositus videatur.

Animalia enim cætera vide; vniuersa, velut ad bellum, natura non antè animauit, quam armauit, cataphractorum instar.

Animantia cætera ad bellum,

Animalium enim cæterorum alia habent cornua, vt Tauri, Cerui, Vnicornes; alia dentes, vt Apri, Canes; alia vngnes, vt Gryphes, Leones; alia venena in linguis, vt Serpentes; in caudis vt Scorpiones; in halitu vt Dracones; in oculis, vt Lupi *quem videre priores*, vt Basiliscus, vt Catoblepas (de quâ sic Plinius; *Fera vocatur catoblepas, modica alioquin, cæterisque membris iners, caput tantùm prægraue ferens, id deiectum semper in terram: alias internecio humani generis, omnibus qui oculos eius videre, expirantibus.*) alia duritiem integumenti, vt Testudines, Conchylia &c. partim ad offensionem, partim ad defensionem.

Virgil. bucol.

Plinius 8. 21.

Quod ex munimen is vtrorumque patet;

At vnus homulus inermis, tenellus, edentulúsque nascitur: cui si tandem natura sufficit dentes aliquos, certè obtusos, vti & vngues molles: adeò neque morsu, neque tactu, neque visu, neque halitu vlli noxius prodit, solâ ratione armatus, hâc scilicet fini, vt socialis, pacis amans, & *homo homini Deus esset.*

Plaut.

Sed proh dolor! Armata à natura pacem

colunt,

colunt, ac ſociantur cum ſimilibus; Inerme animal homo, bella gerit, cædit, quaſi. Mors nimium tardet, ab ipſo quotidiè *Plurima mactantur ſociorum corpora Morti.* *Sed malum! homine nil belloſius.*

Nec modò homo bellacior feris, ſed in bellis quoque beluis ipſis magis beluinus.

* 1. Vt animalia cætera belligerent, non tamen noſtri inſtar aduerſus ſimiles, ſed alîus ſpeciei animantes. Cuius etiam bella peiora quam ferarum,

* 2. Vt bella gerant, non tamen iuſtis exercitibus & conglobata, inſtar noſtri, qui centenis milibus in centena milia decertamus; vt Xerxes Perſicus, Tamerlanes Tartarus, Baiazetes Turcus &c. 1. ratione obiecti. 2. modi,

Quis enim aliquandò acies leonum in vrſos, vrſorum in leones vidit? aut myriades luporum in oues aut canes?

* 3. Et quantò iuſtiora brutorum bella, qùàm hominum! Illa enim neceſſitate mera dimicant, de ceſpite, de agro, vrgente fame, anguſtis infœcundis paſcuis ſuis, aliorum, vberioribus; de iuuenca, vrgentibus vtrimque amoribus & deſiderio ſpeciei ſuæ conſeruandæ, Homines verò mera cupiditate, neceſſitate ſæpè nulla. 3. cauſæ,

* 4. Denique, quàm crudeliores homines brutis omnes ſumus! quàm feris ipſis in bello efferatiores! 4. effectus, ſeu crudelitatum,

Non eſt in brutis, quod hominem crudelitate æquet.

An non

An non plusquàm ferinæ crudelitatis est, hominem tanquam signum ad sagittam, ab homine, ad palum deligari, Sebastiani aut Christinæ instar? puerilibus gladijs, ad puerorum vires ità experiundas, ex captis militibus fortissimos obijci? verubus alios transfigi; alios verubus adligatos tornando euiscerari, quæ tria Turci in Christianos fecêre! ad arborem deligatis, spinam dorsi, velut pecudi ventrem, findi, quo genere, prope Gandauum, in Franciscanum Prouinciæ Flandriæ sæuitum est?

In viuos exarmatos.

Alexander Pheræus viuos homines, obuersis in se faciebus, sepeliebat; alios vrsorum pellibus inuolutos venatoribus & feris conficiendos proponebat.

Plut. tom. 1. vit. in Pelopida.

Mortua quin etiàm iungebat corpora viuis
Mezentius nescio quis Diuûm contemtor,
Opponẽs manibúsque manus, atque oribus ora,
Tormenti genus, & sanie tabóque fluenteis
Complexu in misero, longa sic morte necabat.

Virgil. 8. Æneid.

Alius, domûs a Marka surculus degener, Franciscanos æuo nostro capiterenus infôdit, ad quorum capita, velut ad scopum, globos per ludum mitteret.

In Anglia, quo non genere crudelitatis in Catholicos Sacerdotes laicósque sæuitũ est?

Vide theatrum crudelitatum Angliæ.

Diomedes equos suos hospitum carnibus pauit.

Quid? etiam Anthropophagos, id est homini-

miniuoros homines inuenias, numquam feras (vt sic dicam) feriuoras sui generis.

Inuenias etiam, in mortuos, crudeles; imò in ossa ipsa, cineres, vrnásque mortuorum. In mortuos.

Vt Iudæos in mortuum Christum, cui *vnus militum lancea latus aperuit*.

Vt Herodiadem; quæ caput Baptistæ recisum, in patinâ ac mensâ, cultello lancinauit; vti antea Ciceronis linguam, Antonij vxor.

Vt Tulliam, quæ per Seruij Tulli Rom. Regis ac patris sui, à marito occisi corpus, carpentum agi iussit. Vt Achillem, qui *ter circum patrios raptauerit Hectora muros*. *Ouid. Fast. Liuius decad. lib. 1. Appianus lib. 4. Senec. in Octauia. Virgil. AEneid.*

Vt Græcos, quorum multitudo in Hectoris mortui corpus tela coniecit.

Vt, qui Hierosolymos olim cepêre, de quibus hîc Asaph noster, cùm ait; *Posuerunt morticina* (seu aliàs, mortalia) *seruorum tuorum escas volatilibus cæli &c.*

Sed singula videamus. Deploratis igitur generatim primùm templi materialis mysticíque iniurijs, tàm his, quæ ob peccata, quàm illis, quæ ad peccatum trahunt, nunc delabitur ad corporum mortuorum, viuorúmque barbaras offensiones. Quam rem Iudæi sæpe sub Barbaris experti,

Morticina autem propriè cadauera illa animantium dicuntur, quæ sine cæde, seu sponte mortua sunt, id est, non mactata, exanguia, corrupta; & adiectiuè dicitur morticinus, a, um, etsi aliquando reperias positum substantiuè

tiuè morticinum.

Varro de re rustic. lib. 2. c. 9.

Varro: *Morticinæ ouis non patiuntur carne vesci*: Impropriè, etiam cadauera tam brutorum, quàm hominum per vim occisorum dicuntur, sed scriptura, sæpè significatum vtrumque confundit.

Propriè verò hic (opinor) morticina vsurpauit Propheta.

Alioqui, mox in eodem versu dicens, *posuerunt carnes sanctorum tuorum bestijs terræ*, idem dixerit, nisi per morticina significet sponte mortuorum cadauera & per carnes, corpora trucidatorum ab hostibus ipsis.

Sed ales etiam; Cùm crescere debet oratio maximè inuectiua, cuiusmodi ista est, decrescet hoc sensu: Minus enim est non sepelire, quod solum, per istud *posuerunt carnes sanctorum tuorũ bestijs terræ* & per istud, *& non erat qui sepeliret*) tum significabitur, quàm sepultum refodere feris obijciendum:

Respondebo negatiuè; Maius enim, & occidisse, & negasse sepulturam, & insepultum bestijs proponere, quàm sponte mortuum refodere ferisque obijcere. Vtrique enim sed non sentienti feræ illudunt; sed vni dumtaxat, & cum ingenti sensu doloris, & ante tempus, vita adimitur, res omnium pretiosissima.

Et carnem adhuc cruentam & calentem velle laniari ac raptari barbarius, quàm ossa

ſa arida reſoſſorum.

Et ad peſtem in Remp. inuehendam, iſtud o potentius; & adde ad rabiem canum, Luorumque &c. à quibus poſtea iuuenum ſeúmque laniena.

Denique creſcit oratio ibi (*carnes ſanctorum torum beſtijs* &c) vbi damnatio viuorum ad eſtias ſubauditur.

Ergo hoc ſenſu, forſitan propheta primis iis verbis (*poſuerunt morticina* &c) hoſtem in amdudum ſepultos ſæuiſſe, refoſſis ex ſepulcreto, maiorum corporibus, &, vel in plateas eiectis, vel in agrum, in ſterquilinium, in vallem Eunon exportatis, ad canum, luporum, coruorum, vulturúmque ſeu cibos, ſeu ludibria, inſinuat. I. Vel refoſſis maiorum ſuorum oſſibus;

Aut (ſi ſenſu improprio loquutus eſt) inſinuat recenter trucidatos, vel in partes ſectos, crudos coctóſue (vt mòx dicam) vel integros, non tantùm ſepeliendi negligentiâ, ſed ſtudio, ſed imperio, ſed prohibitione victoris inſolentis, inſepultos iacuiſſe, imò & feris in hoc adductis obiectos: Item, aliquos in cruces rotáſque actos, & vulturũ coruorúmque præda illìc, decreto, relictos. II. Vel cæſorum cadaueribus non ſepultis;

Ea phraſis, réſque illâ ſignificata, frequens in ſcripturis.

Hierem. 34. *Erit morticinium eorum in eſcam volatilibus cæli, & beſtijs terræ.*

Goliath Dauidem, imparem ſuum (vt putabat)

1. Reg. 17. tabat) antagonistam sic territat, dicens: *dabo carnes tuas volatilibus cæli, & bestijs terræ,* & vicissim imperterritus Dauid, castris Philisthijm eadem totidem verbis minatur; *Dabo* (ait) *cadauera castrorum Philisthijm hodie volatilibus cæli, & bestiis terræ.*

III. Vel viuentium nonnullis damnatis ad bestias.

Aut si (vt quidam vertêre, legendum est, *Posuerunt mortalia seruorum tuorum escas volatilibus cœli &c.*) subsignificari putem, quosdam ex Iudæis viuos, sanósque, damnatos ad bestias. Mortalia enim nondũ mortua propriè dicuntur, sed quæ tamen mori possint.

Sic Daniel in lacum leonum aliquandò missus à Nabuchodonozore.

D. Hiero. de script. Eccles.

Sic Ignatius, *commouente persequutionem Traiano, damnatus ad bestias Romam vinctus mittitur.*

Vt Romæ olim, in Circo maximo, pugna bestiarum & damnatorũ populo exhibebatur (vndè & illa celebris de Androdo quopiam seruo Daco, & Leone eius seruatore historia:) sic fortè Hierosolymis à Barbaris, Iudæorum & ferarum pugnæ datę.

A. Gell. lib. 5. noc. c. 14.

Malim profectò hîc refossionem sepulchrorum hosticam intelligi, non qualis illa rustici fuit, qui Antigonũ refodere se aiebat amore & desiderio mortui nuper regis melioris; nec qualis illa Magorum necromanticorum; nec qualis illa Regum & ipsius Iacob ad maiorem sepulcri splendorem aut

Genes.

loci

loci ſanctitatem; nec qualis illa Diogenis & Brachmannorum, ad mortis meditationem; nec qualis nunc Romano-Catholicorum ad reliquiarum ſanctarum religionem; nec qualis illa Iudicum, ad multam indignorum; ſed qualis illa Syllæ, Cambyſis & ſimilium, ad meram inſultationem.

Sylla enim in coniuratione canem potiùs præſtans, quàm hominem, Marium iuſſit exhumari, atque in flumen proijci, quod ne ipſus poſteà, aut peius aliquid, ab hoſtibus pateretur, teſtamento cremari ſe voluit. *Olaus Magnus lib.16. hiſt.c.45.*

Cambyſes quoque, Amaſis cadauer è monumento reuulſum verberibus cædi, & omnibus probris adfici, ac demùm cremari, imperauit. *Textor in officina, tit. crudeliſſ. homines.*

Chriſtiernus Rex anno 1520. Sueonum & Gothorum Principem Stenonem iuniorem victum prælio refodiſſe, brachiáque & crura exciſa, & ignibus ſemiuſta, hinc indè ad terrorem tranſmiſiſſe ſcribitur. *Olaus Magnus lib.16. hiſt.c.45.*

Non deſunt qui ſcribant, Stephanum 6. Pontificem adeò Formoſi Pontificis odio flagrâſſe, vt eius cadauer effodiendum curârit, digitóſque manuum abſciderit, quos in amnem Tyberim proiecerit, quin etiàm eius omnia acta ità reſciſſa voluerit, vt eum ex albo Pontificum ſublatum vellet. *Ioan. Bapt. Egnatius lib. 9. exemp. c.3.*

Æuo noſtro certè ea barbaries quorundam fuit Tornaci, vt nobiliſſimi cuiuſpiam

viri cadauer refoderint.

Niuigellæ quoque in Brabantiâ, in choro Franciſcanorum, magnus ille Franciſcus Regius Minorita, Theologus ſui ſæculi clariſſimus, & Regibus Reginiſque à ſacris quondam confeſſionibus, refoſſus eſt.

In hanc ſententiam vt magis proclinem, facit, quòd ipſis Iudæis talia quædam euentura ipſe quoque Hieremias prædixit; *Eycient* (inquit) *oßa Regis Iuda, & oßa Principum eius, & oßa Sacerdotum, & oßa Prophetarum, & oßa eorum qui habitauerunt Ieruſalem, de ſepulcris ſuis: & expandent ea ad Solem & Lunam, & omnem militiam cæli, quæ dilexerunt, & quibus ſeruierunt, & poſt quæ ambulauerunt, & quæ quæſierunt, & adorauerunt. Non colligentur, & non ſepelientur: in ſterquilinium ſuperfaciem terræ erunt.* Quibus verbis futuri temporis idem fortè ſignatum, quod ab Aſapho verbis præteriti, ob certitatem Prophetiæ.

Hierem. 8.

Et profectò tàm frequenter, tàm inaudita Iudæis contigerunt à Barbaris, vt quidquid libeat, liceat dicere hoc verſu (*Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli &c.*) ſignificari.

Varia certe ſub varijs, Iudæis contigere.

Percurre vnà tu mecum & tempora, & Tyrannos.

Sennacherib enim an non in Niniue, paſſim in plateis Iudæos trucidari, & (quod illis

Sub Sennacheris.

illis morte grauius) insepultos relinqui iubet, nisi furtim sepeliret Tobias? Exercitûs nimirum sui, in Iudæâ, ab Angelo, ad Ierusalem, subitam stragem vehementer Tyrannus dolebat.

Assyriorum, & Babyloniorum sub Nabuchodonozore feritates notissimæ. Sub Babylonijs,

Ptolemæus cùm quinquaginta milia Iudæorum prælio occidisset, nonne in victoriâ prouinciam peragrans militibus imperat, Iudæos quotquot inuenirent, dilaniare, atque in cacabos coquenda inijcere? Quò illud, nisi ad escam ferarum, vel ad mensam suorum plusquam Thyestæam? Sub Ptolomæo, *Brufon. lib. 2. exempl. c. 9.*

Antiochi persequutione, quò non vsque sæuitiæ itum est? Sub Antiocho immania;

Sub illo, *Mulieres quæ circumcidebant filios suos trucidabantur.*

Sub illo, *suspendebant* (barbari) *pueros, à ceruicibus per vniuersas domos eorum, & eos, qui circumciderant illos, trucidabant.*

Sub illo, *trucidati abstinentes à cibis immundis.*

Sub illo, *senes trucidati in plateis.*

Sub illo, *septem fratres cum matre, in sartaginibus paratis, ollisque æneis succensis,* periêre, è quibus priori iussit amputari linguam, & cute capitis abstractâ, summas quoque manus, & pedes præscindi, & sic cæteris ad vnum omnibus, in quorum vltimum plus

quoque ſęuiſſe legitur? Sub quo *Nouiſſimè & mater conſumta eſt?*

2. Machab. 9. Ex eo auditum *ſe non habiturum Iudæos dignos ſepultura ſed auibus ac feris diripiendos traditurum?*

Sed &, Antiochi barbariem notans, benè veréque addit propheta *effuderunt ſanguinẽ ipſorum tanquam aquam*, id eſt abundantiſſimè & torrentis inſtar; vel *tanquã aquam*, id eſt ſecurè impunè, aquæ enim prodigum nemo perinde reprehendit, atque vini; vel *tanquam aquam* id eſt, ſic vt riuos ſanguinis perennes videre eſſet; vel *tanquam aquam* id eſt contemtim, inſatiabiliter, & cum voluptate; Nihil enim maiore contemtu ſpargitur, quàm aqua; nihil ex liquidis minus ſitim ſedat, quàm aqua; nihilque à ſitientibus auidius bibitur (vndè, & de auidè, faciléque peccantibus dicitur: *bibunt vt aquam peccatum*) q. d. non maioris æſtimarunt ſanguinem Iudæorum, quã aquam ſpargi, nec ſatiari cędibus potuerunt, neque quidquam iucundius habuerunt.

2. Mach. 5. Nam &, ſub Antiocho, *Apollonius Hieroſolymis, ſpecie pacis, feriatis die Sabbathi Iudæis, arma ſuos capere iuſſit. Omnéſque qui ad ſpectaculum proceſſerant, trucidauit, & per ciuitatem cum armatis diſcurrens, ingentem multitudinem peremit.*

Erant in toto triduo octoginta milia occiſi ab Antiocho.

Hóccine

Hoccine erat *sanguinem velut aquam effundere*

Titi verò Vespasianíque temporibus, quæ non barbaries Iudæos afflictauit? Sub Tito & Vespasiano, immanissima.

Romanus Iudæos euiscerabat, sicque aurum rimabatur.

Partim cædibus intestinis, partim fame ac peste, partim gladio Romano, vndecies centena milia populi Iudaici tùm periêre. Captiuorum centum milia fuêre.

Hierosolyma tunc ita vastata, vt qui deinde ad eam accederent, habitatam eam aliquandò fuisse vix crederent. *vide Ioseph. lib. 6. belli 13. & 7. belli 14. 17. 18.*

Vrsi illi duo scilicet è sylua Romana egressi, derisores Christi veri sc. Elisæi deuorabant, Titus inquam & Vespasianus. *4. Reg.*

Lyranus ait id iam olim in Deuteronomio prophetatum, & ex Iosepho refert, triginta Iudæos non pluris vendi solitos à victoribus, quàm denario vno, qui Christum denarijs triginta mercari fuerant.

Denique, non ineptè tangi putes his verbis *Effuderunt sanguinem* &c cædem illam puerorum, in Bethlehem & eius finibus, circum Hierusalem, sub Herode perpetratam. Sed de literâ ac mijrrhâ primâ nunc satis. ad secundaria quædam alia, & ad rotam in medio rotæ veniamus.

II.

¶ De Turcarum in Christianos inhumanitate.

Christiani vero sub Mahumetanis,

QVID verò, si dixero, prophetam, prophetiæ perspicillis & oculis spiritûs in libro futurorum legentem, prędicere voluisse, & ea quæ iam olim & quæ nunc Christiani, abs Turcarum immanitate patimur, *& quorum pars magna sumus?*

Carthus. in tropologia huius psal.

Dion. Carthusianus in hac sententia: *De Christianorum, inquit in Hierusalem, atque in terrâ sanctâ, multorum occisorum, cadaueribus loquitur versus sequens, posuerunt morticina seruorum* &c.

Cui ego adsentior, & si hîc erro quià non solus, neque vanis argumentis, neque mutiliter, libenter erro.

In Palæstina.

Quem *sanguinem* illi non *effuderunt tanquam aquam*, & in Ierusalē, & *in circuitu Ierusalem*, id est, in ciuitatibus regnisque in gyro eius consistentibus dicam? imò melius planè iacentibus?

VVolfrangus in chronico 1247.

Prætereo quo modò Saraceni Asiatici anno 1247. Christianos in Syria vexarint & sepulcrum Christi ignominiosè habuerint.

Vicina loca, & tempora tantum commemoro.

Constantinopoli,

Constantinopolim (quæ olim Byzantium à Pau-

à Pausaniâ conditore dicta) audiſtis, celebritatem primam, & tandem eius excidium; Conſtantinopolim (inquam) nouam illam Romam, alterum orbis oculum, ſedem 4. Patriarchalium primam, antéque Hieroſolymitanam, Antiochenam, atque Alexandrinam euntem non tempore, ſed honore, Orientalis Imperij caput, Imperatorum ſolium, quæ poſt Conſtantinum totâ & ampliùs annorum chiliade noſtra fuerat, quæ nulli quàm Chriſto ſeruierat, quæ ſinu ſuo ac velut aſylo eiectos aliundè Diuos, eorúmque reliquias exceperat, heu! captam tandem audiſtis, ſeu Caroli Septimi 33. poſt Concilium Florent. anno 1452. ſeu 1453. quarto Calendas Maias, ſub Conſtantino 11. etiàm Helenæ filio; At quanta barbarie! *Effuderunt ſanguinem* Chriſtianum *tanquam aquam* ſanè, id eſt vberrimè, impuniſſimè.

Nicephor.

Richerius.

Ioann. Ramus lib 3. rerum Turc. in Mahometo.

Sophiæ templum Iuſtiniani Cæſaris opus toto orbe famoſum, & cui alterum comparare nequiſſes, tùm ad omnes ſpurcitias patuiſſe, & (Richerij relatu) *lupanar mulierculàrum redditum,* tetro Mahometis ritu fœdatum eſſe, ac *Mahometis ſpurcitijs reſeruatum,* ſuperiùs dixi, nunc dico *poſuiſſe* Turcas *morticina ſeruorum Dei eſcas volatilibus cœli &c.*

Supplementum annal. Glycæ vtrãque tangit opinionem.

Richer. lib. 4. rerum Turc.

Pius 2. in bulla de profect. in Turcos.

Nam oſſa martyrum, quæ fuerat in illa vrbe pretioſiſſima, & plurima (anteà enim fuerat receptaculum & aſylum SS. reliquiarum,

rum, illùc translatorum procul à Christiani nominis hostibus) canibus & suibus tunc obiecerunt.

Richer. lib. 4. rerum Turc.

Raptæ ex cæteris fanis virorum SS. reliquiæ detractâ quantumuis humili theca vel emblemate, in populares vias, in colluuiem, in fœdissimas cloacas abiectæ, non hominibus modò impijs, sed & multis animalibus, & canibus & porcis dabantur conculcandæ.

In qua sæuitum in Diuos defunctos,

De quibus dixi latius suprà, & plura videre est apud Pium 2. in bulla de profect. in Turcos, & lib. 1. ep. ep. 131.

Item apud Ioan. Ramum lib. 2. rerũ Turc.

Apud Rossensem ad art. 34. Lutheri.

Quæ quid sunt aliud, quàm mortuos Diuos refodere, Christum ipsum excire, *morticina* refossa *escas volatilibus cœli & bestijs terræ ponere?*

De versu autem isto, *Effuderunt sanguinem tanquam aquam &c. quis talia fando Myrmidonum Dolopúmue, aut duri miles Vlyssei Temperet à lachrymis?*

Virgil. 2. Æneid.

Quanta crudelitate in subactis vrbibus ac prouincijs vsi sunt, horret animus dicere (ait Pius) *In Constantinopoli Græcorum Imperator* (Palæologus) *obtruncatus est, & caput eius hasta suffixum, per castra delatum. Fastianis principibus eruti sunt oculi. In Lesbon multitudo pauperum palo transfixa. In Bosna Regem qui salutem pactus sese dederat cum patruo suo, Mahometes ipse*

Pius 2. in bulla de profect. in Turcos, quæ habetur lib. 1. epist. ep. 414.

In Imperatorem ac Magnates Christianos,

res ipse humano sanguine insatiabilis, sua manu (vt fertur) iugulauit.

Idem Mahometes, Constantinopoli capta, in mensa, jam bene ebrius, nobilissimos quosque stirpis imperialis coram se, Bassis, ac præfectis, truncari iussit, non in carcere vt quondam Herodes Ioannem. Idque inter pocula.

Idem cùm præconis voce edixisset, *vt nobiles omnes se proderent, non passurum enim se tales mancipia fieri*, & plures, spe illa animati, se prodidissent, truncari ad vnũ omnes iussit. *Effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam, tanquam aquam*, vberrime & contemtim. Et per dolum,

Quid? Anno 1474 commisso cum Persarum Rege ad Euphratem fluuium prælio, cum Turca victor extitisset, séxque hostium milia & octingentos cepisset, domum rediens, in singulis locis vbi statiua habuerat, quingentos per diem gladio secari iussit, & insepultos dispersit, totámque Armenorum regionem horrendis funerum spectaculis impleuit, adeò is in omnes & vbique & semper sæuus, & tam fuso sanguine, quàm aqua pota, insatiabilis est, hydrops iste Barbarissimus. *VVolfrangus in chro.* 1474.

Taceo, quod Baiazetes 1. anno 1395. cùm Ioannem Burgundiæ Ducem, aut ducis filium, Niuernensem comitem captum cum multis equitibus Gallis teneret, trecentos Gallos equites (exceptis 5. aut 6. quos Duci dona-

donabat) coram Burgundo ipso trucidari voluerit, sic quoque in ipsum sæuiturus, ni sortilegus quispiam continuisset, aiens solum illum superstitem, plures ex Christianis necaturum, quàm Patres maioréque eius vnquàm hactenus excidissent. Crudelitatem scilicet immanem spes fœnoris immanioris refrænabat.

Paul. Ionius in Baiazete I. tägit huius rei aliquid.

Sed & Rhodi, *Iac. Fontanus lib. 2. de bello Rhodio cui & interfuit.*

Capta Rhodo quo non vsque sæuitum? *Contra conuenta mox sacra omnia profanans, primarium fanum numini tutelari sacrum in ædem Mahumetis conuertit hostis. Euulsis e sedibus suis statuis, & beatorum imaginibus abrasis, sepulcra Magistrorum, & quidquid sculptum scruptumque Magistratus causa erat, dirui ac complanari iussit ---- Christi crucifixi statuas luto cænóque conspersas, per strata eiecerunt: Christianis tollere volentibus statim fustuarium paratum erat.*

Ægrè Magistro equitum Philippo Liladamo parcitum est, etsi ex pacto oportebat.

Io. Rauius lib. 2. rerum Turc.

Et alibi.

Caroli 5. æuo & Solymanni (vt opinor) *cum Ioachimus Bradeburgensis ab Imperio, contra Turcos cum exercitu incredibili ad Budam Hungariæ sedem recuperandam emissus eßet, rediretque re infectâ: Turcæ in dextram exercitus nostri alam quam ferè totam Belgæ obtinebant, irruere. Vnde quingentos vel amplius viros fortißimos abduxerunt quos non interfecerunt, sed inauditis & tristißimis mutilationibus deformatos in vniuersam Græciam dimiserũt ---- Supplicij autem genere vno in omnes*

vsi

vsi sunt. Primùm, candenti ferro dextrum brachium traycientes, effecerunt, vt post hac (si vnquam ad suos reuerterentur) inutiles essent operi & militiæ. Deinde verticem capitis ad caluariam vsque detonderunt ea ferè latitudine, qua plerumque monachi regulares coronas gestant. Ac tertiò penem ex ordine omnibus execuere, quod vulnus vt maximæ eorum parti letale extitit, ita paucis qui ei malo super fuere, quamuis morte duriorem vitam reliquerunt. Viennæ in Austria, vnum ex illis ait se vidisse Ioannes Ramus, qui vxorem & liberos discedens ad bellum Bruxellis reliquerat. *Effuderunt sanguinem* Christianum *tanquam aquam &c.*

Mancipia sua ex Christianis Deus bone! vt tractant barbarè! *verberibus, si errauerunt, vt asinos castigant, atque inter verbera crucis & Paßionis Christi improperium irrogant.* quod quid est aliud, quàm Christum ab inferis reuocare, atque illum, in suis, refodere per iniuriam? *Ex chronic. Turc.*

Effundunt illi *sanguinem* nostrum *tanquam aquam*, id est, quàm abundanter, tàm impunè, nobis interim cessantibus, oscitantibus, dormientibus! Proh! pudorem! Côtra quos inuectiua.

Scythas olim legimus, cum Darium fugerent, eidem roganti, *quousque tandem fugerent?* respondisse sanè non Scythicè; *Non tanti (ô Rex) apud nos est agrorum, domorúmque amißio, nostra filiorúmque mors, quanti sepulcreta,* *R. P. Ant. Gueuarra to 1. ep aur. ex Xenophonte Theanbo.*

pulcreta, aut sepulcra maiorum, ad quæ cùm perueneris, tùnc demùm intelliges, quanto maioris oßa mortuorum, quàm vitas mortalium æstimemus: Ibíque tum fortissimè, vti pro aris focísque, pugnâsse, ac antè passos ad vnum se omnes internecione deleri, quàm ferrent se superstitibus sepulcra suorum iniurijs hostium dedecorari.

Nos Christiani violatis ac velut refossis Diuorum, & ipsius Diuorũ Principis Christi reliquijs, non stamus? non resistimus? non sistimus barbara ausos, ausurósque semper barbariora barbaros?

Impunè semper Turcus posuerit morticina seruorum Dei escas volatilibus cœli &c. *& nostris illuserit aduena regnis?*

Impunè *Effuderit sanguinem Christianum tanquam aquam in circuitu Ierusalem!*

Impunè Imperator Turcicus se insigniat titulo *Domitoris Christianorum!*

Impunè inaugurandus coronandúsque iuret, continenter se bella gesturum in Christianos, & si possit, extincturum!

Tranquillus. Impunè optent Turcæ ceruicem vnicam Christianis esse, vt quondam Caligula populo Romano, vt vniuersos semel ac simul deleat!

1. Machab. 6. Scilicet Elephanti ostenso vuæ moríque sanguine animabuntur.

Indici galli viso colore rubeo ira turgescẽt, Tauri

Tauri puniceis vistibus, Elephanti albis efferabuntur, atque in rabiem agentur; Nos Christiani nulla iusta irâ, aut dolore visis tot in terrâ fluminibus sanguinis Christiani commoueamur? Semper Turca nostra non patientia sed insensilitate abutetur?

Plut tom. 2. moral. tractat. 1. de fort. Alex.

Arma viri, ferte arma, vocat lux vltima victos

Vergil. 2. Aeneid.

Si *hic* populus tàm *ferus*, tantam cum lacte hausit feritatem vt *manus eius contra eum.*

Genes.

Hę hominum in homines inhumanitates hæ Ottumannidarum in Christianos feritates, quæ tamen vnâ peccati immani feritate vincuntur vt nunc dicam.

III.

¶ De peccati in peccatores barbarie.

PECCATA planè immaniter in nos sęua. Occidunt enim trucidántque animos primùm, atque ad cadaueris morticinique naturam redigunt, tandémque escam bestijs obijciunt.

Peccata autem vniuersis barbariora.

Quid enim anima spontè peccans destituta Dei sui gratiâ velut animâ sua, aliud quàm cadauer, imò morticinum, & nescio quid Lazaro post quatriduū refosso putidius?

Vt anima homicida.

Vt naribus diuinis angelicisque qui sunt Christi bonus odor sunt & lilia conuallium: ità ijsdem teterrimus fætor, odor mortis in mortem, cadauere canino intolerabilior pecca-

peccatores.

Nota est illa Angeli ad Eremitam, de iuuene comtulo prætereunte sententia, cum eremitâ naribus aromatum odorem bestium hauriente, ipse suas clausisset: *Tolerabilior est canis putridus foetens hominibus, quàm anima peccatoris Deo.*

Hugo in lib. de bono conscientiæ.

De peccatore dictum, *nomen habes quod viuas, & mortuus es.*

Vidua quæ in delicijs est, viuens mortua est.

Homo per peccatum occidit animam suam.

Eadem peccata talem animam *apponunt escam volatilibus cœli, & carnes bestijs terræ.*

Volucres cœli, Dæmones sunt ex Gregorij mente, in illud: *Et volucres cœli comederunt illud semen* &c fœdæ volucres, vt harpyię.

D. Thom. p. 1. q. 64. art. 4. c.

1. Tum, quia cœlo, & cum cœlo orti:

2. Tum, quià per aëra circumuagantur, tentandis, exercendísque hominibus, nondum tracti sententia vltima in inferiora terræ.

D. Aug. 3. sup. genes. ad lit.

D. Augustino, *Aër caliginosius est quasi carcer dæmonibus, vsque ad diem Iudicij.*

3. Tum, quia alta cum lucifero incentore, auium atque aquilarum instar, adpetiêre. Vt soli aquila; ità illi Deo proximi esset voluêre, atque in eius vel sinu, vel throno esse, quod vel apud Persas capitale est.

Vale. Max. lib. 5. c. 1. Esai. 14.

Adscendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.

4. Tùm,

4. Tùm, quia ad volatum sublimen ac superbiam omnes vocant.

Bestiæ terræ lupi, leones, dracones, serpentes, & id genus aliæ, ijdem Dæmones intelligantur, sed ij, qui iam in profundum Inferni proiecti, sunt damnatorum tortores futuri. Bené enim bestiæ terræ tales dicuntur, quoniam Infernum locant in centro terræ, & illis idem est, quod foueæ vulpeculis, cuniculi cuniculis, antra leonibus.

Esca, verò vtrorumque est, quidquid ipsis est voluptati, sicut Dei & hominum cibus, omne, id, quo delectantur, per metaphoram. *Meus cibus est, Vt faciam Voluntatem Patris*, ait Christus.

Esca oculorum, colores; aurium, harmonię &c. *oculos pictura pascit inani*, ait ille. *Virgil. 1. Æneid.*

Solet autem alimentum, in aliti naturam transire.

Sensus ergò est; gentes illæ barbaræ id est tot peccata, quæ in hæreditatem tuam Ecclesiam inuaserũt, ità animos plerorumque trucidarunt, & spoliatos anima gratiæ tàm similes cadaueribus effecerunt, vt sic Dęmones ijs delectentur, vti vultures & corui cadaueribus, & iàm ità in suam vertant substantiam, id est societatem, vt non amplius homines, sed dæmones meros putes, aut incarnatos.

Item: eadem peccata aliquos tradunt

bestijs terræ, vorandos, cùm illos ad Infernum trahunt, cum maxima Dęmonum voluptate.

Sed & *carnes sanctorum* .i. corpora damnatorum, qui nuper sancti fuerunt, aut esse debuerunt, & potuerunt, dantur *bestijs terræ*, cùm corpus simul cum anima cruciatur.

Psal. 61. *Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.*

Et fortè carnes Sanctorum, sunt ipsi carnales homines, inter iustos vel ex iustis prius.

Hoc sensu dictum: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* .i. carnalis est, quantus quantus est, vix scintillam spiritus in se superesse demonstrans.

Et malorum omnium horum primi autores. *Effuderunt* quoque *sanguinem ipsorum tanquam aquam &c.* id est clades, cædes, stragésque eis in hac vitâ, & omnes calamitates peccata intulêrunt. Peccatis nostris stimulantibus in nos Barbari efferantur. Quicquid patimur, peccata nostra meruerunt.

Vel, si sanguis in scripturis sæpè peccatum significat, (vt hîc; *Sanguis sanguinem tetigit*; & illîc *manus vestræ sanguine plenæ sunt*, & alibi, *Libera me de sanguinibus:*) Peccata *effuderunt sanguinem* seruorum Dei *tanquam aquam*, cùm priora illa ad alia peiora & plura suo pondere pertraxerunt, & facilè, & contemtim, & velut per risum, quomodo aqua spargitur: vel *effuderunt in circuitu Hierusalem*, cùm ad alios nostram infamiam diffundunt,

(Marginal notes: Osea 4. — Isai. 1.)

dunt, & aliquos faciunt imitatores, vel nostri contemtores.

Sed *Nec erat qui sepeliret*, nàm plerisque adeò perijt pudor, vt tegi turpia nolint, quin & *peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, gloriantur cùm malèfecerint, & exultant in rebus pessimis*, inuerecundiores anatibus, ciconijsque, quæ mòx ab adulterio lauantur; impudentiores felibus, canibúsque, qui excreméta, si possunt, effossâ terrâ sepeliunt.

Hominum istorum *non erat* quispiam *qui sepeliret*, adeò erant publica mala, & multorum, vt similia præstare, aut iactare facta, turpe non esset.

Nec castè, nec cautè. An non hùc rerum secula & mores nostri venêre, prophetæ huius lachrymis meritò deploranda? *Æui nostri corruptela.*

Hos spiritales Barbaros nisi expellimus, non video, quî corporales illos Pharaones, Turcas, inquam, propulsare ab agro adhuc nostro, aut expellere ex hactenus obcupato possimus &c.

PHILIPPICÆ V.

NOTÆ.

Thema. *Et non erat qui sepeliret.*

FACTA repetitione vsitatâ, sic propositum.

Dicendum mihi hodie
1. *De crudelitate ac pœnis sæuientium in mortuos, aut sepulcra aut sepultos violando, aut sepulturam negando;*
2. *Cur homines sepeliendi.*
3. *Cur Christianis certa sepulcreta & de abusibus funebribus.*

AVE.

I.

¶ *De crudelitate ac pœnis sæuientium in mortuos, aut sepulcra, aut sepultos violando, aut sepulturam negando.*

Sæuitia in mortuos intoleranda.

IN neminem quidem sæuiendum, at in mortuos multò minus, imbelles, victos, neque vltrà nocituros.

Sæuitiam in viuos excusat nonnunquam, hostium vis inuicta, obstinacia, recés adhuc iniuria, vincendi vtrimque studium &c.

Sæuitur tamen non raiò, vel nouis ictibus, vel sepulcri refossione, vel sepultura negata.

negata.

At *Nullum cũ victis certamen, & æthere caßis.* *Virgil.*

Vel Leones vide, apud quos sæuiendi finis, victoria.

Corpora magnanimo satis est prostrâße Leoni, *Ouid.*
Pugna suum finem, cùm iacet hostis, habet.
At lupus, & turpes instant morientibus vrsi,
Et quæcunque minor nobilitate fera est.

Sæuitia, ignobilitatis atque imbelliæ comes indiuidua, & signum. Ignobilitatis comes, signumque.

Lupum olet, & fæmineam rabiem, in mortuos sæuire.

Fuluiam Antonij vxorem lego, Ciceronis mortui caput diris execratam inspuisse, linguam è faucibus detractam aciculâ plerumque confixisse; (sed fæmina fuit, & forsitan lupa.) Quintianus in Cleopoli: *Latiam foderet nec Fuluia linguam:*

Et Herodiadis filiam, capiti Baptistæ, in disco ac mensa, insultâsse, & stylo pupugisse; (Sed fæmina fuit, & si non fortè lupâ, tamen lupa genita.

Thomyridem quoque caput Cyri Persarum Regis, in vtrem humano cruore plenum, demisisse, iratam de filij sui morte. *Herodot. lib. 2.*

Attamen Sacri olim vocati, vita functi, quòd eis iniuriam inferre non liceret. *Naturam vt bonam matrem nos operire, nósque sacros facere,* ait Plinius. *Plinius lib. 2. nat. hist.*

Plutarchus sanè mortuos adpellat sacros, *Plut. tom. 1. vit. in Numa.*

quorum sacra sint sepulcra.

Piè Sòlon Atheniensium legislator, qui statuit, *Ne quis in defunctos maledicus esset. Pium namque esse dicebat, sanctos eos putare, qui è vita discesserunt, & eorum vrnas violare, inexpiabilis religionis arbitratus est.*

Mortui enim Solonis lege sacri,

Idem pœna coercuit eos, qui sepulcra delerent.

Imo & sepulcra,

Tam Romana lege, quàm Solonis, ne quis alienum bustum violaret, aut deijceret, grauissima pæna fuit interdictum: quare sepulcri violati actio constituta est.

Alex. ab Alex. lib. 6. gen. dierum c. 14.

In quorum violatores actio & pæna,

Vlpianus grauiter; *Sepulcri violati actio* (inquit) *infamiam irrogat.*

Vlpian lib. 2. ad edictũ Pratoris lib. 47. digest. tit. 12.

Violat verò, vel qui colummam ex sepulcro deijcit, frangítue: fortassis & qui lotium illò egerit, aut permingit.

Pauli Iurisconsulti censura, *Rei sepulcrorum violatorum, si corpora ipsa extraxerint, vel ossa eruerint: humilioris quidem fortunæ summo sulplicio adficiuntur: honestiores in Insulam deportantur, aliàs aut relegantur, aut in metallum damnantur.*

In digestis sup. Paulus lib. 5. sentent.

Alexander vir vbique magnus, Darij iàm victor, cum in Persas venisset, Polymachum virum nobilem, quod Cyri sepulcrum esset demolitus, necari iussit.

Etiam apud Deum:

Sed & in foro Dei actio *similiter* in *eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris.*

Psal.

Hinc *in patrios cineres minxisse* dicebatur, cui omnia infœliciter accidebant.

Pompe-

Pompeiopoli Syriæ tumulus est Strati poetæ in cuius monimentum iacti lapides euestigio in iacientem resiliunt, diuino potius miraculo, quàm naturali aliqua ratione. *Olaus Magnus lib.16. hist.c.46.*

Anthei etiam 70. cubitorum longitudine sepulcrum Plutarcho referente sacrum putatur, cuius aliqua pars læsa nisi ilicò reparetur, continua pluuia durat. *Euripid. in Troadibus.*

Neptunus apud Euripidem: *Stultus est, quicunque deuastat ciuitates, & templa, & sepulcra, sacráque mortuorum solitudini dans: pereat in perpetuum.*

Pulcra vox Polydori ad Æneam ex tumulo eius, ignoranter tamen, vimina detrahentem: *Iam parce sepulto.* *Virgil. 3. Æneid.*

Dario obprobriosum fuit, Semiramidis sepulcrum reclusisse. Ea enim cùm sibi sepulcrum non magni sumtus erexisset, sicque inscripsisset. *Quicũque Rex pecunijs indiget, aperto monumento, quod volet, accipiat,* ille thesaurum subesse arbitratus, aperuit, sed reuoluto lapide, literas alias vidit, in hanc sententiam, *Ni Rex auarus esses, & sitis auri inextinctæ, mortuæ monumentum non violásses.* Et quis scit, an non ideò victus, captúsque? *Olaus Magnus lib.16. hist. Sept. c.46.* *Niceph. lib. 2. histor. Eccles. c.23.*

Iudæus ille manibus mutilatus, qui feretrum B. Virginis Mariæ, cùm funus efferabatur, inuasit. *Digest. lib. 47. tit. 12. §.4 ex Paulo lib.27. ad edictũ Prætoris.*

Quanquam Paulo censore *Sepulcra hostium religiosa nobis non sunt,* ideóque lapides

indè ſublatos in quemlibet vſum conuertere poſſumus: nec ſepulcri violati actio competit.

4. Reg. 23. Et Ioſias dicitur tuliſſe oſſa de ſepulcris, iuſſiſſe autem non commoueri oſſa boni Prophetæ; tamen nemo ferè tàm barbarus, qui ſepulcra violet ipſe, aut ſinat violari, vel in hoſtico.

Itaque viri omnes magni in mortuos pij. De Græcis capta Troia ſic Andromache in Seneca tragœdo;

Senec. in Troade act. 3.

----- fuerat hoc prorsùs nefas
Danais inauſum, templa violaſtis, Deos
Etiàm fauentes, buſta tranſierat furor.

Scelera magna tamen, nonnunquàm erui ex ſepulcris ſuis ſepultos iubent, Dei inſinuatione, aut Eccleſiæ vltione, vt de Valeriano quodam Patricio Brixiæ vrbis, narrat D. Greg. & de Valentino Mediolanenſis Eccleſiæ defenſore.

D. Greg. lib. 4. Dial. c. 52. & 53.

Sunt vero, qui nec ſepeliunt, ſed & ſepeliri vetenu

Secundum ab iſto impietatis in mortuos genus eſt, non ſepelire, ac nolle ſepeliri, ſecundum inquam, minus enim eſt, non dare, aut dare nolle, quàm habita auferre. Fur enim raptórque ſuſpenditur, quià abſtulit, auarus non item, quia non dedit.

Cum ſepelire ſit meriti,

Certè, ſi laudem, ac præmium pietatis promittit Deus ſepelientibus: ergo contrà, vituperium, pœnáque eos ſequitur, qui negligunt, aut vetant.

Vale. Max. lib. 1. c. 8. Simonides vnus triclinio ruente, ex omnibus obpreſſis euaſit, diuinitùs euocatus

ante

ante ruinam, quòd mortuum sepelisset; aliàs ne cum alijs in mari periret: nauigare prohibitus est. *Idem lib. 4. c. 7.*

Tobiæ laus maxima, sed & discipulorum Baptistæ, ac Iosephi ab Arimathia, & Nicodemi, à sepeliendi officijs. *Tob. 2. Ioan. c. 19.*

Bonifacius ciuis Romanus suum cum Aglae matrona Romana adulterium hoc opere eluere conatus est. *Simon Metaph. in vita S. Bonif. 5. Iunij.*

Catharinam angeli ipsi in Arabiæ montem Sina mirabiliter delatam, iustis honorarunt. *Breu. Rom.*

Clementi in mare merso paratus tumulus, templi marmorei instar, ab Angelis, vt credere est. *Idem.*

Adeò ista decent mortuos, vt iusta vocari meruerint. Et debiti in mortuos, si innocentes.

Licet tamen crimina magna sepulcro negato vlcisci. *Hierem. 22.*

Vnde illud, *Sepultura asini sepelietur.*

Marcellinus ipse Pontifex, pœnitentia ductus, de thure Diis dato, Diocletiani persequutione, nemine summam sedem audente iudicare, statuit corpus suum proijci insepultum, diris deuouens sepulturum. *Plat. in vit. Pont. M. Marul. lib. 4. c. 9. Ioã. Naucl. gen. 11. vol. 2.*

D. Gregorius Pontif. monachum proprietarium Iustum nomine, re non satis, ad sterquilinium, negato sepulcreto, damnauit, adpositis illi tribus aureis à se relictis, & clamore hoc imperato, *Pecunia tua tecum sit* *D. Greg. lib. 4. Dialog. c. 55.*

in per-

in perditionem, nisi quòd illum tamen terra operiri iussit.

Iason Sacerdos Simoniacus, & militaris, qui multos antè inhumatos abiecerat, *sepultura neque peregrina vsus, neque patrio sepulcro participat.*

2. Machab. 5.

Milesijs virginibus, quæ præpostera vitæ immortalis cupiditate se interficiebant, minatos esse iudices interfectricibus sui, inhumationem, saluti fuit.

Et vsus habet, scelerosos valdè in crucibus, rotísque relinqui, & in Christum Pilatus similem tulerat sententiam, opinione non nullîus.

Quod raris negari velim,

Vindictæ hoc quidem de scelerosis, & exemplo ac cautelæ superstitum donatur, sed raro id velim, & sæpiùs aliquid donari naturæ mauelim, & prægnantiũ periculis.

Vtroque autem hoc genere sæuitum in Iudæos quæritur Asaph noster; primò quidem (vt mòx dixi) cùm *posuerunt morticina, escas volatilibus cæli &c.* Secundo, cùm *effuderunt sanguinem eorum, tanquam aquam, in circuitu Ierusalem, & non erat qui sepeliret.*

Negatum tamen aliquoties Iudæis, Tob. 1.

Non erat qui sepeliret, aut neglectu, aut metu vetantis decreti, vt Sennacheribi, vt Antiochi, & nescio cuius Ptolomæi temporibus, cuius suprà memini: aut multitudine cæsorum diligentiam superstitum superante, vt sub Tito, & Antiocho, & sæpe

olim

olim ſub Eccleſiæ perſequutoribus.

Aliqui enim in ſingulos anni dies ad 30. milia martyrum numerant.

Cæterùm, ſi metu prohibentis decreti, *non erat qui ſepeliret*, immanitas Tyranni, nõ inhumanitas popelli victi culpanda eſt. Creontes eiuſmodi mihi abominabiles, & iure Valerio reprehenſi Athenienſes, qui Milciadem in carcere mortuum ſepeliri non permiſerunt, niſi Cimo filius, patris vice carcerem intrâſſet. *Vale. Max. lib. 5. tit. de ingratis.*

Immanitatis eſt Scythicæ non ſepelire mortuos, ait meus Seneca. *Senec. ad Martiam.*

Quid in morte miſerius, quã ſepeliri non poſſe? Non quidem, quià animæ requieſcere aliter non poſſint, quod Ethnicos putâſſe vides ex Virgilio 6. Æneid. Nec quià ſentiant exanimata corpora, ſed quià honeſtati repugnans eſt, & publico bono, vt mox dicã. *Idem lib. 8. declamat.*

Indignum etiam in victoria ac ſtrage, quandò turba, imò.

---- Ille tot Regum parens.
Caret ſepulcro Priamus, & flammâ indiget.
Ardente Troiâ. *Senec. in Troade.*

Delphines ipſi ſocios, quos viuos aduerſus iniurias tuentur, mortuos cæſóſque, in mari arenâ condunt. *Cõtra quod exempla beſtiarum,*

Apes mortuas ſociæ non ſine reuerentia efferunt atque ſepeliunt.

D. Hieronymo teſte, Leones ipſi, Paulo Eremi-

D. Hiero. in vita Pauli. tom. 1.

Eremitæ condendo terram effoderunt, præsente magno Antonio, cum is sarculum, quo terram foderet, non haberet.

Et legum decreta, *Ælianus hist. lib. 5. c. 14.*

Lex illa, inter Atticas, etiam scripta, mihi est laudatissima, qua cauetur: *Si quis in insepultum cadauer hominis incidat, omni parte id terra obruat, & sepeliat ad occasum spectans: atque id seruatum custoditumque apud ipsos est.*

Buzyges Heros Athenis eos est execratus, qui inhumatum cadauer neglectui habuissent.

Cælius lib. 17. lect. antiq. c. 19.

Athenienses Ducem, qui etiàm bello peremtos sepulcro honestare neglexisset, capite plectebant.

Demosth. orat. funebri 22.

Demosthene referente, *Indigenæ Athenienses iura defunctorum violari non siuerunt, cùm septem illos, qui in expeditione Thebana ceciderāt, humari Creon prohiberet.*

Et populorū bella militant, *Statius in Thebaide.*

Creon enim, post polynicē & Etheoclem Rex Thebanorum, cùm Antigonam Oedipi filiam, & Argiam interficiendas curasset, quod illa fratres, hæc virum, supremo honore sepulturæ essent prosequutæ; & occisorum Thebanorum propinquos funeris officio prohiberet, Theseus Thebanorum matrum querelis commotus, Creonti bellum indixit, prælioque victum vitâ exuit.

Impium porrò censitum fuisse, viso cadauere insepulto, non iniecisse puluerē, etiàm in Antigone indicat Sophocles.

Pium

Pium contra, iniecisse, docet Tobias hinc laudatus, & Simonides ob sepultum vel vnicum in litore iacentem bis seruatus à naufragio, & triclinij ruina. *Sup. ex Valer. Max.*

Quid? Romani publica monumenta etiam pauperibus & seruis, vbi conderentur, ædificarunt. *Alex. ab Alex. lib. 6. genial. dierum. c. 14.*

Hebræis vt ne hostem quidem insepultum relinquerent, lex præcepiebat, quibus morte grauius erat non sepeliri.

Sanguinis Christi ipsius prætio emtus agellus *in sepulturam peregrinorum*, Dei intùs consulentis in ipsis consultoribus Sacerdotum Principibus, consilio, atque adflatu. *Matth. 27.*

Quò quis animi generosioris, hoc sepulturæ hostj procurandæ ferè curiosior. *Et generosa pectora.*

Alexander, ille Magnus, Darium à se victum à suis desertum, & vulneratum, & mortuum in curru inuentum deplorauit, & regio more sepelirj curauit teste Curtio, sed & regia chlamyde, quam tum gerebat, ornauit, & matri dedit tumulandum vt Olaus refert. *Q. Curtius.* *Olaus Magnus lib. 16. hist. Septẽt. c. 46.*

C. Cæsar Cn. Pompeij caput ex Ægypto ad se missum inter pretiosissimos odores cremandum curauit ac sepeliendum. *Vale. Max. lib. 5. c. 1.*

Hannibal Dux Pœnorum barbarissimus licet, T. Gracchum, M. Marcellum, Paullum Æmilium hostes suos Romanos honorificè sepeliuit; & Marcellum quidem crematum argen-

argenteâ vrnâ inclusit, lauream coronam dedit, & filio remisit.

Sic Agesilaus.

Achilles, etsi in Hectorem iratior à Patroclo suo occiso, & sæuior, mortuum circum Troiæ muros raptando, tamen pretio redemtum illum Patri Priamo reddidit tumulandum, vndè illud Poëtæ principis.

Virgil. 2. ÆEneid. ----- *corpúsque exangue sepulcro.*

Reddidit Hectoreum.

4. Reg. 9. Iehu post quàm merito ac satis in Iesabelem sæuisset, *Sepelite*, inquit, *eam, quià filia Regis est.*

2. Reg. 2. Dauid gratiam habuit populo Iabes Galaad, de Saule hoste suo ab ipsis sepulto.

2. Machab. 12. Iudas ille Machabæus etiàm hostes imperat sepeliri.

Petrus Ananiam & Saphyram coniuges, fallaces illos patrimonij abdicatores, iussos mori, etiàm iussit sepulcro inferri.

Sed proh dolor! Sepè Iudæos cæsos *non erat qui sepeliret*, & quidem vetantibus tyrannorum decretis.

Sennacheribum filium Salmanasar Regem Niniues, cum iratus de strage exercitus sui in Iudæa, multos ex filijs Israël occideret sepeliri cæsos vetuisse hinc adparet, quòd Tob. 1. cùm nũtiatum ei esset, Tobiam sepelire corpora eorum, *iusserit eum occidi & tulerit omnem substãtiam eius*, & Tobiæ fuerit delitescẽdum.

Antio-

Antiochum dixiſſe lego, *ſe non habiturum Iudæos dignos ſepulturâ, ſed auibus ac feris diripiendos traditurum.* 1. Mach. 9.

Sub Tito, ſepeliri omnes in tantâ multitudine non potuerunt. *Facta ſunt morticina eorum quaſi ſtercus in medio platearum.* Iſai. 5.

Itaque prophetia iſta fidem inuênit, *Erit morticinum eorum in eſcam volatilibus cæli, & beſtijs terræ.* Hierem. 34.

Et iſta Aſaphi: *Et non erat qui ſepeliret.*

Sed verò etiàm intelligi id poteſt, de priſcorum Eccleſiæ Chriſtianæ perſequutorum, & recentiorum Mahumetanorum immanitate; tunc enim ſæpè, *non erat qui ſæpeliret*, Tyrannis vetantibus. Sed & Eccleſia Chriſti eandem barbariem experta, Sub priſcis Tyrannis,

D. *Marcellini* à Dioclitiano capite plexi proiectum corpus, 36. dies, iuſſo Tyranni, inſepultum iacuit. *Ex Damaſo & breuiar. Rom.*

D. *Sebaſtianus* proiectus in cloacam tantiſper, ſub eodem Dioclitiano, dùm Lucina ab eo in ſomnis admonita eſt. *Brev. Rom.*

D. *Vincentius*, eiuſdem Dioclitiani tempore, ſub Daciano, Oſchæ in Hiſpania inhumatus abiectus eſt, quem tamen coruus Tyrannis mitior à volucribus ac lupo, vnguibus, roſtro, aliſque mirabiliter defendit. *Idem.*

Gordiani Iudicis à Ianuario preſbytero conuerſi, & ſub Iuliano apoſtata capite plexi corpus ante Apollinis templum canibus obiectum eſt. *Idem.*

Qua-

Vide Basil. hom. 20. & brev. Rom.

Quadraginta martyrum in Balneum frigidissimum demissorum, ac tandem combustorum reliquiæ in profluentem sunt proiectæ.

Huiusmodi infinita propè legis, in triumphis Beatorum Martyrum, in quos viuos variè, & in mortuos sic quoque à Barbaris sæuitum est.

Deinde, si (vt diximus sup.) superiore versu legendum est, *posuerunt mortalia seruorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes SS. tuorum bestijs terræ*; sitque sermo de viuis hominibus damnatis ad bestias, Danielis instar, an non & hoc genere in Ecclesiam Barbari sæuiêre?

Brev. Rom. 9. Iunij.

Primus & Fælicianus obiecti duobus leonibus in theatro.

¶ *De Mahumetanorum in Christianos immanitate.*

Sub Mahumetanis.

BARTHOLOMÆVS Georgieniz peregrinus ipse & captiuus, catenis vinctus, atque vt iumentum aliquod (vti loquitur) oppidatim, vicatim, & plateatim venum ductus, ad grauissima variáque rustica negotia septies venundatus, atque ideò testis tantò dignior fide, refert, vidisse se Christianos iugo imposito iunctos aratra trahere, quibus nihil profuit seu Buzygem Heroem quendam Atheniensem, seu Noacum (de quo pater

pater dixit, *Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum, in terra, cui maledixit Dominus*) aratrum & iugum vel equorum vel boum inuenisse, nàm quibusdam Buzyges ille omnium primus iunctis bobus terram arâsse creditur; ac fortè primus, sed in regione illâ, sed bobus iunctis primus, vel sic aut sic primus, vt nihil, Noaco derogetur. *Gen. 5.* *Cal. Rhod. antiqu. lib. 18. c. 23.*

Sic enim Bartolomæus ipse loquitur: *Ex captiuis alij catenâ collo vincti, per aspera & lubrica Thraciæ, atque minoris Asiæ loca, nudis pedibus, in fame ac siti, tanquam bruta animalia venales distrahuntur, & vbi labore longi itineris, vel alijs calamitatibus & angustijs afflicti, aliqui eorum extincti fuerint (vt plerumque accidit nobilioribus, & qui in otio & delicijs sunt educati) tales in proximam fossam abiecti & inhumati à bestijs dilaniantur.* *Bart. Georgeniz in deploratione sua.*

Sic fiunt serui Christi *esca volatilibus cœli & bestijs terræ*, sic *non est qui sepeliat*; sic homines nostri instar equorum exercentur, nobis interim dissimulantibus, & bellorum ciuilium nostratium strepitu, clamores & suspiria sub Turcico Pharaone gementium fratrum non audientibus, iurgantibus præliantibus nullo fine leui causâ, vt *si quis in faciem* leuiter nos *cædit, si quis deuorat* agellum, *si quis accipit*, *si quis* ex populis Beticis paulo cæteris altiùs *extollitur*.

Culicem liquamus, camelum admittimus; leuiculas seu iniurias, seu contumelias ferro igníque in fratribus vindicamus, pacem induciásque omnes respuentes; Terram verò Sanctam rursùm sanguine Christi in fratribus nostris madere patimur, rubere, pinguescere: (vt quem Turcæ *effundant velut aquam in circuitu Ierusalem, nec sit qui nostros sepeliat:*) Item ereptas nobis tot vrbes, tot regna, imò aliquot imperia, Trapezuntinum scilicet & Constantinopolitanum, & Germanum direptioni, nisi subcurratur, proximum, non dolemus, non repetimus, non vrgemus, imò gladij aut sclopeti ictu vel vno Turcam non dignamur.

Ferenda verò ferenda potius aliqua militis nostratis, ac viciniæ insolentia, vt Barbarorum illorum immanitatem superare aliquandò possimus.

II.

¶ *Cur homines sepeliendi.*

Eccles.7. Illaudati quorundam popp. ritus circa mortuos, *Alex. ab Alex. lib. 6. gen. dierum c.14.*

PIE dictum: *Mortuo non prohibeas gratiam.*

Sepeliendus planè, terráque operiendus homo mortuus.

Persarum mihi mos ille damnatur, quo damnatorum corpora feris canibúsque abijciunt.

Mago-

Magorum quoque, qui corpora ſuorum non humabant, niſi à feris eſſent antè laniata. *Cæl. Rhod. lib. antiq. 17. c. 20.*

Colchorum etiàm, qui defunctos non ſepeliunt, ſed ex arboribus ſuſpendunt. *Stob. ſerm. 120. ex Nicol.*

Diogenem eodem loco habeo, *quem quidam, dùm moreretur, mandaſſe aiunt, inſepultum proyci cadauer, vt omnes beſtiæ participes ipſius eſſent, ſiue in foueam ſuperiecto modico puluere iniycerent.* *Diog. Laert. lib. 6. vitarum Philoſ.*

Et quorundam philoſophorum damnatæ ſententiæ.

Anaxagoram pariter, qui cum Socrate credidit, ſuperuacuas eſſe ſepulturas, nihílque mali aut inhoneſti eſſe, iacere cadauer inhumatum. *Cic. in Tuſcul.*

Theodorum Cyrenæum philoſophum reijciam, qui dixit; *Theodori nihil intereſt, humíne, an ſublimè putreſcat*, cùm ei Rex Lyſimachus crucem minaretur; *Purpuratis enim* (inquit) *iſtis tuis iſta horribilia minitare*; niſi Philoſophiæ, mortem ac ſepulcrum non ſimpliciter, ſed pro virtute, contemnentis ſit oratio. *Cic. 1. Tuſc. Cæl. Rhod. lib. 17. antiq. c. 20.*

Socrates alioqui ſapientiſſimus, hîc etiàm parum mihi probatur, qui *cicutam bibiturus à nonnullis interrogatus, quo modo ſepeliri vellet; eo modo, dixit, quo vobis facillimum fuerit*; debuit enim cum poſſet obtinere, petere honeſtiſſimam potius ſepulturam, quàm facillimam. *Stob. ſerm. 20.*

Mecænatem quis laudet dicentem, *Nec*

tumulum curo, sepelit natura relictos?

Senec.ep.ad 1.lib.14.

Sepeliendi causæ sane graues & multæ, tàm adspectu superstitum, quàm mortuorũ.

Nam mortuos sepeliri vtile viuis.

Sepultura mortuorum, viuis prodest ad
1. *Honestatem,*
2. *Sanitatem,*
3. *Fidei testimonium*, & religionis
4. *Mortis memoriam,*
5. *Affectus quietem.*

Ad honestatem,

* 1. *Ad honestatem* publicam, quæ læditur, maximè in iunioribus, infirmísue, si iacent corpora nuda, incomposita, & partibus illis cuiuis conspicienda, quas natura, etiàm ante peccatum, ab oculis abiecit, post peccatum verò pudendas veste tegi voluit, & leges vetant vel picturâ exprimi.

Indecorum, à liberis Parentum verenda discooperiri, vel quà quà patere, adeò, vt ne balneis lauari quidem patribus cum filijs, apud Romanos, licuerit.

Ad Sanitatem,

* 2. *Sanitatem*, quæ infecto, cadauerum insepultorum fætoribus, aëre, firma esse non possit, neque à pestibus satis tuta, aut nõ diu.

Senec.lib.de remed. fortuit.

Hinc Seneca; *Non defunctorum causa, sed viuorum, inuenta est sepultura, vt corpora & visu & odore fœda amouerentur.*

Itáque, quæ monimenta communiter vocamus, appellare etiàm munimenta, à muniendo, possimus.

Deindè, nec vitam alioqui ageremus satis tutam

tutam, crescente sic luporum, canúmque rabidorum multitudine, & ferarum carne humana inescatarum, quæ cadaueribus voratis, etiam viuis insidiarentur.

* 3. *Fidem, Spémque* Resurrectionis futuræ. Ad fidem testandam,

D. August. *Vt corpori, sed tamen vt resurrecturo, & in æternitate mansuro impensum eiusmodi officium, sit etiam quodammodo eiusdem fidei testimonium.* D. August. lib. de cura pro mortuis agenda c. 18.

Origenes insinuat religione, atque animæ reuerentiâ, fieri: *Rationalem animam honorare didicimus* (ait) *& huius organa sepulcro demandare, vt animæ domicilia.* Orig. lib. 8. contra Celsum.

Sanctæ animæ propter inhabitantem gratiam, sancta corpora, propter inhabitantem animam.

Instrumenta illa animorum, & cum ipsis iterum aliquando surrectura, cœlóque inferenda, cùm cecidêre sepulcro, velut lectulo tantisper domitura, collocamus.

* 4. *Mortis memoriam*, vnde & monimēta, quasi mētem monentia, latini vocant, græci *mnemeion*, quæ aut nulla essent si in baratrum aut sterquilinium abijcerentur cadauera, aut nimis frequens, si passim iacerent insepulta. Ad mortis recordationem,

Modestinus autor est, *in conditionis humanæ memoriam sepulcra strui cœpta: vnde, cur eadem dicantur monimenta, liquidò constat.* Modestinus lib. 28. digestorum ex Cælio lib. 17. lect. c. 19.

Lycurgus fortè ad mortis memoriam vberiorem, non prohibuit mortuos in vrbe in- Plut. tom. 1. vit. in Lycurgo.

humari circumcirca templa.

Deinde; nullis constitutis sepulcris, ac sepulcretis, ecquæ vnquam certa parentum ossa, quá sue caluarias videremus; quas Diuorum reliquias haberemus, feris mox à morte vniuersa deuorantibus?

Nam si nunc sepulcris certis constitutis etiam reliquiæ quædam in dubium vocantur à nonnullis, quid sit, vniuersis proiectis, propromiscuéque iacentibus?

Ad adfectus quietem.

* 5. *Adfectus quietem*, amicis benè ac velut molli lectulo collocatis.

D. Aug. c. 12. lib. 1. de ciuita. & c. 2. lib. de cura pro mortuis, & refertur p. 2. decret. causa 13. q. 2. parag. 21.

D. Augustinus acutissimè, cùm vocauit solatia viuorum, sic loquens: *Curatio funeris, conditio sepulturæ, pompæ exequiarum, magis sunt viuorum solatia, quàm subsidia mortuorum.*

Nec malè aliquis vocet amoris testimonia, eiúsque constantissimi.

Quod Artemisia Cariæ regina, cùm Mausolo marito sepulcrum augustissimum, seu Mausolæum (quo nomine deindè sepulcra Regum vocitata sunt) excitâsset, non contenta hâc caritate, etiam cineres mariti ex potu hausit, & mortui reliquias, pectoris ac cordis hospitio excepit, nōne putes sui solatio, & fidei coniugalis testimonio studuisse?

Vide Gelliũ lib. 10. noct. c. 18.

Ninus Belo patri mortuo statuam erigēs, Babylonijs adorandã, nónne hùc spectabat.

Habetis sepeliendi eas causas, quæ ab adspectu viuorũ sunt; accipite reliquas, ratione de-

ne defunctorum.

Sepultura consulit mortuorum.
- 1. *Pudori*
- 2. *Amori*, } Corporum
- 3. *Saluti animarum bifariè etsi indirectè.*
  - 1. *Precibus parentantium.*
  - 2. *Suffragijs diuorum.*

Sed & sepultura prodest mortuis,

* 1, *Pudori*, quem antutm natura vniuersis nobis indidit, vt partes illas, quas, abiecit ipsa ab oculis, & veste obtegi iusuper voluit, mortuis etiam nobis spectaculum cuiquam præbere, omnes reformidemus.

Pudori corpori,

Fœminas mersas gestare pronas; viros supinos dicuntur aquæ, Naturâ ità consulente verecundiæ.

Milesias virgines is vnus pudor, à sui suspedio ac cæde conpescuit. Edixerat enim Magistratus, quaslibet sui homicidas, in cruces, nudo corpore, se acturum.

C. Cæsarem ferunt, in Senatu, insidijs coniuratorum, obcumbentem, manu, pudenda texisse.

Noacus, sua sepulti vino pudenda à filio conspecta, prodita, & risu excepta esse egerrimè tulit, vndè & posteris Chanaan maledixit.

Asperior planè Mors atque intolerabilior Mors esset, si nuda parentum cadauera, liberorum oculis inspectanda, intecta insepultáque abijcerentur.

Philautiæ. * 2. *Amori sui*, quo cupiunt omnes, etiam post mortem, corpora sua molliter, honestéque tractari, excipe tantum paucos Cynicos.

Ephes. 5. *Nemo vnquam carnem suam odio habuit.*

Hinc illud, & pleraque illi similia; *Dicite; Ouid. lib. Trist.* *Nasonis molliter ossa cubent.*

D. August. lib. de cura pro mort. c. 18. *Sic corpori humano quicquid impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium.*

Saluti animæ consulendo, idque bifariè. * 3. *Animæ Saluti* idque indirectè vel per preces parentantium, ac funus efferentium vel per suffragia Diuorum ac patronorum Ecclesiæ illius, in cuius vtero seu sepulcreto corpora tumulantur.

D Augustinus lib. de cura pro mort. agenda c. 4. 5. & D. Gregorius lib. 4. dialog. c. hoc commodi adtribunt sepulturis. Greg. lib. 4. dial. c. 50.

Mortuorum proximi quoties ad eadem loca sacra veniunt, suorumque sepulturam adspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt, ait Gregorius.

Sed aias. Quid igitur sibi vult illud Christi, *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos?* Matth. 8. & Luc. 9.

Resp. Non pietatem sepeliendi damnantis est vox, sed ad sui primùm curam reuocantis: sed & fortè pompas funerales criminantis.

Aliàs enim idem patrocinatus est vnctrici suæ, dicens, *Præuenit vngere corpus meum in sepulturam*, aduersus murmuratores: & famam facti illius æternam vaticinatus est. Ioan. 12. Marci 14.

Idem

Idem ſepeliri ſe voluit, & quidem glorioſé, iuxta illud: *Et erit ſepulcrum eius glorioſum*. Inuolutus enim eſt ſyndone mundâ, aromatibus delibutus, conditus *ſepulcro, in quo nondum poſitus quiſquam fuerat.* *Iſaia.*

III.

¶ *Cur Chriſtianis certa ſepulcreta, & de abuſibus funebribus.*

ANTIQVVM ſanè eſt priuata ſepulturis loca deligi; & ſepulcreta aut tumuleta, vt Latini vocant, Græci polyandra, Catholici cæmiteria, profanis locis autеferri, viros cum vxoribus, filios cum patribus ſepeliri. In more vet, poſita, electio ſepulcri familiaris,

Hieronymus *Coniugati in vno ſepulcro videntur eſſe ponendi.* *Hieron. decre. p. 2. can. 13. q. 11. § 1.*

Sara mortua, petenti Abrahæ ius ſepulcri cum filijs Heth, reſponſum eſt ab ijſdem: *In electis ſepulcris noſtris ſepeli mortuum tuum*; vbi electa ſepulcra vocari reor, quæ Caio vocantur familiaria, familiæ vni conſtructa. *Geneſ. 23.*

Abraham verò noluit Saram ſuam ſepelire, in conceſſo gratis ſepulcro, ſed empto *quadringentis ſiclis argenti probata moneta publica*, ab Ephron filio Seor. *Ibid.*

Abrahamum etiàm in ſpelunca duplici, cum Sara vxore, Iſaac & Iſmael filij ſepelierunt. Vxorum et vitis.

Tobias

Gene∫. 25. Tob. 4. Tobias ∫enior, ità olim ad filium: *Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum ∫epelies, & cum mater compleuerit tempus ∫uum, ∫epelies eam iuxta me in vno ∫epulcro.*

Tob. 14. Et alibi: *Quos coniunxit vnum coniugium, coniungat vnum ∫epulcrum: quià vna caro ∫unt.*

Ouidius 4. Metam. *Quod Deus coniunxit homo non ∫eparet.*

Et quos certus amor, quos hora nouißima iunxit,

Componi tumulo non inuideatis eodem.

Gene∫. 49. Decret. p. 2. cau∫∫a 13. q. 11. parag. 2. Ex gene∫i & decretis habes ∫epultos tres patriarchas in ∫pelunca duplici cum tribus vxoribus ∫uis, id e∫t Abrahamum cum Sara, I∫aacum cum Rebecca, Iacob cum Lia.

Filij & nepotes cum maioribus etiam olim ∫epulti.

Filiorum cū patribus, Gene∫. 47. Iacob morti proximus Io∫ephum ∫uum ità adiurando adloquitur: *Facies mihi mi∫ericordiam & veritatem, vt non ∫epelias me in Aegypto, ∫ed dormiam cum patribus meis, & au∫eras me de terra hac, condá∫que in ∫epulcro* Gene∫. 48. *maiorum meorum.* Deindè cæteros omnes: *Sepelite me cum patribus meis in ∫pelunca duplici, quæ e∫t in agro Ephron &c.*

Hinc hæc, & his ∫imilia: *Mortuus e∫t N. & po∫itus ad patres ∫uos*, aut *ad populum ∫uum*, aut *∫epultus in ∫epulcro patrum ∫uorum.*

Alex. ab Alex. lib. 6. genial. dierum. c. 14. Imò olim qui∫que ∫uos domi ∫epeliebat, vndè lares colendi religio, & lararia: donec tandem duodecim tabulis cautum, ne quis in vr-

in vrbe ſepeliret. I. Reg. 15.

Sepelierunt Samuelem in domo ſua. Pſalm.

Sepulcra eorum domus illorum. Ioan. 11.

Lazarus in Bethania ſua ſepultus.

Reges cum Regibus. Reges cum Regibus,

Sepelierunt eum in agro regalium ſepulcrorũ. 2. Paral. 26.

Perſarum Reges, in monte, qui Perſepoleos arci ab Oriente incumbebat, nomine Regius, ſepeliri mos erat, ait Cælius. *Cælius lib. 17. lect. antiq. c. 19.*

Francorum Reges Dionyſiopoli, duobus à Lutetia miliaribus. Eaque loco ſancto,

Sed & loci ſanctitati iàm tum ab orbe condito multum eſt tributum.

Adamum illum Maximum ſepultum eſſe in Caluariæ monte ex antiqua traditione plerique vett. PP. probarunt, velut in ſanguinis Chriſti illîc effundendi ſpe ac fide ſuauiùs dormiturum. *Vide Baroniũ ad annum Chriſti 34.*

Iacob ad filium Ioſephum; *Non ſepelias me in Ægypto* (ait) *auferas me de terra hac, condáſque in ſepulcro maiorum meorum.* *Geneſ. 47.*

Ioſeph, etiàm fratres adiurauit, vt oſſa ſua ex Ægypto exportarent. Adpetebant terram promiſſionis illi, quàm conuerſatione naſciturorum illîc patriarcharum, prophetarum, ac maximè Chriſti ipſius Apoſtolorum, Martyrúmque poſterorum, item templi ſtructura videbant ſanctificatum iri, in quorum precibus meritíſque multùm adquieſcebant. *Geneſ. vlt.*

Catho-

Catholici nùnc & olim cæmiteria, & templa ipsa eligunt, nitentes Diuorum meritis, Ecclesiæque suffragijs, quæ talibus maximè vult suffragari.

Sciendum tamen, loca huiusmodi tantùm probis, in Christóque mortuis prodesse, cæteris non modò non prodesse, sed etiàm obesse, ex mente Patrum.

Qui vt probis prodest.

Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis, aut nulla, ait August.

Greg. lib. 4. dialog. cap. 50. & decr. t. p. 2. causa 13 q. 2.

At Gregorius ita sentit: *Cùm grauia peccata non deprimunt, tùnc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur: quià eorum proximi quotiens ad eadem sacra loca veniunt, suorúmque sepulturam adspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt. Nàm quos peccata grauia deprimunt, ad maiorem cumulum damnationis potius, quàm ad solutionem, eorum corpora in Ecclesijs ponuntur.*

Sic improbis obest,

Adrogantiæ, temeritatísque huiusmodi adcusantur scilicet.

Matth. 22.

Audiunt: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Ligatis manibus & pedibus eius, mitte eum in tenebras exteriores.* Et, *Foris canes, foris canes.*

Vt exempla probant.

Exemplis, & periculo alieno, id disce.

Ex D. Greg. lib. 4. c. 53.

Valentini Mediolanensis Ecclesiæ defensoris, hominis lubricissimi ac leuissimi defuncti corpus cùm in Ecclesia B martyris Syri sepultum esset, nocte media ibidem exauditæ

auditæ ſunt voces velut violenter foras eie-cti,ad quas cùm adcurriſſent cuſtodes, viderunt duos teterrimos ſpiritus, Valentinum clamantem, ac vociferantem, foras pedibus reuinctum extrahentes, ac poſtridie manè, effoſsâ terrâ,ſepulcrum vacuum reperêre,cadau r verò ipſum, extra Eccleſiam in alium locum re verâ exportatum, manibus adhuc pedibúſque reuinctis.

Sacerdos quidam ebrioſus & luxurioſus cum alijs ſepultus,iuſſo D. Hieronymi ſubitò adparētis, refoditur, & diſſepultum flammis traditur concremandum, ad peſtilētiam diſcutiendam. *Ex epiſtol. Cyrilli ad Auguſt.lib. E.*

Abſit enim adſentiar dicentibus *Nulla terra eſt aliena mortuo*,Senecæ verbis huc tortis. *Si qui improbant, refutati.*

Sed nec Diogeni Cynico illi, qui ſe canibus auibuſque exponi mortuum iuſſit. *Senec.lib.de remed.fortuit.*

Nec Theodoro Cyrenæo qui Lyſimacho crucem minitanti, *Quid refert* (inquit) *humíne,an ſublime putreſcam?Terribilis ſit crux purpuratis tuis:* ni fortè de optimis viris intelligant; nàm medijs nocet, aut prodeſt magis vna, quàm altera ſepultura : peſſimis verò vt optima ſepulturâ nocentiſſima eſt , vt alienum ambitu vſurpatum : ità viris optimis peſſima nihil nocet, imò, prodeſſe poſſit, vt iniuriæ cæteræ patienter toleratę. *Cic.in Tuſc.*

A qualitate ſepulrorum eſt, commodum atque incommodum ſepulchri eſt.

Inſi-

Insignium enim virorum. Vniuersa terra sepulcrum est, ait quidam.

D. August. lib. 1. ciuit. c. 13.

D. Aug. *Multa corpora Christianorum, etiàm SS. Martyrum, terra non texit*, qui tamen meritò hoc aiant, quod Lucanus de his, quos occisos in pugna Pharsalica comburi vetuit Cæsar, aut humari:

Lucanus lib. 7.

Nil agis hac ira, tabésne cadauera soluat,
An rogus, haud refert, placido natura receptat
Cuncta sinu. ----- capit omnia tellus,
Quæ genuit; cælo tegitur, qui non habet vrnã.

Senec. in declamat.

Eos, qui viui vruntur, pœna funerat: ait aliquis apud Senecam.

Quid delubra iuuant? quid prodest sepeliri corpus impij in cæmiterio, si cum diuite epulone spiritus sepultus est in inferno?

Quid sterquilinium, aut sepultura asini Pio nocet, si, cum Lazaro, anima ab Angelis, in sinum Abrahæ, imò in cælum ipsum, est deportata.

Ah! quàm multorum corpora Terra Sanctorum honorantur, quorum animæ in Inferno cum Dæmonibus cruciantur! Quàm multorum etiàm animæ in Cœlo cum Deo regnant, quorum corpora in agro iacent, aut sterquilinio!

Obiter laudari Ethnici.

Ergo iure arcendi Vsurarij, Excommunicati, in Hastiludijs, in Duellis inconcessis mortui &c. de quibus vide summã Angelicã.

Ægygtiorum illa consuetudo laudabilis, qua

qua antequam sepeliatur defuncti corpus, lege licet adcusare mortuum, coram Iudicibus amplius 40. adstantibus. Si quis probatur male vixisse, Iudicum sententia, corpus sepulcro priuatur. *Ioã. Boemus lib. 1. de moribus omnium gent. c. 5.*

Romanorũ quoq; leges illę, quibus additur: *Qui hoc illúdue perpetrârit, insepultus abijcitur.*

Cæterum insepulturis nostris tria maxime reprehendenda { 1. *Ambitus loci dignioris,* 2. *Pompa funerum,* 3. *Sumtus Mausolæorum,* } Christiani adcusati grauiter.

1. *Ambitus loci dignioris,* quo etiam vilissimus quisque poscit, & auro plerumque obtinet, sepulchro suo non templum modo, sed Sancta Sanctorum, sed aram fere ipsam. Ambitus, a loco,

Primi adcubitus in nuptijs à Christo dissuadentur in vita, & ijdẽ in morte ambiũtur?

Prohibendum est etiam secundum maiorum instituta, Vt in Ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio aut in porticu, aut in exhedris Ecclesiæ. Intra Ecclesias verò, aut prope altare, vbi corpus & sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliantur. *Ex Concil. Tribuniensi c. 16. & habetur in decretis paragr. præcipiendum.*

Secundum maiorum instituta, ait Concilium; benè optimè.

Optatus enim iam olim de ea re: *Vnde proditum est* (inquit) *mandatum fuisse fieri quod factum est, quandò nec sepultura in domo Dei exhiberi concessa est.* *Optatus lib. 3. de schismate Donatist.*

Chrysostomus quoque: *Constantinopol. Reges & Imperatores magni pendebant, corpora sua non prope Apostolos, sed extra eorũ vestibula sepeliri.* *Chrysost. hom. Quod Christus est Deus, aduersus gentes.*

Idem

Idem hom. 66. ad Antioch.

Idem ait, Constantinum magni honoris loco habuisse, se pro foribus piscatoris sepultum esse, & Constantinum Imperatorem factum Petri piscatoris ianitorem.

Theodosium iuniorem, patrem quoque Arcadium, nec non auum Theodosium, in dextra sublimi Apostolorum templi porticu sepultos legimus.

Diuos priscos non fuisse loci dignioris ambitiosos, translationes ipsæ illorum declamitant.

Marcellinus ipse Pontif. Max. sceleris, ex thure Dijs dato, persequutione grassante, cõscius, sepeliri se, etiàm quouis loco, vetuit.

Erasm. de lingua.

Lutetiæ ostendi ferunt in foro frumentario (ni fallor) os cloacę, in quâ sepeliri se iusserit, qui Regi solicito ab angustia rei pecuniariæ, suaserat, vt ex minutis etiam rebus, quas Rustici in vrbem deferunt, vnum aut alterum æreum nummulum exigeret, ídque dumtaxat in biennium. cùm scilicet vidisset hortatu suo non remitti, quod semel cœptum erat, imò plures hoc exemplo exactiones excogitatas esse. Fori scilicet illiûs sordibus operiri se voluit, in quo manet etiamnũ vsque in diem hunc exactionis executio, ità consilij sui malignitatem castigans.

Plut. tom. 1. vit. in Lycurgo.

Lycurgus etiam ipse, circumcirca templa, non intus, esse statuit sepulturas.

Tu verò sutor ac cerdo nescio quis, ac for-

forsitan vitijs leprosissimus, in templum ad aram ipsam, in concilium tot Heroum ac Diuorum, admitti te ad sepulturam impudenter vrges? Et est dignum patellâ operculum, qui te admittat?

Fuerat fuerat pium illud maiorum institutum restitutum renouatúmque à Carolo illo Magno, si conseruassemus, si auro expugnati non essemus.

Sed *Non est qui claudat ostia mea gratuitò.*

Scilicet, *& genus & formam Regina pecunia donat.*

Et nouit *aurum per medios ire satellites*, & illabi ad Danaem ipsam vsque. Horat. 1. ep. 6.

Aurum lex sequitur, auro venalia iura. Propert. 3. lib. eleg. 11.

Nolumus tamē *vos id ignorare de dormientibus*, in cæmiterio, sub dio, sub canalibus multorum corpora iacere, quorum animæ Cœli amænissimâ regione perfruuntur; contrà multorum cadauera regalibus sepulcris, ad aram fere vsque, importata esse, quorum animi ardent in Inferno.

An non vndique (inquit Aristippus) *æqualis similisque in Plutonis regiam via est?* Stobæus ser. 38.

* 2. *Pompa funerum*, quà à vestimentis, quà à condimentis, quà ab ornamentis, à comitatu numeroso, à familiæ imaginibus ac ceris, quà ab epulo solemni, & cæteris id genus. Pompæ, à varijs,

Quibusdam etiam non satis pompa fune-

M ris,

ris, ni euiſcerati quoque ventres, balſamo, myrrhâ aloë farciantur, niſi arcâ vel ex plumbo, vel, vt olim, ex cupreſſo includantur.

Thucydid. lib.2.hiſt. Thucydides certè ex cupreſſo arcas illas fuiſſe dicit, in quibus oſſa mortuorum pro patria, efferrentur.

Lucanus lib.3. Lucano, *& non plebeios luctus teſtata Cupreſſus.*

Ecquò mihi vnctiones internæ illæ externæque? Quò aromata, & amomi molles pulueris? quo cætera, velut ad Phænicis rogum, collecta, & in ventres vacuatos ingeſta? Ad vermésne arcendos, an acciendos?

Sed hos arcere, vel adcire; vtrobique operam ludere eſt & pecuniam.

Sin cadauerum fætor, ne viuos offendant; ſin in longinquas terras mortuorum deportatio iſta expoſcit, diſſimulo; ſi faſtus imperat, iraſcor, & iraſci Superos teſtor.

Sed ais: Chriſtus ſibi, vnguento pretioſiſſimo effuſo, à muliere reſpergi caput, ad ſepeliendum ſe (vt ipſus eſt interpretatus) tulit, & factum defendit.

(Cuius prætextus refutatur) Sed tun' hominem Deo comparabis?

Iſai. 11. Tu neſcis prædictioni ſeruitum, *Et erit ſepulcrum eius glorioſum.*

Tum neſcis, hoc honoris, fuiſſe inſtantis diſpendij famæ, rependium; & futuri poſt dies aliquot fætoris antidotum?

Neſcis,

Nescis, ad viuum, ex vnctione, fructum redire, odorem bonum, & ex illo animi mœsti recreationem; ad mortuos verò nullum?

Facesse igitur, & sile vel in peccato.

Quid? sunt & qui splendidè vestitos se, & re charissimâ consepultâ comitatos, sepulcro inferri volunt; vt olim Indi, & Scythæ quidam, cum vxorum carissimâ cremabantur.

Stob. serm. 120. Hierodot. lib. 5. hist. de Scythis.

Sunt, qui equos atrent, & in partem pompæ funeris magnam adducant, credo vt in Curiam illam Cœli, vt in istam olim, equitando, velociùs, & honoratiùs inuehantur, aut equitatu Iudici vim inferant, ac irrumpant.

O pectora cæca etiàm Christianorum!

Lycurgi lex vbi, qua vetuit quicquam cum mortuo terræ mandari, sed eius corpus tantùm puniceo amiculo, & folijs oleæ inuolutum, tumulo componi iussit?

Plut. tom. 1. vit. in Lycurgo.

Vbi illud? *Homo cùm interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.*

Cùm ingressus sis, & viuus quidē, isthuc nudus, pedester ac repens; cur egrediare, & mortuus quidem, regio cultu, & (si Dijs placet) instar cataphracti?

* 3. *Sumtus Mausolaeorum*, cipporum, cenotaphiorum, Sandapilarum &c.

Et profusionis, a sepulcris ipsis,

Titulos erigi vt genes. 37. & 1. Machab.

13. ad memoriam aliquam maiorum posteris fero; at miracula mundi sepulcra fieri, non fero,& fastum explodo.

Vide Guevarram nostrum, in ep. aureis ep. ad Dom. Federicum Admirallium &c.

Scythas, olim nulla gens, sepulcrorum pompa ac religione, superabat, Homero Pisistróque testibus; nunc religione adhuc victores, eosdem pōpa Christiani superamus.

Cal. Rhod. lib. 17. antiqu. lect. c. 20.

Ægyptios etiàm legimus quidem, præsigni magnificentia construere sepulcra consuêsse, homines alioqui in domorum ædificatione incuriosissimos;

Artemisiam quoque illam Halicarnassi Reginam, & Mausoli seu terræ Cariæ Regis (vt Tullio placet) seu) vt alijs) prouinciæ græcæ præfecti ac Satrapæ vxorem, luctu ac desiderio mariti flagrantem, molitam esse ingenti impetu operis, conseruandæ mariti memoriæ caussâ, sepulcrum illud memoratissimum, dignatúmque inter septem Mundi seu spectacula, seu miracula:

A. Gell. lib. 10. noct. c. 18.

Sed nescis, Plinio ridiculosos vett. Ægypti Reges, qui vel ad æternam sui memoriam, vel vanam opum ostentationem, marmorea illa & barbara pyramidum miracula suis tumulis superstrui voluêre?

Cuius nulla nobis causa, vt olim Ethnicis.

Nescis, faciendi illis causam fuisse, de resurrectione errorem, nobis idem non faciendi causam esse, rectam fidem de eadem?

Cælius vbi sup.

Ægyptij enim, sepulcra defunctorum, domos sempiternas (quoniam apud Inferos infinitum

finitum sit tempus) vocant:at domos ipsas, veluti diuersoria opinantur, argumento vitę breuioris, ac momento transeuntis. Itaque nunquam emigraturo corpori sepulcrum, & quidem regię instar splendidissimum condunt, morituro verò & mox è vita domóque abituro, non domum, sed casam.

Nobis verò Resurrectionem iam iam pręstolantibus, & mox emigraturis sepulcro corporibus, sit satis, leuiter glebam in os iniici, & velut casâ, ac stipulâ operiri.

Quid? Etiam sunt, qui lilijs, rosis, & floribus alijs annuatim spargi sepulcra sua volunt.

Imò quosdam testamento etiàm cauisse legas, vt ijs vel illis floribus quotannis sibi parentaretur, cuiusmodi memoria Rauennæ lapis ità inscriptus: *Vide Pieriū Val. lib. hieroglyph. 55. initio.*

OB MEMORIAM PATRIS SVI DEC. VII. COLLEGII FABR. M. R. H. S. ∞ N. LIBERALITATE DONAVIT SVB HAC CONDITIONE VT QVOTANNIS ROSAS AD MONIMENTVM EIVS DEFERANT ET IBI EPVLENTVR DVMTAXAT IN V. ID. IVLIAS. QVOD SI NEGLEXERINT, TVNC AD VIII. EIVSDEM COLLEGII PERTINERE DEBEBIT CONDITIONE SVPRA DICTA.

Taceo cenotaphia, & tumulos inanes, monimenta ſcilicet memoriæ dumtaxat dicata, in quæ corpora illata non ſunt vlla, ſed digitus aut vngula.

Vt quid perditio hæc? potuit enim venundari multo, & dari pauperibus.

Cõtra quam tamẽn multæ olim leges.

Quàm prudenter veteres, qui legibus ſumtuarijs, de ſumptibus ſepulcralibus cauerunt!

Cicero refert leges, quibus præcipitur, ſepulcrorum magnificentiam eſſe minuendam.

Apud Iureconſultos titulus eſt, de religioſis & ſumtibus funer.

Plato 4 lib. legum.

Quum ſepulcrorum alia excedant, alia deficiant, alia medium teneant, mediocria cum Platone ſimpliciter laudo; fieríque ſola iubeo.

Stob. ſerm. 120.

Cum Socrate, facillima. Is enim cicutam bibiturus à quibuſdam interrogatus quomodo ſepeliri vellet? *Eo modo*, dixit, *quo facillimum fuerit.*

Ac, ne mediocria, ac facillima quiſque arbitratu ſuo cenſeat, legem illam reuocari velim Platonis & Græcorum, quâ ſanciuêre, *ne quis maioris operæ ſepulcrum excitaret, quàm quod decem homines triduo perficerent*; vel illam, qua cautum eſt, *vt* 5. *diebus ſepulcrum abſolueretur, neque lapis maior eſſet, quàm qui laudes ſepulti, & titulos honorum caperet,*

quod

quod Græci exiodium dixère.

Et Lycurgi illam, qua *mortui nomen, nisi vir in bello, aut mulier Sacerdos mortem obijsset, monimento inscribi passus non est.* *Plut. tom. 1. vit. in Lycurgo.*

Cætera quid nisi ludos voces, & *Sepulcra concupiscentiæ.*

An non satis supérque in vita luxui datum? non satis corpori seruîtum? etiámne in morte luxuriandum? etiámne vermibus, veluti nauseabundis, vt auidius carnes nostras depascantur, adspergenda condimenta?

Etiámne sub terra bene olere volumus?

Mihi sanè *non benè olet, qui benè semper olet*, si arte bene olet, non natura, non virtute. *Martial.*

Memoriam nostri adfectamus? *Iustè & piè viuamus; in memoriâ æternâ erit iustus.*

Perit memoria impiorum *cum sonitu.*

Bene olere? *Christi bonus odor sumus*, ait vir bonus.

Oleum effusum nomen eius.

Lazarus, & improbus quisque, vt vt aromatis farciatur, fœtet tamen non in morte modò, sed & in vita, non quatriduanus modò, sed ipso mortis momento.

Sed locupletem te dicis, & diuitem, & nobilem &c. *Pro qua diuitiæ delitigant.*

At non superas Cyrum illum potentissimum, cuius tamen hæc vox ad filios: *Meum*

Xenophon lib. 8. de pædia Cyri.

verò corpus, ô mihi carißimi fily; quum moriar, neque in auro condite, neque in aliâ re prorsus vllâ, sed illud terræ reddite quàm primùm. Quid enim hac re beatius, quàm terræ misceri, quæ pulcra omnia, bona omnia & gignit & nutrit?

Non M. Æmilium Lepidum; & hic tamen antequam expiraret, *præcepit filys suis, lecto se strato sine linteis, sine purpurâ efferrent, in reliquum funus, ne plusquam æris denos consumerent.*

Non illum, qui dixit: *Nemo me lachrymis decoret, neque funera fletu.*

Quæ melius in pauperes effunderentur.

Si verò locupletior tu, ac ditior; *locupletem te sentiant indigentes; patrimonia tua pauperibus fænera,* & omne illud præsta, quod respondit Cyprianus diuitibus, aduersus luxum vestium.

Cypr. tract. de habitu virginum. D. August. cap. 2. lib. de cura pro mort.

Illud August. *Curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt viuorum solatia, quàm subsidia mortuorum,* iterúmque iterúmque repetendum.

Pretia rerum illatum in pauperes, ac pedes Christi diffusa, animas defunctorum liberarent, quæ nùnc ad pompam profusa & viuos profectò, & fortè etiàm mortuos grauant.

D. Chrysost. hom. 84. in Ioan.

Chrysostomus vtilius esse ait, & mortuis multo gratius precium vestium earum dari pauperibus pro anima sepulti.

Tobiæ

Tobiæ ſenis ad filium conſilium eſto pro oraculo: *Panem tuum & vinum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare,* Tob. 4. *& bibere cum peccatoribus*, id eſt: Pauperes, diſtributionibus, & largitionibus panis & vini, id eſt, rerum ad vitam neceſſariarum, potiùs recrea, quàm mortuorum cadauera, & oculos viuorum funeris pompâ, & amicorum abdomina, conuiuijs pluſquàm Sibariticis &c.

PHI-

PHILIPPICÆ VI.

NOTÆ.

Thema. *Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus &c. Effuderunt sanguinem ipsorum &c Et non erat qui sepeliret.*

FACTA repetitione vsitatâ, sic propositum.

Hodie, velut ex theatro, Turcarum crudelitates ostendendæ, ac dicendum

1. *Quibus coniecturis, Turcarum credulitatem esse summam, augurari possimus.*
2. *Ex quibus factis eadem demonstretur.*

AVE.

I.

¶ *Quibus coniecturis Turcarum crudelitatem esse summam, augurari possumus.*

VEREOR) Auditores &c) ne quod de Christi aliquâ concione à pinguibus illis & crassis Capharnaitis, dictum, idem, nunc à nonnullis, inter multos ex vobis acutissimos, ac iudiciosissimos, Bæoticis suibus, dicatur: *Durus est hic sermo, & quis potest* Ioan. 6.

eum

eum audire? multíque hic Scandalizati abeant.

Hoc enim audijt, & vidit Christus, cùm diceret, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem &c.*

Nihil enim tota hac concione audietur, quàm caro, quàm sanguis, quàm cędes, quàm patricidia, quàm anthropophagia Turcica, *Durus* omninò *sermo*, & vel ferreas aures ac mentes territans.

At spero tamen, & aliquos fore iudiciosos homines, qui, si dixero cum Christo, *Nunquid & vos vultis abire?* cum Petro, omnium nomine, respondeant; *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Verba*, quæ loqueris, *spiritus & vita sunt.*

Intelligent scilicet illi durum quidem illum esse sermonem, & concoctu haud facilem, sed vtilem, sed morbo quorundam æui nostri conuenientem, sed religioni Christianæ, sed libertati, sed vxoribus & liberis, sed vitæ cuiusque conseruandæ, necessarium. Duri sermonis huius causæ iustæ.

Erasmo enim referente, *Exaudiuntur interim & aliorum voces abominandæ, qui iactant: Tolerabilius agere Christianos sub imperio Turcarũ, quã sub Christianis Principibus, ac sub Pontifice Romano. Hoc genus homines si non loquuntur ex animo, aut prorsus non intelligunt, quid sit viuere sub Turcarum imperio, aut ipsi gerunt Turcicos animos, ac pœnitet eos Christianæ professionis.* *Erasm. in consult. de bello Turc.* Quorundam morbus publicus.

Luthe-

Luther. lib. ad Nobiles Germaniæ. Idem anno 1524. Idem in Assert. art. 34.

Lutherus: *ferunt* (inquit) *nullum esse vsquam regimen sæculare pulcrius, quàm apud Turcā.* Item: *Turca decies prudentior probiórque est, quàm sunt Principes nostri* Idem: *In vindictam iniquitatis nostræ, dedit nobis Deus è Roma truculentiores cruentiores, insaturabiliores Turcas, quàm illi vnquam fieri possunt.*

Exaudiuntur & istæ; *Citiùs Turcæ, quàm papistæ: citiùs Turcæ quàm Hispani: Citiùs sub Turcà, quàm sub Protestantibus, quàm sub Hæreticis &c.*

Hollandicis ordinibus quidam has voces impingunt;

Aliorum dubius,

Imò ità monimenta sua dicuntur inscribere; HIC IACET N. POTIVS TVRCA, QVAM PAPISTA. Quod etsi de gente tàm prudente, nuper tam solidè Catholica, tàm nobis conterminâ, vix adducor vt credam, tamen si ità est, turpissimum est, & certum est, si theatri huius nostri hodierni spectatrix esse, vel ad horulam dignabitur, ocyssimè correcturam, ità tractabiles reor.

Vide Claudium Parad. in heroicis, heroico 10.

Quid? etiàm crescentes lunas, barbaræ gentis signa, ex Maximis aliquis pro insignibus vsurpauit, cùm hoc elogio: *Donec totum impleat orbem.*

Turbinatus pileus, Turcico ritu, à nonnullis gestatus est.

Regni vnius cum Turca fœdus

Sed & alicuius, ex Regibus magnis religionis nostræ, fœdus cum Barbaris illis legitur, verbis ità conceptis per internuncios:

Per

Per Deum magnum & altum, misericordem & benignum, formatorem Cœli & terra, & omnium quæ in eis sunt, & per sancta hæc Euangelia, per sanctum Baptisma, per sanctum Ioannem Baptistam, & per fidem Christianorum, promitto, & iuro, quod omnia quæ nouero, aperta erunt altissimo Domino Sultano Solimanno & Imperatori, cuius regnum Deus fortificet; ero amicorum suorum amicus, & inimicus, inimicorum, ero redemtor captiuorum Turcarum ex vinculis hostium eius, nihil mea parte in fraudulentum erit; quod si hoc neglexerim, ero Apostata, & mandatorum S. Euangelij, Christianæque fidei præuaricator; dicam Euangelium falsum esse; negabo Christum viuere, & matrem eius virginem fuisse; super fontem Baptismatis porcum interficiam, & altaris Presbyteros maledicam, super altare fornicabor cum luxuria, & Sanctorum Patrum maledictiones omnes in me recipiam, ità me Deus respiciat ex alto.

Extractum ex Cancellario Imp. Caroli V. per D. Ægid. de Bermmolni dit Madrez in Febr. 1553.

Forte (in) superfluit.

Obstupescite Cœli &c.

His his, alijsque pessimo exemplo inescatis, expedit sermonem hunc durum exhiberi, hoc theatrum crudelitatum Turcicarum ostentari, iterúmque iterúmque, vt vel hinc intelligant, se facere intelligendo vt nihil intelligant, nescire se quid dicant, quid velint, quid faciant, & nihil Turcico iugo ferius, aut sæuius vsquàm esse.

Quibus medicina parata est.

Ostendam ergò hac fini, Turcicam gentem barbararum barbarissimam, & illi subdi

aut

aut sociari, malorum esse extremum.

Contrarij adplicatio-nes.

Deinde, vt gens quæuis altera alterius crudelitates oblita, (quæ sanè multæ vtrimque inuicem contigerunt) maiorum crudelitatum perfidiarúmque commemoratione, faciliùs in pacem coire cum altera possit.

Vt opposita iuxta se posita magis elucescant: & similia, comparatione similium, adpareant magis aut minus talia, & videant vna omnes, crudelitates quaslibet sociorum populorũ Christianorum (de quibus vtrimque tantæ passim quærimoniæ) iocos, ludósque esse, ad Turcicam feritatem comparatas.

(Hìc locus, vbi si Catholicus est Orator, narrare possit aliquas inhumanitates protestantium in Catholicos hoc aut simili modo: Hîc aut illîc, hæc & illa ausi sunt immaniter protestantes &c.

Sed ecce, videte quàm barbariora à Turcis expectanda, nisi, dissimulatis istis, coëatur in pacem.

Si verò ex Protestantibus aliquis perorabit, hîc dicet: hîc & isthîc Papistæ, Hispani &c. hoc supplicio, hac infamia tales aut tales adfecerunt? Sed, quid illa ad Turcicam feritatem, quam mòx audietis, videbitis, manu tangetis.

Et vtrimque hoc modo dici expediet, si tamen pacem vtrinque optamus.

Deni-

Denique, *durus* licet *hic sermo* sit, vtilis tamen hùc est, vt sciamus, quis hostis nobis vtrisque, imò Christianis omnibus sit maximè formidandus, quis armis socijs impetendus, quis orationum vi ad Deum vincendus. Causa vltima, hostis communis omnium cognitio.

State igitur state, Auditores, & redeant, si qui abierunt dicentes, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire*? Stabunt sanè Petrus, Socrates, & quisquis iudicio pollet, scitq; verba hæc, esse vitæ & salutis, huius & æternæ; hi mihi satis magnum theatrum erunt, vt abeant Capharnaitæ, & crassi nescio qui homines.

Bono probari malo, vel vnico, *quàm multis malis*.

Adcingor ergò, & iàm iàm prodeo, dicturus, ex quibus augurari quiuis possit, Turcarum crudelitatem omnium esse crudelissimam; fauete linguis.

Turcicę crudelitatis coniecturæ probabiles ab
- 1. *Origine*
  - 1. *Gentis*,
  - 2. *Loci*;
- 2. *Nomine*,
- 3. *Legislatore*.
- 4. *Odio literarum*,
- 5. *Potentia*,
- 6. *Victoriarum cursu*,

Quem crudelitatis arguunt, Origo,

* 1. *Origine* seu gentis seu loci. Tam Gentis

* 1. *Gentis*, seu Scythicæ seu Saracenicæ. Pomponio enim Turcæ, populi sunt Scythici *Pomponius lib. 2.*

Pomponius lib. 2. thici iuxta Thyssagetas, vel Thussagetas, vel Thyrsagetas, & vltra Sauromatas. Ab his orti indicantur nostræ ætatis Turcæ.

Phil. Bergomas in chronic. suppl. ad annum 758. Philippo Bergomati, *Turci, Scythicæ gentes*, vt D. scribit Hieronymus.

Franc. Philelph. ep. ad Carol. 7. Franc. Philelpho; *dicuntur fugitiui Scytharum serui, ex horrentibus illis cautibus vastæ Caucasi.*

Anto. Gueuarra lib. 2. epist. pag. 287. Ant. Gueuarræ nostro; *oriundi sunt ex tribus Barbaris nationibus, Scytharum scilicet, quos modò Persas vocant; Pannoniorum, quos nunc Hungaros, Escancianorum, quos nunc Danos, qui post longa bella cum Saracenis, icto fœdere, in vnam gentem legémque cum Saracenis ipsis coiere.*

An verò cuiquam Scytharum ignota crudelitas? vel nomen ipsum illorũ profitetur?

Cal. Rhod. Lib. 18. ant. lect. c. 24. Scythas nonnulli dictos putant *apo tou scyzesthai*, quod irasci significat, sunt enim Scythę iracundiores.

Herodot. lib. 4. Herodotus de eorum barbarie sic: *Scytharum (inquit) crudelitas immensa qui quem primùm ex hostibus capiunt, eius sanguinem potant & quoscunque interemerint, capita ad Regem afferunt. Nam prædæ particeps fit, qui prior capita adtulerit, expers alioqui: caput verò in orbem amputat circa aures, verticéque sumto excutit; deinde pellem detrahit, & vbi manibus ceu bouis corium molliuit, tanquàm mantile possidet, & habenis equi adpendit, sunt & multi qui consuãt, & pro amiculis induantur. Multi totos homines excoriatos supra equos circumferunt. Sunt & qui caput hostis infra supercilia recisum,*

ſum, corio bouis, ſi pauperes ſunt, integant; ſi diuites interius inaurent, atque vtantur pro poculo. quod etiam de familiaribus agunt, ſi inter eos diſcordiæ interceſſerunt, apúdque Regem victoria potiti ſunt.

Addunt aliqui illuc immanitatis prouectos, vt cunctis ad quos adcederent populis, nares præciderent, horum mulieres Thracum vxoribus corpora ſubulis pungerent. *Cal. Rhod. lib. 18. ant. lect. c. 24. Eraſm. in chiliad. prou. Scytharum oratio.*

Athenæus *Ita verò omnibus ſuperbè præfuerũt, vt nulli ſine lachrymis ſeruitutis onus factum ſit. ac poſteris ſit nunciatum cuiuſmodi foret Scytharum ſententia* id eſt iuſſio ſiue præſcriptio. *Athen. lib. 12. Dipnoſ. c. 8.*

Strabo addit, ſolitos hoſpites immolare, humaníſque carnibus veſci.

Apud Græcos Scytharum feritas prouerbio fuit, qui agreſte ac ſæuum quidlibet Scithicum adpellabant. *Scythrop* enim & *ſcythropos* pro toruo, triſti, auſtero ac truculento ab eius gentis moribus dictum videtur.

Paulus: *Neque barbarus aut Scytha &c.*

Ergò ex Patribus aut maioribus filios ac poſteros diſce. Mali corui malum ouum.

Sic patribus catulos ſimiles, ſic matribus hædos. *Virg. eclog. 1.*

Non poteſt arbor mala fructus bonos facere. *Matth. 7.* *Nónne colligunt ex tributis vuas?*

Vt taceam Scythas, ferè ſemper in armis ac venationibus (quibus & victitant) eſſe, quibus artibus paulatim humanitas omnis exuitur.

Odimus accipitrem, quià viuit ſemper in armis,

Ouidius 2. de arte.

Et pauidum solitos in pecus ire lupos.

Etiàm hinc feritatis iudicium non leue, quòd Scytha equo, & ad itineris expeditionem & ad pastum vtitur, vt indicat D. Clemens in Pædegogo. Nam conscenso auehitur quo velit cúmque, & vrgente fame, epoto è secta vena sanguine famem sitímque placat.

Sin verò Turcæ à Saracenis, seu rectius Agarenis, per Ismahelem filium Agar; Deus bone! Agar illa prima generis illorum parens, quàm rebellis! quàm duræ ceruicis ancilla! Ismahel quàm ferus homo!

Genes.

Manus eius contra omnes & manus omnium contra eum.

Anto. Gueuarra lib. 2. epist. pag. 187.

Sin à Sarracenis, qui à Sarrato Metropoli Arabiæ Petręæ ità (si Gueuarræ illi magno credimus) dicti sunt, defluxerunt, quàm bellaces etiàm illi Sarraceni! quàm barbari! quã venales dexteræ eorum!

Olim enim illi cuiuis Principi militabant, *ibi fas* rati, *Vbi maxima merces.*

Ijdem mercede forsan leuicula ab Heraclio sibi negata (vti superius dixi) in imperium mòx coniurauêre, & ferro ignique sæuiêre.

Quæ regio in terris nostri non plena laboris, ab illorum immanitate?

----- quà terra patet fera regnat Erynnis,
In facinus iuraße putes,

Vnde.

Vndéuis sint Turcæ æui nostri, barbaram sanè ac sæuam tàm hinc quàm illinc, stirpem habent.

Nàm qui ex Teucris oriundos, & absorpta vna litera, duabus verò alijs loco mutatis, Turcos indè nominatos, putant, iam pridem à doctioribus explosi sunt.

* 2 *Loci.* Nàm ex rupibus Caucasi, & vallibus, quæ circa illum, oriundi censentur, qui mons perpetuis niuibus horret; vndè Philelphus superiùs aiebat; Turcæ *dicuntur fugitiui Scytharum serui, ex horrentibus illis cautibus vastæ Caucasi.*

Quam loch

Franc. Philelph. ep. ad Carolum 7. Reg. Franc.

Ex Theodoro Gazâ: *Scylax Turcos gentem vnicam esse dicit, habitare autem eas partes Caucasi montis, quæ vergunt ad Septentriones.*

Ex Philip. Bergomate: *Hi fuerunt, quos Alexander Macedo inter Hyperboreos montes ferreis clausit repagulis.*

Phil. Bergomas in chronic. suppl. ad annum 758.

Sed Caucaso natos, homines feros ac barbaros, veteres aiebant.

Sic Dido Æneam feritatis arguens:

Nec tibi Diua parens, generis nec Dardanus autor,
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admôrut vbera Tygres.

Virgil. 4. Æneid.

Adde montigenas ac monticolas ferè ad barbariem propensiores, (quod pace Montensium meorum & dulcis patriæ meæ humanitatis totius velut Academiæ, dixerim.)

Ergò si cœli solique sui rigorem atque ingenium, vti plantæ, sic homines referunt; Turcæ profectò valdè barbari censendi, quibus tàm *durum à stirpe genus.*

A Septentrione, à Scythia, à Caucaso, ab Hyperboreis montibus *potest aliquid boni esse?* aut *ab Aquilone*, vndè *pandetur omne malum?*

Quod Demosthenes de Philippo olim dixit; *Philippus tantùm abest, vt Græcus sit, Græcisue vllo modo coniunctus, vt nec inter Barbaros sit honesto loco natus, sed perditus Macedo, vndè frugi mancipium olim nullum emi potuit,* in Turcarum gentem leuiter commutatum quadret.

In declamatione apud Libanium. Adde Menelaum subsignificare, Asianis cum Europæis, naturale esse bellum, quòd mari dirimerentur.

Tamerlanes quoque ille magnus, Ottomannicos canes rabidos, & molestandi mundi cupidissimos vocabat.

Apoc. 13. In Apocalypsi præsignatam fuisse gentem illam opinor, sub nomine bestiæ de terra adscendentis, quæ septem phialas iræ Dei, id est persequutiones septé nouissimas, plenissimámque Tyrannidem, effudit.

Vt Scurra quidam, in Claudij tyrannidem ludens olim aiebat; *In vno scilicet annulo bonos Principes posse scribi, atque depingi,* sic ego dixero, *omnes Turcas clementes annulo posse*

compre-

comprehendi. Inter tot carduos, tot vrticas ac ſpinas, vix lilium vnum aut roſa vna, vix Abaris, aut Anacharſis ibi vnus aut alter enaſcitur.

Et tamen audent quidam dicere, vti olim ligna ad Rhamnum; *Princeps eſto noſter &c. Non hunc, ſed Barabbam? Nolumus* [illegible] *nc* aut hos; malumus hunc, aut hos Ottomannidas *regnare ſuper nos*, quaſi oues ſe lupo tutò commiſerint.

ſic notus Vlyſſes? Virgil. 2. Æneid.

* 2. *Nomine*, etſi enim opinione cuiuſdam, Turcæ nomen Hebraicè, exulem ſignificat, & apud Turcas eſt contemtûs nomen; Turcicâ verò linguâ Ruſticum (nàm vocant paſtores ouium, & hominum genus agreſte, Turcomanleros, & Aulici Ottomannici, cùm Turcæ vocantur, indignantur, volunt verò ſe vocari Muſulmannos q. d. Orthodoxos,) mihi tamen magis placet illîus opinio, qui Turcæ vocabulum prædatorem, vaſtatorem, raptorémque ait ſignificare apud illos, vti Cardaces apud Perſas. Nomen. *Du Pleſſis tract. de verit. religionis Christianæ.*

* 3. *Legiſlatore Mahomete*, homine barbaro, vinibibulo &c. qui ſe religionem, imò ſuperſtitionem ſuam, non miraculis confirmare velle aiebat, ſed ferro, ſed ſanguine, homo *ſpirantiſſimus minarum & cædis, in diſcipulos Chriſti.* Legiſlator. *Act. 9.*

Mahumites nomen etiā viri alterius. Vel vocabulum ipsum, hominis feritatem indicat; nàm Mahumites hebræis, latinè idem quod deleui, vel radens.

1. Paral. 11. Solent autem vt in discipulos vitia transire magistrorum, ità in populos, Legislatorum.

Vt Christiani, Christi caritatem olent, aut olere deberent, ità Turcæ feritatem Mahumetis.

Odium literarum, * 4 *Odio literarum* & studiorum humanitatis, quæ homines velut cicurant. Dicuntur enim humanitatis studia, vel quòd homo solus illorum capax: vel quod homines, alioqui ferinos futuros, erudiant, veréque homines efficiant.

Turcæ vero illa omnino parui pendunt.

Foliata de causs. magnit. Turc. Imp. *Turcis* (ait quidam) *Philosophiæ studium legibus est interdictum.*

Pellitur è medio Sapientia, vi geritur res.

Non viris modò, sed & literis bellum indixêre, atque eruditioni, sine quâ *animus* *Sallust.* *oneri est, corpus voluptati,* vt ait Sallustius.

Attica illa, quondam ob morum elegantiam, Græciæ Græciâ dicta, à Turca extincta est.

Ioan. Ram. lib 3. rerum Turc. in Mahumeto. Item lib. 2. Mahumetes Amurathis filius anno 1425. Athenas ingeniorum parentem vrbem, vniuersi scholam expugnauit, incendit, & in eam *tàm impotenter, odio literarum, grassatus est, vt ne fundamenta quidem impune ferre*

debere

debere existimauerit, quòd honestis disciplinis ministerium fecissent: quæ vndique euerti deformarique præcepit, monumentis omnibus, si qua reperissent, in cloacas, & id genus loca fœdissima coniectis: vt intereà taccam, quàm turpibus commercijs, quámque nefandis libidinibus castissimam illam Musarum officinam violauerit.

Spartæ, bonorum morum parentis, Athenarum vrbis ingeniorum, & intelligendi principis, nulla vestigia supersunt, vix in pagos exiguos versæ sunt. *Setbine enim arx est in Athenarum colle, & Misistratus vbi Sparta,* ait Cardanus. Hiero. Cardan. lib. 3. de Sapientia.

Alexandro Magno sanè multum Turcæ dissimiles, qui, Thebis captis, edicto cauit, ne Pindari domus prædæ pateret, totíque familiæ, hominis vnîus docti amore pepercit. Sabell. lib. 7.

Quid expectes humanitatis aut clementiæ, ab hominibus tàm rudibus atque incultis? imò quid non feritatis ab illis timeas?

Hic erit homo ferus, homo ferus, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum. Genes.

Si enim sæpè & qui literis isti exculti sunt, degenerant, atque rabiunt; quales erũt, qui incultissimi illis, imò & qui illas odêre?

Quò miror magis, etiàm ex doctis esse pleroſque, qui Turcicum iugum malint, quàm nostrorum.

Quin potius odimus Turcas, ac persequimur socijs armis, vt qui opes hominis pul-

cerrimas literas, etiàm cum religione & libertate &c. eripere volunt?

Quin libris ſcriptis, publicis orationibus, Tragædijs exhibitis, Picturis, Imaginibus, Statuis, manu, linguâ, calamo, & quibus licet infundibulis, odia iuſta Turcicæ gentis, in animos minus odientium transfundimus, ac veluti tranſuaſamus?

Literatiſſimo hoc ſeculo eſſe ex literatis etiam aliquos, qui Turcicum iugum malint, quàm Chriſtianum! Vah pudorem!

Potentiæ amplitudo. * 5. *Potentia*, quę quo maior, eo ferè crudelior.

Senec. in Medea. *Grauis ira Regum eſt ſemper*, maximè verò illorum qui ex humili conditione adſurrexerunt.

Senec. lib. 2. de ira. *Non vides vt maiorem quamque fortunam maior ira comitetur?*

Mantuanus. *Aſperius nihil eſt humili, cum ſurgit in altum.*

Prou. 30. *Per tria mouetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere, per ſeruum, cùm regnauerit; per ſtultum, cùm ſaturatus fuerit cibo; & per odioſam mulierem, cùm in matrimonium fuerit aſſumta, & per ancillam, cùm fuerit hæres dominæ ſuæ.*

Turcæ (vt diximus) fugitiui olim Scytharum ſerui & Saraceni Heraclio, in militiâ aduerſus Perſas, ancillati, qui nunc dominantur nobis, quàm nunc potentes! quàm latè dominantur?

Turcarum Imp. 70. regnis, tribus Imperijs,

rijs, Suo, Trapezuntino, Constantinopolitano imperat.

Asiam, Africam, & meliorem Europæ partem obtinet.

Gallo, fœdere est coniunctissimus, proh dolor!

Ambiri à nonnullis fauorem suum videt, timeri verò se ab vniuersis.

Imperium Oceano, famam qui terminat astris. *Virgil.*

Ergone is hostis crudelis, ac ferox, æstimandus?

Fastum disce ex ti.ulis, quos vsurpat: *Solyman ex victrici nobilissimáque Ottomannorum prosapiâ ortus, Imperator Turcarum, Rex Regum, & Dominus dominantium. Imperator Trapezuntinorum ac Constantinopolitanorum, Dominator Mundi, & Terræ domitor &c.*

Qui nunc regnat, in suis ad Imp. Christianorum literis, se vocare ausus est *Deum potentissimum super terram, Imperatorem omnium Imperatorum, Prætorem paradisi terrestris, inimicum totius Christianitatis*:

---- *Quid iam non Regibus ausum?* *Silius lib. 16.*

Aut quod iam regni restat scelus?

Publius; *Fulmen est, vbi cum potestate habitat iracundia.*

* 6. *Victorijs*, quæ illi genti propè plures, quàm anni regni. *Victoriæ plurimæ.*

Soleo sæpe ante oculos ponere, quamuis illibenter, omnes nostrorum Imperatorum,

omnes

omnes exterarum gentium, potentissimorúmque populorum. omnes clarissimorum Regum res gestas, cum Turcicis, nec contentionum magnitudine, nec numero prælio-rum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum, posse conferri: nec disiunctissimas terras, citiùs cuiusquam passibus potuisse peragrari, quàm illorum non dicam cursibus, sed victorijs perdomitæ sunt.

Cal. Rhod. lib 18. antiq. c. 24.

Cælius Rhod *Illud etiamnum admirabilius, vnum modo Scythicum genus à condito æuo exterarum gentium iuga nescisse, Romanáque illos arma, quibus omnia concutiebantur, audisse potius, quàm sensisse, Darium temerè assultantem, fœdissimè reiecerunt Cyrum vel cum manipulis quod dicitur, deleuerunt. Alexandri ducem Zopyriona ità prostrauere, vt ne pyrphorus quidem reliquus fieret.*

Victoria autem *natura insolens, & superba est* ait Cicero.

Cic. orat. pro M. Marcello.

Multa modestia & fortuna, vix simul.

In militibus hoc nostris vides, victis ac victoribus.

Senec. in Troade act. 4.

Axioma militare; *Quodcumque libuit facere, victori licet.*

Ite nunc, ite inquam, & Turcæ iugum subite, quicunque iactatis, tolerabilius sub illo viui, quàm sub hoc aut isto &c. quamlibet Christiano.

II. Ex

II.

Ex quibus factis Turcica crudelitas demonstrari queat.

SED coniecturæ (inquis) sunt istæ, quæ sæpè nos fallunt, vti & vrinæ medicos, & lineæ vultuũ colórque, physiognomicos. Multo vero certius, acta barbara.

Non secundum visionem oculorum iudicate.

Socrates planè alius, quàm abs astronomo nescio quo dicebatur.

Agedum ergò, etiàm exemplis Turcicam disce feritatem.

Quanquam animus meminiße horret, luctúque refugit, Virgil. 2. AEneid.

Incipiam.

Crudelitas autem mihi *nihil est, aliud, quàm atrocitas animi in exigendis pænis*; à cruditate ac cruore ità dicta. Senec. lib. 2. de clementia.

Illîus autem in Turcis enarrandæ, ad memoriam tàm meam, quàm vestram, iuuandá, hic ordo aptissimus, vt adtendantur, vel

Secundùm
1. *Sexum,*
2. *AEtatem,*
3. *Affinitatem,*
4. *Dignitatem,*
5. *Causam,*
6. *Modum,*
7. *Tempus,*
8. *Pacta,*
quæ vniuersa Turcę, immani feritate, violârunt.

* I. Se-

In fœminis, * 1. *Sexum*, vt si in fæmineum genus, molle atque imbelle, sæuitum est.

Virgil. 2. ÆEneid. *Nullum memorabile nomen*
Fœmineâ in pœna est, nec habet victoria laudem &c.

Idem 4. ÆEneid. *Egregiam verò laudē, & spolia ampla, refertis*
Túque puérque tuus &c.
Vna, dolo Diuûm, si fœmina victa duorum est.

Georg. Sabinus lib 1. eleg. 7. Sed Turca *Dissecuit raptas ad stupra nefanda puellas*, ait Sabinus.

Idem 4. lib. eleg. 1. *Vbera matronis ense resecta iacent*, versus Pannoniam.

Non puduit amputare in fœmina quod in matre suxisti? aiebat D. Agatha Tyranno, probri magni loco.

Nero quàm infamis, quòd in vnam matrem sæuisset!

In paruulos, * 1. *Ætatem*, vt si in senes, in pueros. & adhuc imbelles, non minùs, quàm bello idoneos, grassatum est.

Andromache Vlyssi in Astyanacta puerum Hectoris sæuituro, *Nocturne miles* (ait, per improperium barbariei) *fortis in pueri necem*. Senec. in Troade.

Georg. Sab. Lib. 1. eleg. 7. Sed Turca *Sæuior infixit pueros Busyride palis,*
Cuncta quibus belli parcere iura solent, versus Pannoniam.
Sæpibus infantum suffixa cadauera pendent.

Idem lib. 4. eleg. 1. *Non Busyridis*
Puerilis aras sanguis aspersit feri,

Nec parua gregibus membra Diomedes suis.
Epulanda posuit. Senec. in Troade act. 5.

Ad pueros vsque rabit rabies, & furit furor cæterorum barbarorum; cùm ad pueros ventum est, vt æstus maris irati ad littus suum reliduntur, sic mitescunt; itidem cùm ad senes.

Herodis vnîus in pueros Bethleemiticos ferina immanitas, quàm odiosa! Ioan. Crispus AEgei maris Naxique Dux ep. ad Pontif. & Christianos.

At *Solymannus AEginam Vrbem capit. AEquatis autem mœnibus solo, deprædatisque ciuium bonis ac domibus combustis, viros AEginetas omnes ad vnum obtruncari iubet.*

Violantur (à Turcis) *vxores conspectu virorum, senes tanquam inutiles occiduntur; iuuenes, tanquam boues, aratro iunguntur, & terram vomere vertunt.* In senes, Pius 2. in bulla de profect. in Turc.

Christianos non habent pro hominibus, sed pro iumentis. Erasm. in consult.

Pueros ac senes trucidant.

Hominibus, & Christianis, & Sacerdotibus, non pro calonibus & lixis duntaxat, sed pro iumentis etiàm vtuntur. His vehunt, his arant, his fodiunt, his abiectissima exercent omnia, erubescendáque ministeria &c. Franc. Philelph. ep. ad Carol. 7. Franc.

Multa sunt ibi inaudita exempla miseriæ. Cæterùm, homines iugo copulatos, aratrum ducere nonnunquàm vidi, ait Bartholomæus. Bartholom. Georgienitz c. 2. de moribus Turcarum.

Pluris oculatus testis, quàm auriti decem. Plautus.

Quòd Mithridates, vno die, tota Asia, tot in ci-

in ciuitatibus, vno nuntio, atque vna literarum significatione, tot ciues Romanos necandos, trucidandósque denotâsset, Cicero hinc suadere conatus est, in eum arma capi, pœnas tanti sceleris daturum. Nos, Turca tot annos in fratres nostros, senes, Sacerdotes, pueros &c. rabiente, armis abstinebimus?

Cicer. orat. pro lege Manilia.

T. Liuius.

O! *Si videatis catenas, squalorem deformitatémque ciuium vestrorum! non minùs profectò vos ea species moueat, quam si ex altera parte cernatis stratas Cannensibus campis legiones vestras.*

Thren. 1.

O! si audiretis & audiretis vtinam! quemlibet ex captiuis ità eiulantem! *O vos omnes, qui transitis per viam, adtendite, & videte si est dolor sicut dolor meus!*

Iob.

Miseremini mèi, miser. mei, saltem vos, saltem vos amici mei!

Psalm. 50.

Libera me de sãguinibus, Deus, Deus salutis meæ!

In consanguineos.

* 3. *Affinitatem, aut sanguinem* vt si *sanguis sanguinem tetigit*, & adflixit.

Demosth. Olynthiaca 1.

In Philippo Macedone mirè vituperatur à Demosthene, quòd tantâ cupiditate imperandi esset, vt nec à cognatis abstineret.

Illaudati Numidæ & Mauri apud Sallustium, quod nuptialia iura parui pendant: *Etiam* (inquit) *antè Iugurthæ filia Bocchi nupserat, verùm ea necessitudo apud Numidas, Maurosque leuis ducitur.*

Sallust. in Iugurtha.

Apud Turcas, velut ferrei sęculi primogenitos,

nitos, *non hospes ab hospite tutus,*

Nec socer à genero, fratrū quoque gratia rara est,

Imminet exitio vir coniugis, illa mariti: Ouid. 1. Metam.

Lurida terribiles miscent aconita nouercæ:

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Victa iacet pietas.

Amurates 3. quinque fratres suos iussit trucidari, (ex quibus, qui maior natu, nondum nouennium attigerat:) item patris concubinas duas, quòd grauidę essent, dumtaxat, vt regnum metu rerum nouarum liberaret.

Mahumetes 3. 1595. ex fratribus suis 19. occidi imperauit, cum concubinis paternis decem, quas vnda marina suffocauit. De Bry cap. 37 lib. de orig. Turc.

Mahometes 2 anno 1450. Turcarum Rex octauus, ne pater solus sepeliretur, fratrem item suum statim interfecit, & eodem sepulcro condi iussit. VVolfg.

Viuo adhuc patre (ait Ioan. Ramus) *Amurathe, Mahometes Rex factus fratrem in cunis interfecit, regium id esse dictitans. Id mater cum reprehenderet, ille se maiorum & Deorum exemplum secutum dixit, quorum fastigio id maximè visum esset conuenire, vt non plures, sed singuli regnarent; ideóque se æmuli impatientem fratrem sustulisse, & regnum magno discordiorum metu liberasse.* Ioan. Ram. lib. 2. rerum Turc.

Solymannus victor Rhodum ingressus, Magistro Rhodianorum Equitum indicari curauit, non staturum se pactis, ni dederet in manus

in manus filium Gemini, qui tunc Rhodi erat, pręcepítque ne qua nauis, antequam inueniretur, vela solueret.

De Selymo etiàm Turcarum Rege audi verba ipsa Campsonis Sultani epist. ad ipsum: *Animaduerti iampridem ingenium tuum, quam vastum, quàm atrox, quàm inquietum sit, postquam Baiazete patre optimo, tantaque virtutis fratribus, ac tantæ spei septem impuberibus cõsanguineis per summum scelus enecatis, tótque amicis, ac fortissimis Ducibus, crudelissimè trucidatis, immanitati atque audaciæ numquam modum imposuisti.*

Ex Ioanne Ramo lib. 2.

Zelymus, suam, in suos consanguineos, immanitatem, à vicinis Regibus, intelligens sibi dari vitio; *Nihil (inquit) dulcius est, ac suauius, quàm sine affinium timore ac suspicione, regnare.*

iuxta illud scilicet; *Omnisque potestas.*

Ennius.

Impatiens consortis erit.

Nulla fida societas regni est.

Ideóque iure, in figurâ vaticiniorũ quinta, vrsæ 4. catulos lactanti similatur, eóque mortuo, vrsus aut Tigris, aut Leo ferox creditus est interisse.

Mich. ab Isselt ad annum 1578.

Mulero Mahumeto occiso in prælio, Hametus eius patruus cutem detraxit, eámque stramine suffultam & salitam, ad terrorem aliorum, per omnes regni prouincias iussit circumferri.

Quod Augustus de Herodis in filios barbarie dixit, *Porcum se Herodis esse malle, quàm filium*

filium; dicere etiam poſsim; *Malle me, eſſe porcum Imperatoris Ottomannici, quàm filium poſt genitum, vt quem certa mors a primogenito expectat.*

Abimelecho illo priſco Ierobaalis filio, qui 70. fratres, regnandi libidine, occidiſſe legitur, oriundos Ottomannidas iſtos dicas. *Iudic. 9.*

Hæc Regum illorum, in ſua viſcera, feritas; & adhuc tam ſtulti ſunt, ex Regibus aut Principibus aliqui, vt tuta iciri poſſe fœdera cum illis, arbitrentur?

Iàm vide, quàm ſunt in affines quoque humani. In affines.

Expugnatâ Syderouia vrbe Myſiæ aut Seruiæ, tantum abfuit, vt Amurathes Georgij filium, illîc prçſidio relictum, affinem recognoſceret, vt ambobus oculis orbatum, coniectúmque in vincula, quacunque ibat, in contemtum ſoceri, iuuenem ſecum populari ludibrio per traheret, ipſo interim ſocero perpetuo exilio mulctato. *Ex Chriſtoph. Richerio lib. 1. rerũ Turc.*

Hæccine eſt crudelitas plus quàm Vitellina?

Vitellius enim, ſi, poſtquàm occiſum Othonem in campo Bebrijaci cognouiſſet, cóque veniſſet, abhorrentibus quibuſdam cadauerũ tabem ſemel dixit *Optimè olere occiſum hoſtem, & melius ciuem*; Turcæ profectò repetitis crudelibus auſis centies dicunt, & meliùs, conſanguineum & affinem. *Bartholom. Georg. c. 2. de morib. Turc.*

Turcæ enim *in re regni* ac cædis, *nec generis,*

nec soceris, imò ne fratribus quidem parcunt.

Ouid. 1. Metam.

Fratrum quoque gratia rara est.

Ite nùnc & dicite, potiùs Turca quàm Papista, quàm Hispanus &c.

In Sacerdotes,

* 4. *Dignitatem* seu sacram, seu profanam; Sacram, vt Sacerdotalem, monasticam; Profanam; vt regiam &c quibus apud aliquos, etiàm in vastitate hostili, parcitur.

Foliata de causs. magnit. Turc. Imp.

Folietæ quid in mentem venerit, miror, dicenti, *Sacerdotes non modò legis suæ, sed nostros quoque; in tanto honore habent, vt illos quoquo modo violare nefas putent, quæ res, innumerabilibus piratarum exemplis, quod mirandum sit, patet.*

Nàm nec pauci, nec leues autores negãt.

Franc. Philelph. ep. ad Carol. 7. Franc. Bartholom. Georg. c. 2.

Franc. Philelphus sic; *Hominibus Christianis & Sacerdotibus non pro calonibus & lixis dumtaxat, sed pro iumentis etiam vtuntur.*

Barthol. Georgieniz: *Sacerdos, & monachus pessimâ illìc conditione sunt, vt sacrilegia, & scandala Dei & hominum existimantur. Lignationibus viuunt. Nam mos vt ligna in syluis cedant, hisque dorsum aselli onerant, eâ cum merce, per omnes plateas, ambulant, ligna venalia proclamantes.*

Apud Sturmium serm. 1.

Cum Baiazetes Methonam & Cothonam vrbes Peloponnesi expugnâsset: oppidanos occidisset; ipse Episcopus Methonensis, illìus iussu, ipsóque coram adstante, capite truncatus est.

Veritas

Veritas & res gesta est (ait Faber) *in Mitilene, Constantinopoli, & Trapezundâ, quoscunque diuino cultui deuotos, & addictos inuenêre Turci, Archiepiscopos, Episcopos, aut religiosos, perindè vt boues in campis & foris mactari fecerunt. In prælio æstatis proximæ, non satis erat, quòd octo Episcopos Pannonum interfecerant, sed post stragem inter mortuos Christianos Archiepiscopum Strigoniensem, Cancellarium regni, ac D. Paulum Archiepiscopum Colossensem, vtrumque pro fide Christi mortuum, Solumon Turcarum, princeps decapitari, & in frusta, ac minutiss. partes (vt nonnulli retulerunt) secari, ac discindi impudico ore iussit.* Ioan. Faber orat. ad Henricum 8 Angliæ Regē 1528.

Non Alexandros, imò ne Attilas quidem Turca imitatur, apud quos Sacerdotium in magno honore.

* *Profanam*, id est in Reges, Imperatores, omnéque nobilitatis genus. In Nobiles eosque maxime.

Foliætæ verbis dicam: *Neque Turcæ satis habent, partas prouincias imperio suo subiungere, sed omnibus, quicunque ingenio, fortunâ, opibus, dignitate excellunt, extinctis, tùm omni nobilitate vel trucidatâ, vel in remotißimas terras procul amandatâ, ad hoc præclaris omnibus artibus, omnibúsque ornamentis detractis, illas in omni genere deformatas, exangues, enectas, ad summum squallorem, horridámque intuentibus speciem redigunt.*

Libertas, immunitas, Respub. Nobilitas, no-

nec soceris, imò ne fratribus quidem parcunt.

Ouid. 1. Metam.

Fratrum quoque gratia rara est.

Ite nùnc & dicite, potiùs Turca quàm Papista, quàm Hispanus &c.

In Sacerdotes,

* 4. *Dignitatem* seu sacram, seu profanam; Sacram, vt Sacerdotalem, monasticam; Profanam; vt regiam &c quibus apud aliquos, etiàm in vastitate hostili, parcitur.

Foliata de causs. magnit. Turc. Imp.

Folietæ quid in mentem venerit, miror, dicenti, *Sacerdotes non modò legis suæ, sed nostros quoque; in tanto honore habent, vt illos quoquo modo violare nefas putent, quæ res, innumerabilibus piratarum exemplis, quod mirandum sit, patet.*

Nàm nec pauci, nec leues autores negāt.

Franc. Philelph. ep. ad Carol. 7.

Franc. Philelphus sic; *Hominibus Christianis & Sacerdotibus non pro calonibus & lixis dumtaxat, sed pro iumentis etiam vtuntur.*

Franc. Bartholom. Georg. c. 2.

Barthol. Georgieniz: *Sacerdos, & monachus pessimâ illic conditione sunt, vt sacrilegia, & scandala Dei & hominum existimantur. Lignationibus viuunt. Nam mos vt ligna in syluis cedant, hisque dorsum aselli onerant, eâ cum merce, per omnes plateas, ambulant, ligna venalia proclamantes.*

Apud Sturmium serm. 1.

Cum Baiazetes Methonam & Cothonam vrbes Peloponnesi expugnâsset: oppidanos occidisset; ipse Episcopus Methonensis, illîus iussu, ipsóque coram adstante, capite truncatus est.

Veritas

Veritas & res gesta est (ait Faber) *in Mitilene, Constantinopoli, & Trapezundâ, quoscunque diuino cultui deuotos, & addictos inuenère Turci, Archiepiscopos, Episcopos, aut religiosos, perindè vt boues in campis & foris mactari fecerunt. In prælio æstatis proximæ, non satis erat, quòd octo Episcopos Pannonum interfecerant, sed post stragem inter mortuos Christianos Archiepiscopum Strigoniensem, Cancellarium regni, ac D. Paulum Archiepiscopum Colossensem, vtrumque pro fide Christi mortuum, Solumon Turcarum, princeps decapitari, & in frusta, ac minutiss. partes (vt nonnulli retulerunt) secari, ac discindi impudico ore iussit.* Ioan. Faber orat. ad Henricum 8 Angliæ Regẽ 1528.

Non Alexandros, imò ne Attilas quidem Turca imitatur, apud quos Sacerdotium in magno honore.

* *Profanam,* id est in Reges, Imperatores, omnéque nobilitatis genus. In Nobiles eosque maxime.

Foliætæ verbis dicam: *Neque Turcæ satis habent, partas prouincias imperio suo subiungere, sed omnibus, quicunque ingenio, fortunâ, opibus, dignitate excellunt, extinctis, tùm omni nobilitate vel trucidatâ, vel in remotissimas terras procul amandatâ, ad hoc præclaris omnibus artibus, omnibúsque ornamentis detractis, illas in omni genere deformatas, exangues, enectas, ad summum squallorem, horridamque intuentibus speciem redigunt.*

Libertas, immunitas, Respub. Nobilitas, no-

mina Tyranno sunt tàm odiosa, vt qui hæc insignia præ se tulerint, eorum ne vestigium quidem in suo Imperio leuiter impreßum eße sinat, ait Benedictus Mandina Ep. Casertanus.

Bened. Mādina Nuncius Apost. orat. ad Sigismundum Regem &c. 1596. 30. Martij.

Multo grauiora pericula nobilibus familijs, & magistratibus imminent, quibus deuictis non solùm non parcit, quamuis primo impetu parcat nemini, sed omnes crudelißimè trucidat, quippe quos timet, nouis motibus excitatis, se de regno exturbare poße. Cæterùm eos non vno modo tollit, vbi res suas videt firmas, statim omnes è medio auferre solet: vbi nondùm satis stabiles: eos, qui ipsi aduersi fuerunt, omnes necat; qui fauere sunt visi, tùm quidem seruat: sed non ità multò post etiam ipsos ceruices gladijs submißuros, ait Georgius Agricola.

Georg. Agric. orat. ad Ferdinādum Vngariæ & Bohemiæ regē, & Principes Germaniæ.

Oculatus verò testis Bartolomæus sic ait: *Nobiles homines, qui in otio vitam degerunt, vbi in horum manus venere, omnium miserrimè habentur. Mango enim in illos, vtpotè vix vendibiles* (ob ignorantiam opificij scilicet) *nullos sumtus facere sustinet.*

Bartholom. Georgieniz c. 2. de moribus Turcarum.

Generosa scilicet *in ortus semina exurgūt suos.*
---- *magna res Danaos mouet*,
Futurus Hector, ex paruulo scilicet Astyanacte.

Senec. in Troade.

Exempla vobis ecce in promtu.

Amurathes I. Lazarum Seruiæ Despotam prælio superatum, captiuum abductúmque interfici Turcicâ (vt loquitur Sturmius) spada

Cuius rei exempla Io. Sturm. in prol. loricato fol. 29.

ſpadâ voluit.

Amurathes II. Georgij Seruiæ Deſpotæ filium, expugnatâ Synderouiâ captum, oculis exertis cæcum aut carcere quandò voluit coercuit; aut vinctum, quocunque proficiſcebatur, quandò placuit, ad exemplum & ſpectaculum circumduxit. *Sturm. ibid.*

Non poßum hîc obticere crudele factum, quod, Conſtantinopoli capta, perpetratum eſt. Pars nobilium, inter quos erat Conſtantinus Imperator, quum Vrbs expugnaretur, periÿt: Pars ſuperſtes, aut in carcerem coniecta fuit, aut latuit abiectis & ſordidis veſtibus induta. Quid fit? Perfidus ille (Mahometus ſecundus ſcilicet) *per præconem omnibus ſalutem promittit: nec mora, quicquid nobilitatis fuit, ſe indicat. Ille vbi paucos admodum, aut nullos vltrà latere credit, fide, quam promiſerat violata, omnes inter conniuia iubet trucidare.* *Ex Georg. Agricola orat. ſup.*

Tunc mares fæminæque illuſtres aut iugulati, aut nefariæ libidini reſeruati.

Conſtantini coniugem & filias non tàm ſanctè Mahometes ille, quàm Alexander Macedo Darij Regis matrem & coniugem victas & captiuas etiam, habuit, ſed in conuiuium adductas, ſtuprandas ſatellitibus ſuis flagitioſè propinauit, Leno corporum ingenuorum ſceleſtiſſimus. *Vide Plut. orat. de fortuna Alex.*

Et Chriſtiani hæc vel legunt, vel audiunt, neque tamen excandeſcunt?

Idem, Iayſa vrbe capta, Stephano Regi caput iuſſit amputari.

Idem 1468. fuſis Syris, Ægyptiíſque, Narrantana & Scandalora vrbibus vi captis & incenſis, omníque populo miſerè interfecto, nobiles de iocis editis, & turribus præcipitauit, vt Vlyſſes ille doloſus quondam Hectoris Aſtyanacta, apud Senecam in Troade.

Andr. a Lacuna lib. de orig. Turc. c. 8. & Io. Sturmius prol. loric.

Idem, Trapezuntij Imperio occupato, Dauidem Imperatorem Chriſtianum, Perſarúmque Regis ſocerum, vnà cum fratre, neci dedit.

Idem, Conſtantini Imp. Conſtantinopolitani mortui caput iuſſit per vniuerſam Conſtantinopolim heu! quondam illîus, ex haſta circumferri, militúmque conuitijs inceſſendum, deridendum, & cæno oblimandum propinari.

Ioan. Ram. lib. 2. rerum Turc. in

Zelimus I. Sultanum Ægypti & Syriæ, Cayro vrbe expugnata, à ſuis proditum, captum ad publicas priuatáſque contumelias traxit, laqueóque tandem in porta Baſſauelæ ciuitatis, quà frequentiſſimus erat hominum tranſitus, ſuſpendit.

Idem Ram. lib. 2. rerum Turc. & Sturm. prol. loric.

Turcus in Raſia, hoc eſt inferiori Miſia, quæ Seruia nunc eſt, cunctis magnatibus oculos erui, quaſi alter Iulianus apoſtata præcepit, ait Faber.

Ioan. Fab. orat. vt ſup.

Quicquid hominum in Africa & Aſia eſt

(ait

(ait Sturmius) *id totum seruile est ---- nullus est qui nobilis sit, aut sese nominare nobilem audeat; ne vnus quidem est, cuius nobilem constat esse familiam. ---- Tantisper libertatem & nobilitatem esse sinit, quantisper vicinos non occupat; his subiugatis, æqualis est deinde omnium seruitus. Serui fuerunt & sunt, qui apud hunc ordines militares ducunt. ---- Nullus sanguis, & contumelia ei gratior est, quàm nobilium hominum, & Principum virorum, à quibus iniuriam accepit, aut quos cogitur metuere.* *Ioan. Sturmius prol. loricato. fol. 28.*

Ite nùnc ite,& dicite &c. & sperate,si vobis belli fortuna pepercit, parciturum & Tyrannum. Truncos potiùs,mutilatos,vinctósque Imperatorem R. Electores,& Principes nostros vniuersos circumducet trucidandos,si vicerit, vti olim *TrapeZuntium Imperatorem,cùm Ponticæ Oræ & Cappadociæ principibus, liberis, vxoribus, Bisantium, velut in triumphum,duxit,ductósque lachrymãda morte interemit.* *Ioan. Fab. orat. sup.*

* 5. *Causam*,si ea leuis, aut nulla sæuiendi vt,cum Cęlius Orator iracundissimus clientem concænantem, & semper adsentientem *non tulit,sed exclamauit: dic aliquid contrà vt duo simus.* Causa etiam sæuiendi adscendea, dn *Senec. lib. 3. de ira.*

Tryzum Tyrannum quędam ferunt coniurationum metu,suis colloqui,annuere,flere prohibuisse. *Ælianus lib. 14. var. hist. c. 22.*

Miridem quendam *aiunt fuisse ex Sybaritarum ciuitate, qui bilem habere sæpius quæstus est, quòd* *Senec. lib. 2. de ira.*

foliјs rosæ duplicatis, incubuisset.

Idem lib. 2. de ira c. 16.

Pisonis decretum illud ſęnum quàm damnatur! *Te* (inquit) ô *miles duci iubeo, quià damnatus es: Te commilito, quia causa damnationis commilitoni fuisti: te centurio, quia iussus occidere, imperatori non paruisti.* Hiſtoriam pete ex Senecâ.

Ex lib. gall. de orig. Turc.

At Mahometes 2. quàm leui cauſsâ excanduit ſæuijtque?

Is enim cùm aliquando, in horto ſuo obambulans, cucumerem recenter enatum vidiſſet (quæ res tùnc erat maxime noua) vetuiſſétque, ne quis adtingeret, cùm deſideraret maturum illum videre, & fortè fortunâ (vt fit) aliquis ex ſeruolis regij mandati ignarus, per libidinem illum comediſſet, reuerſus verò deindè aliquot poſt horis illùc, cucumere non inuento, vehementer iratus quæſiſſet, ecquis ſycophanta comediſſet? & eſſet nemo, qui certi aliquid referre poſſet, ſtatuit veritatem quà quà expiſcari. Aperiri ergò ventres ſeruolis ſuis 14. iubet, & niſi tandem indigeſtum illum, in quartidecimi ventre reperiſſet, alios reliquos ad trecentos vſque eadem barbarie contrucidaſſet.

Bapt. Egna. lib. 9. exempl. c. 2.

Io. Bapt. Egnatius aut aliud, aut aliter idem referens, ità habet: *Maumethes Othomannus Princeps potitus BiZantio, quum die quadam intra ſuos hortos ageret, tribus tantum iuuenibus comitatus, videns cedrum arborem pomi pulcherrimi matrem, eo eſt imprimis delectatus: mox verò eo inde digreſſo,*

digreßo, quum non multo post fortè eò rediisset, nec pomum ipsum spectaret, cõuersus ad adolescentes percontatus est, quis eorum pomum id decerpsisset, quumque constanter omnes abnegarent, vt erat infinii sæuitia, pectus gladio iußit aperiri ex his vni, vt eo reserato reliquias pomi cognosceret, & forte ità accidit, vt ille esset adolescens, qui pomum vorasset, quo statim extincto, iratus domum redierit.

Dracone illo Atheniensium legislatore, hominem satum dicas, qui sanguine edicta scriberet, & furtum quodcunque leuiculum morte plecteret.

Ite nùnc ite & dicite &c.

* 6. *Modum* si is insolens, inusitatus, ac ferinus, qualis Perylli taurus æneus apud Phalaridem. Et modus.

Baiazetes I. ad patris mortem, à seruo Principis Seruiæ occisi, vindicandam, Principis ipsius Seruiæ liberos, quos tum captiuos habebat, viuos in partes minutissimas iussit dissecari, certus Medeæ furentis discipulus.

Nigroponti, Insulâ Venetis ademta, idem quos superstites inuenit, serra medios secari imperauit; Gubernatori verò, contra fidem datam, medium ventrem aperiri, sarcasmum ludens & dicens; *seruaturum se illi caput, non etiàm latera, aut costas, promisisse.* *Crespetus schol. in c. 1. Catechismi Pÿ 2. ad Imp. Turc.*

Idem capita omnia interfectorum iussit, loco publico suspendi, spectaculo; corpora *Idem ibid.*

verò,

verò, abijci insepulta.

Baiazetes idem opinor, prælio cum Seruianis inito, cùm Lazarum Principem vicisset, captum frustulatim concidi iussit.

Ex Io. Ramo & alijs. Amurathes 2. anno 1420. duobus Georgij Despotæ Seruię filijs supra omnem fidem pulcerrimis, erui etiam aut cæcari oculos pelui ignita iussit, sed & pudenda exscindi ne paternas iniurias vlcisci vnquam possent.

Cum occupasset Synderouiam vrbem, eiúsque principem, cum filijs duobus, exoculari atque euirari omnes iussit.

4. Reg. 25. Qui Sedechiæ vnius oculos à Nabuchodonozore effossos esse, & Samsoni à Philistæis, sic miramur, nihili facimus à Turcis tot Christianos cæcatos atque euiratos esse?

Ioan. Ram. lib. 2. rerum Turc. Quid? Alia alia etiàm Perillis ipsis stupenda Turcæ in Christianos perpetrarunt. Nàm *tempore vltimæ obpugnationis Constantinop. alios verubus adfixos torrebant, quosdam detracta cute, exuuijs de humero suspensis, fame & inedia consumi patiebantur, nonnullorum vulnera saliebant, vt diutissimè cruciatibus torquerentur. ---- Tota vrbs non sedes imperij (vt antè) sed vnum quasi Christianorum macellum & carnificina videretur.*

Ioan. Fab. orat. ad Henric. 8. Angl. Reg. *In Euboia innumerum populum palis suffixit Turcus,* (ait Faber) *alios obtruncauit, pleròsque ignito ferro discerpsit, pueros & infantes nondum*

dum ablactatos saxis illisit, & pro tyrannica consuetudine multos per medium scidit.

In Foroiulio anno 1498. capita hominibus plus quater mile, quos abducere propter inundationem riui nescio cuius non poterat, iussit amputari.

Viennam obsessam deserens, priùs Christianos captiuos contra ius gentium & fas omne, crudelitate summa coram mactari iubet. *Soitherus lib 1. de bello Pannonico.*

In agro Viennensi, superioribus aliquot annis, multis milibus miserorum Tyrannus hic, pro sordidissimis abusus est mancipijs, imò & pro muris, & obpositis adgeribus, & propugnaculis, excipiendis ab hoste tormentorum globis, & omnium armorum telorúmque ictibus. *Nicolaus VVimmannus in Syncretismo pag. 105.*

Circa finem obsidionis Rhodiorum, Magister gladiatorum Turcensium tribus Christianis, quos Barbari incautos extra Vrbem in hostilem campum lupis ferreis protraxerant, manus auresque abscidit, postea vulnere inhonesto nares truncauit, & in Vrbem cum huiusmodi literis remisit. Nullam salutem Magne Magister &c. ait Fontanus. *Fontanus lib. 2. de bello Rhodio.*

Quos genti Persarum placet Christianos turpi occubitu mulctare, vmbilicum eis perforant, caput vitaliorum abstrahunt, ad stipitem ligant, & sic flagellando circumducunt, quoadusque extractis visceribus solo prostrati corruunt, ait Vrba- *Vrbanus Pap. orat. apud Robertum Monachum lib. 1. hist.*

Vrbanus Papa.

Anno 1463. Cardamus Bassa, ex Vngaria Constantinopolim, ad Baiazetem Imp. misit plaustra multa plena capitibus ac nasis præcisis, ad indubitatæ de Hunniade victoriæ in Vngaria significationem.

Et tempus, si non ad misericordiam potius vocet,

* 7. *Tempus*, vt cùm sæuitur in conuiuio, in die festo, in nuptijs &c.

Non in die festo, ne fortè &c.

Mensa Thyestęa quàm odiosè decantata!

2. Reg.

Cædes Ammon in conuiuio iussu Absalonis fratris.

Baptistæ decollatio in conuiuio, *quo non cuperet vel absolui*, quanti fit D. Ambrosio!

Fenestella lib. de Magist. Rom. c. 17.

M. Cato Censor, C. Flaminij fratrem senatu eiecit, quod exoratus à scorto, vt aliquem ex ijs, qui in vinculis erant (obtinebat enim proconsulari imperio Galliam) securi percuteret, obtemperauit.

At vide his barbariora.

Ex varijs,

Mahometes Constantinopoli capta, tubicinis voce edici iusserat, vt quisquis nobili prosapia oriundus esset, liberè indicaret; nō enim se passurum, vt sanguine ac virtute nobiles, mancipia fierent. At cùm multi genus indicassent, omnibus caput iussit amputari, qui ferè trecēti, secundū aliquos, fuêre.

Quid? etiàm tùm, quicunque ex familia Imp. supererant, trucidati sunt, & quidem ista in oculis Tyranni in mensa vinolenti cū

Duci-

Ducibus suis, atque insultabundi, neque vno die (vt semel rabisse dici posset) sed diuersis.

O barbariem barbaris ipsis non ferendam ad quam tamen surdi, atque immoti sunt Christiani!

Hæccine Annibalem illum ferum olent, qui fossam sanguine humano plenam videns, ait: *O formosum spectaculum!* *Brusonius lib. 2. exēp. c. 9.*

Hæccine Imperatoris, an Lupi spectacula digna conuiuio?

Herodes quidem, & C. Flaminij frater, in conuiuijs suis sæuiêre, sed vterque in vnicum, atque vnico die, hortantibus vtrumque scortis suis, dominis nimium potentibus: hic vero Mahometes in plures, diebus varijs, ac sponte sua.

Neronem iàm ego vtraque manu absoluo, qui Romam iussit incendi, atque ex turri Mecæniana, igne delectatus, carmina concinebat. Domos enim ille, & *Veterum decora alta parentum*, muta & insensilia igne perdere, non tàm ferum, quàm homines spem stirpis futuræ, viuos sanósque, ferro, inter pocula, animi tantùm causa, perdere. *Virgil. 2. Æneid.*

Prima illa, ira deferuescente rependi possint; ista nunquàm.

Ite nùnc, ite, & dicite &c.

* 8. *Pacta*, si contra pacis iusiurandum sæuitur, *Et pacta.*

Fortè enim aliquis dicat, Turcam *Parcere*

Virgil. Aeneid. *cere subiectis* & deditis, *& debellare superbos* dumtaxat, aut adhuc in armis, & repugnantes, aut vi captos, forsitan is tantum *odit eos,* *Senec. epist. 42.* *qui subita* & magna potentia *insolenter vtuntur.* *Mel. forte impotenter*

Minimè verò, sed is omnibus idem, subiectis & superbis, modestis atque insolentibus, imò ne idem quidem, qui in Virtutum studiosores rabit acerbius, & pactis deditos ferè tractat perfidiosius ac sæuius.

Lucanus. Si illud Poëtæ, *Nulla fides pietásque viris, qui castra sequuntur,* de militaribus hominibus verum est, de Turcis est maximè.

Quidni enim? Nam fidem fallere eruditi sunt ab ipso Legislatore.

Vitriacus pag. 14. hist. Orient. *Mahometes* (ait vitriacus) *inimicis, etiam fidei suæ, nec fidem, nec promissionem obseruare, sed eos omnibus modis decipere concedebat.*

Ab ipsis Principibus suis imò verò Tyrannis, hoc discunt.

De Bry lib. vaticiniorum de interitu regni Turcici figura 1. Mechemetes (is scilicet qui cepit Constantinopolin) dicebat, *fidem solùm à mercatoribus seruandam, non à Principibus ad alta contendentibus.* Proh Machianelli Ludimagistrum!

Aiunt scilicet *perfidiam suis vtilem fuisse rebus, qui ex vsu suo fidem datam fallendo, pactaque conuenta pro lubitu violando sæpè conditionem suam meliorem effecerint & aliquando magnis hostium potiti prouinciis hac via fuerint?* *Leunclauius hist. Musulmanæ lib. 1. proæmio Psal.*

Quid speres de plebe, in tanta Tyrannorum licentia.

Dicunt

Dicunt *pax pax, & non est pax.*

Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

Fraudulenta sunt *oscula* Turcæ *Blandientis.* *lib. Reg.*

Effundit sanguinem belli in pace.

Sonitus terroris semper in auribus illius: & cum pax sit, ille insidias suspicatur. *Iob 18.*

Fallor? exempla perfidiæ quàm multa, quàm illustria!

Secundo abhinc anno (id est fortè anno 1542. ait Stella *cùm nostri cladem apud Budam accepissent, in duas cohortes, quæ viuæ in potestatem venerant* (hoc) *est patratum.*

Quibus quasi vitam dono concessurus edixit, vt deposito squalore, arma ac vestitum solitum reciperent, ac se in aciem & ordinem, vti Christiani solent, redigerent. Quod cum alacriter nihil suspicantes mali, nostri factitassent, ipseque ordines aliquamdiu ob equitasset, & circumlustrasset, tandem iußit rursus arma abijcere, ordinibus tamen seruatis, selegit ex numero aliquot præstantißimos viribus & corpore, reliquos à tergo circumuentos, gladijs à suis iußu concidi; Eorum verò, quos selegerat, alios iaculatoribus opposuit, in quibus sese suásque vires, vter profundiora vulnera, formosioresque & conspectioresque plagas ederet, plusque sanguinis e corporibus Caurorum (sic adpellant Christianos) hauriret, ostentarent. O dolos! ô pacta! ô oscula fraudulenta!

Io. Martin. Stella LL. Doct. ep. ad fratres Guilielmum & Michaelem Martinum de Turcarũ in regno Hungariæ anni 1543. & 44. successibus.

Rursus. *Dum arcem Socloſiam obsidet* (Turca) *dediderunt se loca vicina, ac vti imperatum erat* *Idem ibid.*

omne

omne genus commeatuum in castra detulerunt, Principiò iubet omnes Iudices pagorum sibi præsto adesse; statim paretur: obedientibus deinde imperat, vt postridiè singuli cum sibi subditis rursus adsint: cùm & hoc pro imperio sedulò factitatum esset, ille nescio sanè quam opinionem de se relinquere volens, iussit inspiciente exercitu, ad vnum omnes trucidari.

Idem ibid. Rursus: Alba Regali (aliàs Belgrado) dedita, *Turcha principiò velut clementer cum deditis acturus, in vrbem admissus, sepulcra Regum visitauit; proponit deinde edictum, ne quid de se durius timeatur. Non enim Hungaros debellatum, sed a seruitute Germanorum venisse liberatum, quò posset regnum vero legitimóque hæredi, Stephano scilicet filio Regis Ioannis, pacatum & integrum restituere. Tribus deinde vel 4. interiectis diebus, principes ciues, velut solemne ab iis fidei iuramentum adcepturus, in campum non procul ab oppido, quò corpora damnatorum deferri solent, euocauit. Quò cùm omnes quàm poterant ornatissimè, velut ad solemne festum, instructi conuenissent: Turcha nullius pacti aut conuentionis religione motus, ad vnum omnes interfecit.*

Christoph. Richer. lib. 4. rerum Turc. Rursus: *Expugnata Constantinopoli, præsidium Peræ, quod ex Liguribus erat, armis continuò depositis, legatos ad Maomethem mittit, qui & locum vltrò offerant, & deditionem, veniámque exorent. Pollicetur id quidem præsentibus: sed non ita multò post, cum omnibus copiis in Peram hostiliter irrumpit, & statim publica fide violata, populari, vexare, vastare, pueros vendere, matronas abducere, senes vincire,*

vincire, iuuenes interficere, nulli omninò neque ætati, neque sexui parcere, fana, palatia, domos, muros, omnia solo æquare aggreditur.

Prætereo dolum in nobiles Constantinopolitanos antè memoratum.

Rursus: Rhodianos milites, post deditionis conditiones vtrimque iuramento firmatas, nisi maturè se subduxissent, statuerat crudelissimo dolo intercipere, & Magno Magistro Philippo Liladamo auehendo Constantinopolim, cum æquitum cætu, iusserat duces suos parare maximam onerariam nauim, triremésque militiæ. *Ex Fontano lib. 2. de bello Rhodio, cui & ipse interfuit.*

Rursus: Cum Famagusta (alias Salamine, gall. Famagouste) tandem dedita esset his legibus; *Vt Venetis vita incolumitas concederetur, iique cum armis & facultatibus suis in Cretam deducerentur: Græci domos suas incolerent, possessionibus suis fruerentur, ritu Christiano viuerent ----- conditionibus à Mustapha Bassa initio mensis Augusti adprobatis, ipsiúsque manu subscriptis, die quinto mensis eiusdem prodiit ex vrbe M. Antonius Bragadinus, & cum illustri nobilium virorum comitatu in Mustaphæ castra venit, eique claues ciuitatis, quod in deditionibus fieri solet, obtulit. Exceptus initiò comiter à Mustapha: mox ab illa crudeli bellua per summum scelus, violata fide, exquisitis iniuriis (Ducibus & tribunis Venetis prius trucidatis) adficitur: ter enim ceruicem præcidendam porrigere iusso, aures & nasum solummodò amputauit.* *Ex Michaelis ab Isselt hist. ad annum 1571.* *Gubernator scilicet.*

Postridiè in vrbem ingressus, Laurentium Teupolum Paphi Præfectum suspendio necari præcepit.

Bragadino verò auribus & naribus mutilato, cùm per loca Vrbis celebriora eum ludibrii causa circumduxisset, & variis atrocibúsque contumeliis vexasset, pellem tandem viuo, & constantißimè supplicium immane perferenti, deúmque testem ac vindicem tantæ perfidiæ vocanti, detraxit. Cæteri deditittii partim occisi, partim in perpetuam seruitutem abducti, Constantinopolique, & Alexandriæ venales expositi sunt.

Ex Io. Ram. lib. 2. rerum Turc.

Rursùs: Cùm, post captam Constantinopolim, Mahometes Principem Mysię simulatâ pace, quasi ad colloquium de rebus vtrique salutaribus ad se euocâsset, captum lacerauit, excoriauit, fratrem verò eius & sororem in triumpho duxit. Moesiâ occupatâ, in omnes propinquos eius, & affines eodem ferè modò sæuijt.

Rursùs: Sultano victo captóque, Mamaluchi Cayrenses eiusdem cum Turcâ religionis, parati se defendere, in fidem recepti, contra fœdus fidémque, quam Imperator ipsus dederat, miserè vniuersi contrucidati sunt. Heu! vbi dextra fidésque?

Stat. lib. 8. Thebaid.

----- *si decidit hostis*
Ire super satis est, vitámque relinquere victo.

Virgil. 6. Æneid.

Parcere subiectis, & debellare superbos, ea demùm ars summa regnandi est.

Quibus consideratis, merito Turca plurimũ metuendus.

Ite, nùnc, & dicite; Potiùs Turca, quàm talis

talis aut talis &c.

Lutherus explodatur pertinaciter adfirmans, *Christianis in Turcos bellare non licere, ſed conuenire Christianum & Euangelicũ Principem, Turcis portas omnes aperire.* *Ex Io. Fab. orat. ad Henric. 8. Angl. Reg.*

Aperiamus enim portas noſtras, aut non reſiſtamus hoſti tàm barbaro támque perfido? Abſit abſit.

Turcæ nobiſcum (Auditores) non vtri imperent, vt fit; ſed vtri ſint, nobiſcum bella gerunt. Victi deditíque eis eodem loco.

Non illi ſimiles Magno illi Tamerlano, qui deditos tentorio candido adhuc expanſo habebat longè humaniſſimé. *Petrus Crinitus lib. de honeſta diſcipl.*

Solet Turca *thrattein*, ſuperátque dolum Troianum omnem.

Pœno ille Pænior eſt & Parthis ipſis mendacior.

Neque apud illum ara vlla, aut fides. *Ouid. 1. Metam.*

Turcarum *terras Aſtræa reliquit.*

Seueritatem abditam, Clementiam in procinctu habent. *Senec. in prou.*

Laomedonteæ neſcis periuria gentis? *Virg. Æn.*

Iactant illi quidem, Otthomannidarum Curiam aſylum eſſe miſerorum, Pharum errantium, portum naufragorum; bona ac ſpecioſa verba; At verò eſt potiùs ſcopulus; quid? imò vorago, & macellum Chriſtianorum.

Fiſtula dulce canit, volucrẽ dùm decipit anceps.

Gislenius Busbequius in consilio de acie contra Turcam instruendi.

Iusiurandum (ait Busbequius) *homini Christiano datum violare, vbi rationibus suis conducit, non modò nullum nefas, verùm etiam pium & sanctum putat* Turca.

Didicit hoc vnum, & constanter retentat; fallere scilicet fidem, cùm libet, & licet.

Senec. lib. 3. de ira c. 3.

Cum Barbarorum animos species iniuriæ perculit, aguntur statim: & quà dolor traxit, ruinæ modo regionibus incidunt incompositi, interriti, incauti, pericula adpetentes sua: gaudent ---- instare ferro.

Ah! quàm grauiter ille se ipse decipit, qui fore exteris ac Christianis Turcam fidum putat, quē tam perfidum nepotem, generum & fratrem, in patruos, soceros & fratres, in suos denique omnes videt: apud quem *beneficia in scelus versa sunt, & sanguini eorum non parcitur, pro quibus sanguis fundendus est.*

Senec. de benef. lib. 5. c. 15.

Tot funera Turcarum ipsorum domestica, tot nostrorum, violatis fœderibus ac iure gentium, interneciones videmus, legimus, audimus; neque adhucdum illos odimus? imò propemodum amamus, iugúmque illîus adfectamus, & ambimus?

Bapt. Mant. ad Iulium 2. Pontif. Max.

Et stamus similes Prognæ sua parua videnti
Pignorà de nido tracta à serpente vocari?

Forte mel. necari, aut vorari.

Odimus accipitrē, quia viuit semper in armis,
Et pauidum solitos in pecus ire lupos, non odimus lupum illum ouium Christi hostem acerbissimum?

Ouid. 2. de arte.

Quicunque fuerit crudelis, ac solùm inimicitias amplectitur, hunc & vnum homines oderunt, maláque imprecantur, & mortuum etiam conuitijs insectantur, nos crudelissimum Ismaëlitam illum, *cuius manus contra omnes*, odisse nondum possumus? *Penelope apud Homerum in Odyssea ad Vlyssem.* *Genes.*

An contrariorum istorum obpositu, nondum contraria magis elucescunt?

Fratrum nostrorum tantillę sæuitiæ nondùm possumus obliuisci, recordatione tantæ in Turcis feritatis?

Vis maior, minorem nondum obfuscat aut retundit?

Erit, erit metuo (sed auertant Superi) tempus, nisi de Turcica feritate seriò cogitemus, quandò cum rustico illo Antigonos refodiemus.

Tempus erit, quandò cum Himera illa muliercula pro Dionysijs Tyrannisque æui nostri, seu nostratibus indigenísque, seu aduenis atque exoticis, orabimus, quos nunc diris pluribus deuouemus, quàm Archilochus olim Lycamben socerum, aut Ibidem Ouidius. *Ouid. in Ibin.*

Indigetes beatósque eosdém tum serò clamabimus, quos nunc ad Orcum imum damnatum aut volumus, aut iampridem esse suspicamur, nisi offensionum fraternarum, earúmque leuicularum si Turcicas spectemus, obliti, Turcicarum immanitatum

tum sæpè recordemur.

Tempus erit, cùm dicent vicini de populo Christiano nunc Turcicum potius, quàm huius aut illîus iugum adfectanti: *In-*
Æsopus apol. 19. *cidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdin.*

Æsopicas ranas cogita, quæ hactenus vanè queruntur sibi in regem datam à Ioue voracem ciconiam pro trabe.

Trabi enim innoxiæ subesse melius fuerat, quàm ciconiæ ranas deuoranti.

Iob 6. *Qui timent pruinam, irruet super eos nix.*
Clamabitis in die illâ à facie Regis vestri, quem
1. Reg. 8. *elegisti vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa.*

—— Fœlix, quicunque dolore
Alterius, discit posse carere suo!

Fælix, qui, de malis, & minima, & paucissima!

Senec. in Thyeste. *Serum est cauendi tempus in medijs malis.*
Serò sapiunt Phryges.

Aristophanes in ranis. *Leonis catulum aut non oportet in vrbe educare, aut educati mores ferre.* Turcæ non fauendum, non supplicandum, non fidendum, aut eadem cum illis, quos nunc dixi, patiendum.

Sint ex aduersarijs Principibus vtrimque seu his, seu illis, aliqui acerbiores &c. non æquant tamen, imò ne procul accedunt quidem Turcicam barbariem, perfidiam &c.

Resipiscunt nostri legum Christi memores,

res, pertinaces moriuntur, occiduntur, mitiores subrogantur &c.

Facere omnia sæuè Non impunè licet. Lucanus Pharſ. 8.

In noſtris vitium perſonæ eſt, non gentis, non religionis; at in Turcis, & gentis, & religionis.

Dracone illo Attico ſæuiorem habent legiſlatorem.

Turcicæ gentis, religioniſque imò ſuperſtitionis, præter cæteras, nobilitata eſt crudelitas.

Ergò (Auditores) *Nullus amor populis, nec fædera ſunto.*

Nùnc, olim, quocunque dabunt ſe tẽpore vires,
Litora litoribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor, arma armis pugnent, ipſique nepotes.

Pictores pro tabellis voluptarijs, emittant Turcicæ crudelitatis imagines. Ad quam rem conſilia Autoris,

Matres, lactentium ſuorum aures, narrationibus iſtis Turcicæ feritatis, imbuant. Nutrices non lupos commemorent vt lactentes terreant ſed Turcas, vt Pariſijs (*le moine bourrè*) alibi (Eſtiualas;) in Turcia, Hunniadem; Romæ Annibalem ad portas.

Patres, filios grandiuſculos coniurare cogant in Turcas, vti olim Amilcar filium Annibalem vixdum nouennem ante aras in Romanorum vindictam.

Parens vterque in morte dicat filijs, quod moriturus Dauid ſuo Salomoni, de Ioab:

3. Reg. 2. *Non deduces canitiem eius pacificè ad Inferos &c.*

Ludimagistri, lectionibus, declamationibus, Philippicis, versibus, Satyris, Comœdijs, Tragædijs, illîus gentis feritatem, odium in Christianos, fœditatem, perfidiam, fastum sæpè aut exagitent ipsi, aut à suis exagitari iubeant, vt vel sic iustis odijs iustâ vlciscendi cupiditate, sensim iuuenum animi imbuantur, quam tandem, iustis armis sumtis, conspirantes exerant.

Sic Maxentij tempore lecta in scholis dicuntur acta Pilati.

Imò abecedarij ac syllabarij doctores, pro Robertis Diabolis (quos vocant) pro Rolandis, & cæteris id genus fictis historijs, libellos de Turca vernaculos ab elementarijs suis legi, ediscíque iubeant.

Quid si & Episcopi eos, quos Sacramento confirmationis pugnaturos armant, etiàm Turcici belli amore imbuant &c.

VVaremūdus de Erenberg lib. meditamentorum pro fœderibus pag. 214.

Fugiat Princeps imprimis societatem illorum, in quibus, (Vt de Alcibiade totius corporis forma & oris dignitate præstantißimo Plutarch. & Liuius loquitur) crudelitas, perfidia, nihil veri, nihil sancti, nullius Dei metus, nulla iusiurandi religio, nulla fortitudo, nulla constantia.

Erasmus in consultat.

Nàm *quis non priùs habeat, in extremis solitudinibus inter lynces, lupos, leopardos, ac serpentes viuere, quàm inter tales, vbi quotidie sint audiendæ detestabiles in Christum blasphemiæ, ad*

quas

quas adridere summa sit impietas; obticescere, cruciatus morte tristior; contradicere, certa mors, nec ea simplex?

Si fratrum, & religionis eiusdem sociorum, patria tantum aut regione differentium atque externorum, adeò exosa imperia, cur non magis Turcarum, & alterius religionis, regionísque hominum, & morum adeò barbarorum, & toto orbe à nobis submotorum?

Satiúsne à Turca obprimi, quàm à ciue leuiculè premi?

Quousque tandem has insanas voces audiemus, *Potiùs Turca, quàm talis aut talis?*

Planè qui mutare Dominos vultis, & Turcas petitis *nescitis quid petatis.* *Matth. 20.*

PHI-

PHILIPPICÆ VII.

NOTÆ.

Thema. *Facti sumus obprobrium vicinis nostris subsannatio, & illusio his, qui in circuitu nostro sunt.*

Vsquequo Domine irasceris in finem? accendetur velut ignis Zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt, & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt. Psal. 78.

FACTA repetitione vsitatâ, sic propositum.

Dicendum mihi hodie

1. *Quanti referat, habere vicinos bonos vel malos;*
2. *Iudæos vsos fuisse molestißimis, nēpe insultatoribus, & qui illi;*
3. *Belgas verè obprobrium eße vicinis suis, sed & Christianißimum vniuersum.* AVE.

I.

¶ *Quanti referat, habere vicinos bonos vel malos.*

Animalium nullum homine socialius. *Senec. ep.*

ANIMALIVM nullum homine socialius est, vt qui *sine socio nullius boni sit iucunda*

iucunda possessio, non si in paradiso delicijs bonísque adfluat vniuersis.

Si *Non est bonum hominem esse solum*, etiam inter magnas voluptates, rerúmque omnium adfluentiam: quantò minus inter tot agmina necessitatum, miseriarúmque, quibus singuli obsidemur? *Gen. 2.*

Societatem facit necessariam tùm natura nostra, tùm Orbis huius quamlibet vasti angustia, quæ non caperat habitatores suos, si singuli, procul à singulis, vastam solitudinem quærent.

Æstuat infoelix angusto limite mundi. *Iuuenal.*

Denique *non omnes capiunt hoc verbum* solitudinis, vti nec cęlibatus, vt vt aliqui velint, & possint.

Timones & misanthropous paucos inuenias.

Qui nulli sociari vultis, *debueratis de hoc mundo exire.*

At in tantâ necessitate societatis, planè is beatus, cui vicinus bonus contigit; valdè miser, cui malus. Quo fit, vt vicinis bonis maximè egeat.

Vti *linguâ nil melius, linguâ nil peius eadem*, sic vicino non est quicquam melius, aut peius, quòd is ferè assessor nobis perpetuus.

Vicinus bonus hoc consanguineis affinibúsque carior, quo in ianuis est, & necessitatibus paratior.

Melior est vicinus iuxtà, quàm frater procul. *Prou. 27.*

Prodest

Prodest autem aut nocet vicinus, vel vt caussa, vel vt occisio.

1. *Vt caussa*, cùm ipsus vult aut infert malum, aut adfert bonum.

Hesiod. lib. op. & dierum.

Hesiodo: *Noxa malus vicinus, vt est bonus auxilium ingens:*

Sortitus frugi vicinum, est nactus honorem:

Non pereat tibi bos, ni vicinus malus adsit.

Cato de re rustica.

Catoni: *Si te libenter vicinitas videbit, faciliùs tua vendes, operas facilius locabis, operarios facilius conduces: si ædificabis, operis, iumentis, materia iuuabunt.*

Ouid. lib. Metam.

Notitiam, primósque gradus vicinia fecit.

Vti à commoda Solis vicinia, hominibus, Terrísque commoda adfluunt vniuersa; ità à vicinis bonis velut cornucopiæ.

Plutarch. tom. 1. vit. in Themist.

Themistocles id vidit, qui venalem agrum liciturus, iussit, præconis voce addi, *Habere vicinum bonum.*

Contra, quid peius malo, cuncta perperàm interpretaturo?

Cohabitare leonibus, ac serpentibus præstet, quàm vicinis malis. Culeo claudi in quo sint gallus, canis, serpens & cattus malim quàm vicinis malis duobus circumuallari.

Columella lib. 1.

Achæos, Iberos, Albanos, Siculos, Pelasgos, Aborigines, Arcadas, ideò profugisse de solo patrio constat, quia malos vicinos ferre non poterant, ait Columella.

Diogenes malam viciniam (credo) reformidans

midâs, vase, pro domo, est vsus, ne, si in domo immobili habitaret, non posset, ex mala vicinia (si qua cõtigeret) commigrare meliori.

O vtinam, vt cochleis, limacibus, ac testudinibus suæ domus adhærent, huc illúcque secum vectabiles; ità nobis homuncionibus habitacula essent talia à natura comparata, quæ nobiscum facilè possent circumferri! Quos enim sedes mutare sæpè cogit infesta vicinia, domus vetat ac retentat.

In barbarie media Tartarorum id commodi, quòd *in aperto ac sub dio, & præter currus sine vllo omninò, aut publico aut priuato ædificio, agitant.* Emigrant enim facilè, curru abducto, aut moto, quoties incommodior est vicinia. *Philip. Callimach. experiẽs orat. 8: Pont. f. Max. de bello Turcis inferendo.*

Et verò, quàm ęgrè vicinum commodum reperias? incommodorum quãtam segetem?

Benè Halcyppus nescio quis: *Inimicus & inuidus est vicinorum oculus*?

Bonos Malosque vicinos facit vt plurimum. { 1. *Paritas*, 2. *Imparitas*. } *Vicinos bonos malosque ex duplici fonte bonos; Ex paritate, bonos:*

1. *Paritas*, fortunarum, generis &c bonos facit.

Vt nuptiarum illæ ferè pessimæ, quibus ætate, diuitijs, nobilitate, forma &c impares coniunguntur; de quibus dicas: *Mortua quin etiam iungebant corpora vivis*; contra illæ optimæ, quas paritas contrahit, vndè illud. *Virgil. Æneid.*

Si qua voles aptè nubere, nube pari Ità in vicinis amicísque illi ferè commodissimi, qui pares.

Martia-

Martialis *Vitam quæ faciunt beatorem? ---- hæc sunt, pares amici, sine arte mensa* &c.

Pares, adsunt pariēti vicinæ, periclitanti, ægrienti &c. *gaudent cum gaudentibus.*

Luc. 10. Elysabethæ partui *congratulabantur vicini & vicinæ.*

Luc. 15. *Mulier inuenta drachma quæ perierat, conuocat amicas & vicinas* congratulaturas.

Alius, media nocte, à vicino poscit commodato tres panes, qui etsi inuitus victúsque importunitate dederit, commodus tamen aliàs fuisse videtur, quem aliquando media nocte ausus fuerit vicinus solicitare.

Cic. in Lælio. *Similitudo* non tantùm *morum* (vt Cic. ait) *conciliat amicitiam*. sed & fortunarum.

Lucan. lib. 1. Pharſ. al. poteſt. Raró contingit, vt *nec quenquam iam ferre queat Cæsarue priorem, Pompeiúsue parem*. Hoc tantùm *inter superbos*, inter quos *semper* sunt *iurgia*. Id internus morbus, non fortunæ inæqualitas facit.

Malos ex imparitate. * 2. *Imparitas* rerum earundem, vicinos malos atque incommodos facit.

Superat alius alium opibus &c bone Deus! quàm est diues pauperi grauis! quàm imperiosus! quàm superciliosus pauperis contemtor! Eget ille opera aut rebus inopis? poscere non videtur, sed iubere. Læsit? non pacem petit, sed minatur. Læsus est? plumbeas & ferreas iras gerit; senescere offensa non poteſt. Opera pauperis, aut rebus vsus est?

gratia

gratia leuior pluuiâ est (vt ille loquitur.) *Plaut.*

Denique *Pauper amet cautè, timeat maledicere pauper.* *Ouid. de arte.*

Multáque diuitibus non patienda ferat.

Nabotho, vineam aut agellum habuisse Regi Achabo contiguum, quàm nocuit!

Da mihi vineam &c ait ille, quia vicina est, & prope domum. *3. Reg. 21.*

Vineam dum retentare conatur misellus vitam amittit & vineam.

Bene Poëtarum ille ingeniosissimus, *Viue tibi, quantumque potes, prælustria vita,* *Ouid. lib. Trist.*

---- *& longè nomina magna fuge.*

Nec illic malè Machiauellus ille Politicorum proh dolor! Deus, & idolum (etsi sępe alibi pessimè) vbi monet; *Sedulò cauendum Principi, ne potentioris se Principis in bello consors fiat, ad alium impugnandum, nisi cùm necessitas cogit, quoniam si potentior vincit, illi impotentiorem subdi necesse sit.* *Machiauellus c. 21. de instit. Principis.*

Vt in arboribus ac plantis aliæ alijs sunt vicinia sola lætiferæ; & proceriores seu Cedri seu Cupressi, viburna & myricas humiles vmbra nimia suffocant; Vt in piscibus, minores maiorum prædæ ac cibo patent; ita in amicis viciníſque inferiores, potentiorum iniuriæ.

Contrà, potētior aliquis, vicinis vtitur inferioribus, pauperibus? vtitur inuidis maledicis, insidiatoribus, ac forte raptoribus &c.

Hesio-

Hesiod. lib. oper. & dierum.

Hesiodus. *Non pereat tibi bos, ni vicinus malus adsit.*

Et fortè, de pauperibus intelligenda illa vox Halcyppi, *Inimicus, & inuidus est vicinorum oculus.*

Ergo *Vicino melius nihil est nil peius eodem.*

* 2. *Vt occasio* nocet aut iuuat vicinus. Nam aliquando virtutum eius vitiorúmque diuina stipendia, ad viciniam deuoluuntur, vt flammæ a vicinis incendijs, vt pestis a contagione.

Plautus in Mercatore act. 4. Scen. 4.

Nunc ego verum illud verbum esse experior vetus.

Aliquid mali esse propter vicinum malum.

Virgil. ecloga 9.

Hinc suspirium illud altum, *Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ!* nam *Cremonenses Cassii Bruti & Antonii copias susceperunt*, ait illîc Seruius.

D. Aug. & habetur p. 2 decret. de pænit. dist. 1. c. sed & continuo.

D. Augustinus: *Adama & Seboim vrbeculæ duæ, ex vicinia Sodomorum, parilis excidii traxere consortium.*

Luc. 15.

Fames valida in regione illa, in qua prodigus luxuriatus.

Num. 16.

Hinc consilium: *Recedite à tabernac. hominum impiorum:*

Et, *Discede ab iniquo, & deficient mala a te:*

Et mala vicini pecorũ contagia lædunt.

Sed de his nos alibi valde fusè iam olim tomo 2. Academiæ nostræ, in quæstione, cur prodigo qui peccârat, vapulaturo, etiam fames

fames tàm valida facta est in regione illâ fortè innoxiâ?

II.

¶ *Iudæos vsos fuisse molestißimis vicinis: quibus.*

Iudæis fuisse pessimos.

IVDÆOS autem vsos fuisse vicinis pessimis, sæpè aliundè quidem, at hinc maximè patet.

Quid enim acerbius aut molestius adcidat, quàm vicinus, amicus, aut vxor, vicino, instar Iobi, iacenti & naufrago, insultabundi?

Hoc isti fecerunt, redactâ in casam Hierosolymâ; *Facti sumus* (ait) *obprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio &c.* alia litera ait, *derisui & contemtui.*

Vt qui calamitosis insultarent.

Et benè, post enarratas barbarorum hostium crudelitates, addit velut miseriarum coronidem, se in aduersis etiàm derideri, non à remotis tantùm, sed à vicinis quoque, qui vt assidui sunt,ità sæuius ac sæpius angunt.

Tria genera molestiarum

1. *Opprobrium*, quod quidam dicunt esse conuitium illatum absenti, neque audienti, neque videnti;

Hugo Card. hic.

2. *Subsannationem*, quæ fit præsenti quidem non videnti, sed

a vicinis memorat { audienti, & fit propriè fronte aut naso studiosè rugato genus insultandi pessimum.
3. *Illusionem*, quæ infertur præsenti, videnti, & audienti, si Hugoni Card. credimus.

Q. d. Sanniones, moriones de nobis ludicras fabulas in scenis ac theatris instituunt.

Spectaculo sumus omnibus hominibus { *Moabitis* / *Ammonitis* / *Idumæis* / *Philistæis &c.*

Facti sumus in fabulam, *in parabolam vicinis nostris.*

In quibus maxime Philistæi, & cur.

Philistæi certè Iudæique velut naturali quodam odio sese prosequebantur, & belligerabant sæpè varia fortuna, nùnc victi nũc victores, vt sub Samsone sub Gedeone, sub Saule, Dauide &c. Itáque hos maximè Iudæis antiquis hostibus suis insultasse in aduersis adparet.

Adde, etiàm Philistæos, ac cæteros ideò acerbiùs insultasse calamitosis, quòd fauillæ incendij ex Iudæa ad viciniam forsan delatæ, etiàm ipsos læsissent. Populantur enim hostes non petitum dumtaxat hostem, sed & vicinos. *Aliquid mali propter vicinum malum.*

Sic Luxemburgum versus, terræ illæ (quas

(quas vocant) communes, belli nostri Belgici incommoda sæpè multúmque sensêre.

Et ad Leodios, VVestphalos, Colonos &c. aliquandò vsque, ex alueo Belgico, malorum, grassationúmque tempestas atque inundatio defertur, quæ res vicinis non molesta esse non potest, cogítque aliquandò in voces insultandi erumpere, cùm fortuna illos diuerberat, qui causam damni dedisse videntur.

Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ. *Virgil. ecloga 9.*

Vicinæ ergo gentes, his alijsque de causis, Hierosolyma prostrata gaudebant, & in sinu, & foris; fronte, oculis, naso, ore, nihil nisi lætitiam de alieno malo spirabant, de absentibus iocos suos, de præsentibus ludos suos faciebant.

Forsitan hæc, aut his similia, ingeminabant: *Vbi est, vbi est Deus eorum?*

Confidit in Deo populus iste, *liberet nunc eum, si vult.*

Videamus quid prosint illi somnia sua.

Reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domûs Saul, domûs Pharaonis & tot Regum &c. *quoniam inuasisti regnum pro eo. --- Ecce premunt te mala tua, quoniã vir sanguinum es.* 2. Reg. 16.

Tibi *percußit* Deus *Ægyptum cum primogenitis eorum:* Tibi *excußit Pharaonem & virtutem eius in mari rubro*: Tibi *percußit reges magnos*; Tibi *occidit reges fortes, Seon regem* *Psal. 135.*

Amorrhæorum, & Og Regem Basam; Tibi *dedit terram eorum hæreditatem*; Tibi maria, tibi flumina, mare rubrum, Iordanis, scissa patuerunt; Tibi rupes datis aquis: Tibi æther effusis ex alto in hostes lapidibus, commeatúque omni, manna, carnibus, ministratis, Tibi Sol ad Iosue nutum stans militarunt, pro te pugnauit olim totus orbis terrarum: Nunc vbi est Deus ille, horum patrator, quem vnum iactas, in quem vnum speras? aut is dormit, aut mortuus est, aut senio impotens effectus est, aut vobis ingratis iratus est.

Deus dereliquit eum persequimini & comprehendite eum: non est *qui eripiat.*

Secundum puritatem manuum eius reddidit ei Deus.

Isaia. *Omnis collis humiliabitur &c. Sequitur superbos Vltor à tergo Deus.*

His ac similibus forsitan insultabant; tormenti genus importabile.

Miseria nulli miserabilis, miseriarum est miserrima.

Miserum quidem, aduersis premi; miserius, in aduersis non inuenire, seu negatiuè seu priuatiuè consolatorem; multò verò miserrimum, pati derisores atque insultatores, & quidem illos, quos consolatores esse oportebat, vt vicinos, amicos, consanguineos affines &c.

Facti

Facti sumus obprobrium vicinis nostris, inquit: Illud (*vicinis nostris*) emphasin non paruam habet q. d. Etiam ab ijs insultatur nobis, illuditur, improperatur, scommatísque agitur, quos adiutores, & consolatores vnicos esse oportebat.

Cassiodorus optimè: *Totus iste textus à principio crescens schema istud nobilißimum facit, quod vocatur Auxesis, latinè verò vocatur augmentum.* *Caßiod. hic.*

In vitio tamen sunt, qui non miserentur, multò magis qui insultant, maximè verò, si vicini, amici, affines &c.

Quemcunque miserum videris, hominem scias, ait Senec. in Hecuba. Quod miseriæ genus multo est miserrimũ.

Homo, qui, in homine calamitoso, est misericors, meminit sui.

Et, *Afflicto non est danda afflictio*, neque iacenti insultandum. *Pub. Mimus.*

Vt quid certes illudere capto, & facere, quod Philistæi olim in Samsonem captum, & excæcatum, de quibus ità legis: *Lætantes principes per conuiuia, sumtis iàm epulis præceperunt, vt vocaretur Samson, & ante eos luderet, qui adductus de carcere ludebat ante eos*, morionis instar atque histrionis. *Iud. 16.*

Vt quid, Iobo ægrè in sterquilinio vitam trahenti, etiàm vxor insultet, & Tobiæ cæco coniux sua? *Iob.* *Tob.*

Vt quid, Christo spineo diademate coro-

nato, genu flectatur, dicatúrque: *Aue Rex Iudæorum*?

Vt quid, è cruce pendenti, iámque animam agenti dicatur, *Vah qui destruis templum Dei &c.*

Contra quales inuectiua. Nunquid parum est, quòd miseri digna atque indigna patiuntur?

Vrsum vrsum ille olet, quisquis prostrato instat, non leonem.

Ouid. *Nàm lupus, & turpes instant morientibus vrsi,*
Et quæcunque minor nobilitate fera est.
At Corpora magnanimo satis est prostrâsse leoni
Pugna suum finem, cùm iacet hostis, habet.

Quæ demùm ea feritas, qua vicinus vicino insultet, cùm maximè eius sit propria sympathia? cùm eum *gaudere* deceat *cum gaudentibus*, de oue, drachmáque inuentâ, *flere cum flentibus*, & angi de perditâ?

Stob. serm. 35. O quanto meliùs Indiæ (nisi fallor) populi *Praysij*, seu Prasij, qui *vicinos, si fame premantur, alunt!*

Ibidem. Et *Thyni*, quicunque tandem, aut quocunque sub cælo sint populi, *qui naufragos humaniter suscipientes in amicitiam recipiunt!*

Et Dido Troianos exules naufragósque sic rogans:

Virgil. 1. AEneid. *Vultis & his mecùm pariter considere regnis?*
Vrbem, quã statuo, vestra est: subducite naues.
Tros Tyriúsque mihi nullo discrimine agetur;
Atque vtinàm Rex ipse, noto compulsus eodẽ,

Afforet

Afforet Æneas!

Quales illi Christiani proh Deum! qui vicinos, vrbibus captis, vel eiectos vel egressos, à quibus antè & ipsi bello profugi comiter excepti fuêre, Geusios, aut Hugonotas, adpellitant, in foris, in plateis &c. Memini enim memini quid, Montibus nostris Gallico dolo captis, carissima mea mater, mulier vt castissima, ità religionis Catholicæ studiosissima, audire coacta sit in vicinâ quadam vrbeculâ, in quam, veluti Loth in Segor effugiendo Sodomorum incendio, tantisper tota se familia nostra receperat; quídque alij passim alibi audierint. *Genes. 19.*

Naufragis, adflictisque manus porrigendæ, non tabulę suæ eripiendæ, aut in littore obsistendum, ne emergant, maximè abs eadem aut paria aliquando perpessis.

Non ignara mali miseris subcurrere disco, aiebat Regina illa. *Virgil. 1. ÆEneid.*

Equus emissarius, sic & amicus subsannator. *Eccles. 33.*

De hâc re autem queritur propheta, ad commiserationem Dei prouocandam, tum à granditate mali, tum à Dei ipsius iniuriâ vt mortui, vt impotentis, vt suos falsâ religione fallentis, vt patroni seruos & clientes deserentis, indè resultante.

III.

¶ *Belgas verè esse obprobrium vicinis suis sed & Christianismum vniuersum.*

Belgæ fabula vicinorum,

ET hæc quidem de sensu literali sufficiãt, nunc videndum, quî nobis eadem ista conueniant.

Sanè, nos Belgæ, quid aliud *facti* iam *sumus*, quàm *opprobrium vicinis nostris*, *subsannatio & illusio his, qui in circuitu nostro sunt*, non modò his qui propè, sed & his qui procul?

Quia omnibus prædæ,

In Belgio enim primùm vti in publicâ siluâ, omnes prędæ ac veluti venationi vacant; amici, inimici; exteri, interni; dicas, regionem esse subhastatam, aut direptioni publicæ datam. *Regionem nostram coram* nobis non *alieni* modò *deuorant*, sed & domestici, tutores, patroni &c. deinde Belgicum Bellũ quia 30. iam, ac propè quadraginta annorum est tam cruentum, tam implacabile, tam dolosum, támque adfectatum, toto orbe est decantatissimum, & (credo) multis in sinu risum mouet, imò plurimis in fabulam versum est, ac fortè medicis ipsis, futuris alioqui sine ipso mendicis.

Ysaia.

Quia sine pace tam diu,

Quidni? malis enim nostris, vulneribúsque videmur delectari, & qui ægri, & qui medici.

Vulnerati, nec de medicis, nec de medici-

na,

nâ, ſerio cogitamus, & vt aliqui conentur mederi, ſpernimus, irridemus, aut non audimus, parum à phreneticis differentes.

Curauimus Babylonem, & non eſt curata. Nemo bene ſeruatur inuitus. *Hierem. 51.*

An gentibus alijs peiores Belgæ? aliæ certè gentes nonnunquam etiam inſtar noſtri arma capiunt, ſed eadem mox conciliatæ deponunt, cedente vtraque parte aliquid iuris ſui, quæ regia eſt ad pacem via; nos Belgæ quandò tandem? *Cum cæteris gentibus nunc bellũ, nunc pax.*

Galli ſub Carolo 9. quot ciuilibus bellis fatigati? ſed ijdem tamen aliquandò coierunt.

Ijdem ſub Hérico 3. ob cædem Guiſiorũ, mutuis vulneribus, perituri videbantur. Sed ecce, præter ſpem, pacatiſſimos videmus.

Dum in Germaniam, ad ineundi imp. principatum, redit ex Hiſpaniâ Carolus V. plebs Hiſpaniæ etiam tumultuata, Duce Ioanne de Padilla arma aduerſus nobilitatem mouit, cauſis aliquibus ſimilibus iſtis noſtris. Sed tamen cedente aliquid Carolo 5. & populo aliquid, coitum eſt. *Vide epiſt. aureas Gueuarræ, & Ludou. Viuem.*

Imò Hiſpani ipſi, externo hoſte conſpecto, nempe Franciſco 1. Gallorum Rege Nauarram inuadente, iras in illum armáque conuertêre.

Athenienſes quoque olim; ſed amniſtia mox coniunxit.

Apud

Lucan. lib. 1. Apud Romanos, quàm sæpe *pares aquilæ, & pila minantia pilis*? sed tamen, vel serò coierunt.

Turcæ hominum barbarissimi, cum suis, cum Persis, aliquando digladiantur, sed mox aut pax, aut induciæ.

Belgæ autem iam tot annos inuicem bella gerunt, neque adhuc de pace verbum, aut de inducijs, vllum.

Nutriculam esse bellorum dicas Belgiam.

Deteriores, nobis ipsis id est nepotes maioribus, facti videmur. Olim Carolus ille Burgundiæ Dux, Belgijque Dominus, crebra quidem bella gerebat cum Ludouico 11. Gallorum Rege, sed nulla diuturna: annis propè singulis illa induciæ interrumpebant, ait Philip. Cominæus. respirare tantisper dabatur, ferijs belli recurrentibus.

Philip. Cominaeus in hist.

Itáne fusaria nostra intricata? támne confusæ chartæ nostrę? támne indissolubiles, & Gordio nodo similes res nostrę? Itáne, instar labyrinthi, inextricabilis est error noster? Itáne apud nos tenebræ noctis perpetuæ, numquam lucescet aliquis pacis dies, naturæ dictaturâ? Semper nubila? Phœbus nūquam?

Hydram, cui capita bina, vno reciso, renascantur, dixeris bellum istud. *Alia, ex alijs, in fata vocamur.* Belliparam etiam voces, & quidem fæcundissimam, grauidantibus tamen non maritis solis, sed & adulteris.

Virgil. 3. Æneid.

Deinde

Deinde; Vtrauis pars vincat, nil nisi Belgium spoliatur, adteritur. Intereunt victores, flent victi: Nil nisi Cadmæa victoria.

Vrendo, sternendo perdimus, quæ victores parcendo possidere possemus.

Duces suos, aurum suum, arma sua, seipsos vtrique consumunt iam tot annos, & tantùm profecimus ad belli finem ac pacem, quantùm primo belli die, ne dicam nunc quàm olim Belgio peius esse, ac multitudinem medicorum Belgium perdidisse. Deinde, quod nil aut parum bello promouerit.

In pacem aut inducias coire si possemus, non optimam quidem, at aliquam certè Rempub. quæ nunc nulla est, forsitan haberemus. Dum nimis emungimus, sanguinem elicimus, imò nasum euellimus.

An non satius relinqui vulnus aut næuum, cui sine totius corporis pernicie mederi non queas?

Aut, Non putamus, nos vicinis risui esse ac subsannationi? illos ex naufragio nostro tabulas in rem suam lætos colligere? illos incendijs nostris ditari? illos miseria nostra magnos fieri? illos nostro sumtu sanguinéque, in terra nostra, velut armorum schola aut gymnasio, exerceri? aut *Disciplinam pacis eorum, super humerum* nostrum esse? Nec videant malo suo, alijs bene esse.

Et quis scit (charissimi mei Belgæ) quis scit, an non aliqui ex istis spectatoribus tragediæ huius nostrę tam funestæ ac plusquam

Oedipo-

Nec timeant mali sui spectatores.

Oedipodiæ, sint tandem bene fatigatos, inopes, cultris iam retusis, & Ducibus cæsis vniuersis, inuasuri? Dij meliora tamen!

Virgil. 4. Æneid.

Nec venit in mentem quorum consederis aruis? ô Belga!

Hinc Getulæ vrbes, genus insuperabile bello,
Et Numidæ infræni cingunt, & inhospita Syrtis,
Hinc deserta siti regio, latéque furentes
Barcæi? quid bella Tyro surgentia dicam,
Germanique minas. Intelligitis hæc omnia?

Neque ambustos sua flamma.

Denique si aliquibus damnosa sunt incendia nostri belli (vt fit) an non putamus affuturos illos spectatoribus huiusmodi, sub Tragædiæ finem in actores ipsos irruentibus, damna sua resarturos ex reliquiarum nostrarum direptione?

Res dura, & patriæ miseratio talia cogunt
Scribere me, nulli nocentem, illi prouidentem, ex officio.

Luca 19.

Doleo ac fleo super te, ô Belgia mea Europæ totîus ocellule, *quià si cognouisses & tu, & quidem in hâc die tuâ, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis &c.*

At verò in Christianismum vniuersum, quàm quadrat etiam versus iste, *facti sumus obprobrium vicinis nostris &c.*

Obprobriosa, & subsannatione digna multa mihi in Christianis populis, Principibúsque mihi videntur.

Ridi-

Ridiculum enim vel ipsi Heraclito

1. *Seruis subesse Dominos,*
2. *Fortes cædi ab ignauis, effæminatis, inermibus, sæpe victis &c.*
3. *Sapientes Regi à stultis,*
4. *Mortalia præferre diuinis,*
5. *Hosti fauere,*
6. *Vicinũ incendiũ non restinguere,*
7. *Superbire deiectos.*

Christiani quoque omnes fere cæteris ridiculi,

* 1. *Seruis subesse Dominos,* tam ridiculum, vt ludum illum feriæ quædam olim præcipuum habuerint.

Serui dominati sunt nobis, ait ille.

Et *Dominamur ab vno Vixque viro.*

An non iam Turcas ex seruis Scytharum ortos dixi, & quidem fugitiuis?

Qui subsint Turcis, Domini seruis.

Imò, illi ipsi, qui tanto fastu Bassæ dicuntur, quíque alij post Imperatorẽ sunt maximi, serui sunt omnes. Seruilis, & (vt sic dicam) bassa Bassarum conditio est.

Serui sunt (inquit Fontanus) *Turcæ omnes, etiàm consilio, autoritate; armis præstantissimi,* vt Bassæ, vt, Beglierberi, & Vesiri, id est Consiliarij summi.

Fontanus lib. 2. de bello Rhodio.

Æuo patrum nostrorum, vix ferebat seruos illos nescio quis Scithię vicus ignobilis.

Ipsus eorum Legislator Mahomethus, initiò vile mancipium, & mancipijs oriundum, ortúmque.

Imperante enim Mauritio, anno recuperatæ per Christum salutis 591. Natus est Mahomet ---- obscuris

Philip. Lonicerus chron. Turc. tom. 1.

ſcuris parentibus in Arabiæ pago Itarip; vel alijs Itarip, pago vili & obſcuro. alijs à natali Domini 626. Fortè hi regnum hominis, illi ortum ſpectant.

Polyd. virg. lib. 7. inuent. c. 8.

Quidam Græcorum cum Iſmaëlitam tantùm memorant, ſordidóque loco natum, puerilibus annis furaci quæſtu ſibi victum quæſiſſe, ac locandis conducendiſque camelis, ad deportandas hùc atque illùc merces, indè verò adultum latrocinia feciſſe, ait Polyd. Virgilius.

Sabellicus lib. 6.

Sabellicus autor grauiſſimus, & alij complures, quibus celeberrimus hiſtoricus Cuſpinianus Impp. Augg. Ferdinandi, & Maximiliani Secundi, ac Viennenſis Reipub. Conſiliarius ſubſcribit, conſtanter adfirmant, planè dubium eſſe, an Perſa Arábſve fuerit, & potiùs credendum, ac infallibiliter ſtatuendum, eum obſcuris, ignobilibus, ac incertis omninò parentibus eſſe natum.

Franc. Philelph. ep. ad Caro. 7. Fr. Reg.

Creſpet. Scholio ad c. 7. catech. Pij 2.

Creſpetius ignobilem ait, & natum Cirenæ, quod & ante illum dixit Philelphus, & autor Syncretiſmi.

Vincent. in ſpec. hiſt. lib. 23. c. 39.

Vincentius putat de genere Iſmahel, in eóque plerique omnes ſcriptores boni conſentiunt. Matrem Iudæam, videor legiſſe apud Gueuarram noſtrum.

Ant. Gueuarra lib. 2. epiſt. pag. 286.

Ergò ſanè ſeruili genere fuit Mahometes, tùm quoniàm Iſmahel ex Agar ancillâ (vndè Agareni dicendi, qui perperàm Saraceni

raceni dicuntur:) tùm quia Mahometis ætate, omnes Iudæi exules erant, & serui. Sed & seruilia exercuit. *Mercatoris Abdimonc-plis pecuniosi famulus camelos agebat cum mercibus per AEgyptum, Syriam, Palestinam, pérque alios peregrinos locos* ait Philelphus.

Philelphus & Crespet. locis sup. citatis.

Itaque *facti sumus obprobrium vicinis nostris*, quoniam *serui dominati sunt nobis*.

Quid? non modò *serui dominati sunt nobis*, sed serui etiam nostri. Nam Mahomethus ipse aliquandò stipendia meruit sub Heraclio Imp. Christiano aduersus Cosdroam, omnium opinione. Item qui eum sequuti sunt Saraceni.

Othomannus, vndè isti Ottomannidæ, an non obscuro etiam loco natus, ac parentibus rusticis?

Erasmus in consult.

Denique: quòd nunc Turcæ Imperatorem habent Ottomannidam, indulgentia nostra habent, vt pote quibus Cyriscelebem carceribus nostris liberatum remisimus. *Morte enim Tamerlanis audita, misericordia Imperatoris Constantinopolitani, solutus Baiazetis natus maximus Cyriscelebes in Asia discessit*, ait Rocherius.

Christoph. Richer. lib. 1. rerum Turc.

Proh pudorem! *Castra seruorum publicos nostros penates tenent*: templis, aris nostris, ac nobis ipsis dominantur.

Liuius lib. 3. decad. 1.

Cadmæa proles, ciuis atque Ophionius,
Quò decidisti iustremitis ignauum exulem,

Senec. in Herc. furente.

Suis

Suis carentem finibus, nostris grauem.

Isocratis vox, ad Philippum, de bello Barbaris inferendo, hùc seruiat. *Cogita saltem* (inquit *quàm turpe sit, Asiam florere adflictâ Europâ: & Barbaros opulentiores esse Græcis? hos, qui ad Cyrum genus referunt, quem mater in viam abiecit, amplißimum imperium habere, & Reges magnos adpellari: At Herculis posteros, quem pater ob virtutem inter deos retulit, humilioribus nominibus salutari.*

Cædantur ab ignauis ipsi fortes.

* 2. *Fortes cædi ab ignauis* armatos à propè nudis. Europęi nos, Asiatici Turcæ, nos Occidentales, Orientales illi, quorum vinci proprium est, vincere nostrum. Asiatici enim ferè molles frigoris impatientes, aues æstiuales.

Europæ populos numquam neque Asiatici, neque Libyci domuerunt; Europęi contrà sæpe Asianos, imò & fæminę Europææ nonnunquam.

Romani vixdum bene nati, & rebus adhuc valde infirmis, vicêre Carthaginienses, Aphrósque domuêre, & in Asiam victricibus signis inuaserunt.

Et positi Europæ supremo in limite Grai
Toti Asiæ soli potuêre obsistere. Persas
Cum Persisque simul totum fudere Orientem ait

Mantuanus.

Subiecit pars vna duas, pars vna duabus
Vi maior, quanquam orbe minor.

Occiden-

Occidentalibus populis adiutus Cæſar, Pompeium cum Orientalibus eum inſequutis facilè deuicit.

Aſiana bella, ferè muliebria olim æſtimabant.

Alexander Magni Alexandri propinquus cùm bellum gereret in Italia, *Frater meus* (inquit) *in Aſia cum fæminis pugnat, mihi autem cum viris certamen eſt.*

Iulius Cæſar de quibuſdam Aſianis triũphans, currui ſuo hæc verba adſcribi iuſſit: *Veni, vidi, vici,* quaſi ſolo ſui intuitu ſuperatos diceret Aſianos.

Adde, Turcas effæminatos præ cæteris eſſe legis mollitie, & mulieroſos; Maſculæ virtutis ab effæminatis.

Item coniugiorum multitudine, & Sodomiæ licentia, eneruatos, ne dicàm ipſos etiàm fæminea nonnunquam pati.

Denique ſi numen noſtrum Chriſtum, & Turcarum Mahometem intueris, credo non contentus dixiſſe, *Effæminati dominati ſunt nobis*! addes mortuos viuis imperare.

At quid Hungaro audacius? quid Germano vaſtius? quid Gallo procerius? Hiſpano ſolidius? Italo ſapientius? Polono robuſtius? Belga exercitatius?

Deinde, *Bellum omne* noſtrum *cum agreſtibus, incultiſque hominibus, cum latronibus, cum fugitiuis, cum venalibus abiectiſsimiſque ſeruis.*

Omnes rustici & pastores, nullis tecti, nullis muniti armis, quibus aut offendant, aut se tueantur, ait Philelphus. *nudi aut seminudi ad bella prodeunt,* ait Bartolomæus.

Franc. Philelph. ep. ad Carol. 7. Bartholom. Georgien. in exhort. cõt. Turc. c. 6. Armati a seminudis; Fontanus lib. 2. de bello Rhodio.

Tantùm angusto scuto & ense, nudis femoribus dependenti contenti. Nam galea & lorica omninò non vtuntur, ait Fontanus.

Arma apud eos aut nulla aut ridicula. --- Transeo non ferro ductas, sed ex papyro ferruminatas galeas, & tenuißimis squamulis temerè incrustatas telas corporibus circumtegendis. Quæ tamen armorum genera adeò rara, vt non nisi apud Principes viros inueniantur. ---- Arcum habent tantummodò, & gladium, nec tamen omnes. --- Arma nùnc per ambitionem decoris omnia commutata, atque adeò velut in mollitiem corrupta, vt non fortium virorum ac militum tela, sed puerorum ludicra videantur. Sed & gladij ab omni militari disciplina deprauati. Ante omnia enim cùm feriendi duplex sit ratio: quippe quòd vulnus aut punctim impingitur, aut cæsim infertur: ne punctim feriant, supini recurui sunt: & mucro in dorsum suum retroactus; cæsim verò, si dimittantur, propter quod non velut in gladys aliarum gentium latitudo ferri à manubrio paulatim detenuatur in acumen, sed contrà quà tenentur, propemodum acuti sunt: quà verò feriunt, latißimi: & carent capuli libramento: eleuari sursum, & ad geminandum ictum recolligi non poßunt, ait Philippus Callima-

limachus. Non gladius vtrimque acutus illis, vt nobis. *Phil. Callimach. orat. ad Innocen. 8. Pontif. Max.*

Illis arcus, nobis sopetæ, id est, nobis fulmina: illis sagittæ, quæ per dura armorum nullam vim penetrandi habent, cùm bombardis seu machinis Christianorum vix vlla rupes obstiterit. Sunt equidem & Musulmannis sui bombardarij, sed rariores & indoctiores, ait Bartolomæus. *Bartholom.*

Turcarum agmina simulacris militum, non militibus, furunculis imò fæminis meris constare dicas, si arma, si mores, si disciplinam militarem spectes. *Georg. exhort. contra Turc. c. 6.*

Neque feriri, imò nec ferire nisi fugientes possunt.

An non igitur iure nos *Facti sumus obprobrium vicinis nostris subsannatio & illusio*, qui naturæ, qui armorum bonitate superiores superamur, à fæminis, ab inermibus, à seruis, nos in libertate geniti?

Melius Troiana illa: *Graijs seruitum matribus ibo* *Virgil. 2. Æneid.*

Dardanis, & Diuæ Veneris nurus?

Adde, à toties victis vinci, esse turpissimum. Victores a victis.

Nescitis *quo modo* ex maioribus nostris *persequebatur vnus mille* Turcas, & *duo, fugarent decem milia?*

Anno 1125. Pugnatum contra Christianos est quadringentis milibus militum, quibus obcurrerunt tribus milibus virorum Christiani, & Dei *Ex chronico VVolfgangi.*

benignitate septem milibus hostium gladio cæsis, & quinque millibus aquis suffocatis, Christiani victoriam consecuti sunt.

Æneas Sylvius lib. 1. ep. ep. 397. & alij.

Constantinopoli capta, *Thaurinum, seu Albam, seu Belgradum non magni momenti castellum ad confluentes Danuby Sauique situm cunctis viribus suis Turci expugnare adnixi sunt: Irrupere in vrbem acies muris prioribus perfractis, Pugnatum est interdiu noctúque summa contemtione. Erant Christiani milites, qui oppidum tuebantur, pauci cruce signati, non nobiles aut diuites, non bellis adsueti, non armis tecti, sed rudes, incompositi agrestes.*

Et hi tamen Turcos vicere, non tàm ferrum, quàm fidem hostibus obponentes. Ab his tumidus ille Turcarum Imp. Mahometes insuperabilis anteà creditus, & terror gentium adpellatus, in acie victus & vulneratus sub pupilla ab obsidione deiectus, castris exutus relictis impedimentis, nocturnam & turpē adripere fugam compulsus est.

Ib idem.

Hi sunt hostes vestri, ô Christiani. Cum his vobis hominibus pugnandum est, qui neque ferire, neque feriri nisi in terga nouerunt.

Ab vno illo Epirotarum Duce Scandebergo, (cuius acies nunquàm 16. milia superauit) bis & vigesies victi sunt Turcæ, ait Ronsardus his verbis:

P. r. Ronsardus in Sonneto de Scandebergo.

O tresgrand Epirote! ô vaillant Albanois,
Dont la main a desfait les Turcs vingt & deux fois.

Baldo-

Baldouinus (4. eius nominis & 7. Hierosſ. Rex) *leproſus anno regni ſui tertio, cum trecentis 75. equitibus, circa partes Aſcalonæ, occurrens Saladino, ipſum cum 26. milibus equitum in prælio ſuperauit: ipſo Saladino cũ parte exercitus fugiente, alijs partim trucidatis, partim vinculis mãcipatis. De noſtris autẽ, quatuor aut quinque tantùm occubuiſſe dicuntur*, ait Vitriacus.

Vitriacus pag. 131. hiſt. Orient.

Piſarum vrbs parua valdè in Italia, aliquando Hieroſolymas, & totam ſalutis noſtræ illam regionem recuperauit.

Phil. Callimach. orat. ad Innocent. 8.

Vt ſileam vetuſtiora illa, nempè vno die propè quadringenta milia barbarorum illorum, cum Rege ipſo, cæſa eſſe Duce Carolo Marcello vel Martello: item Gothefrido Buillonio Duce, captos Hieroſolymos; Eccui ignotæ Ioannis Hunniadæ, omnium ætatum Ducis celeberrimi, de Turca crebræ illæ, & illuſtres victoriæ? Eccui ille Stephani Valachi de Mahomethe 2. nobilis triumphus, ſuperato 120000. exercitu, anno 1467. cùm is Mahometes Valachiam ſubiugandam ſuſcepiſſet?

Paul. Æmyl. lib. 4. hiſt. Franc.

Ad quem orbis angulum non eſt alis famæ perlata celebris illa naualis, in Lepantho mari mediterraneo, pugna, cùm, ſacro fœdere inter Clementem Septimum, & Philippum Secundum Regem Hiſpaniarũ, & Venetos, anno Chriſti 1570. inito, Chriſtiani 27000. Turcas occiderunt anno 1571.

Hac de re vide Vbertum Folietam lib. 2. pagin. 102. 103. & Gulielmum Bartaſium in ſua Lepantho gallica, ex Latina Regis Scotiæ.

Octobris 7. Duce fœderis Ioanne Austriaco, Vicario M. Antonio Columnę.

Profectò ab his victi captíque, & tot regnis exuti, meritò *Facti sumus abprobrium vicinis nostris &c.*

Sustinetis, si quis deuorat si quis accipit, si quis in faciem vos cædit &c.

Regantur sapientes a stultis.

* 3. *Sapientes Regi à stultis.* Monstri hoc simile est, in rerum natura, quæ vt corpora cœlestia ac superiora, terrestribus inferioribúsque dominari voluit mentem corpori; sic sapientes rudibus esse prę fectos iubet.

At Mahumetanorum quàm magna pars stulta!

De Bry de orig. & incremento regni Turc. c. 11.

Mahumethes ipse, libidinum, viníque intemperantia sæpè in epilepsiam merámque dementiam delabi solebat: & eam 14. continuos dies passus interijt, frendens apri spumantis instar.

Et sequaces plerique, stultitiam indicante vocabulo, Mori dicti sunt. Qui enim dicitur *moros* à Græcis, Nabal ab Hebræis, fatuus ac stultus dicitur à Latinis. *Nec putet quis eos dici Moros quòd ex Mauritania sint, vel venerint, vt Morus pro Maurus, sicut plostrum pro plaustrum proferatur.*

Vide Symphorianum Champerij lib. 2. de legum conditoribus fol. 50.

Mahomethus enim Arabs fuit; Mauri autem vltimas Aphricæ occidentalis oras è regione ad Hispanos inhabitant ait doctissimus Symphorianus.

Facti

Facti sumus obprobrium vicinis nostris &c. quoniàm serui,*effæminati*,stultíque,*dominati sunt nobis.*

Libenter suffertis insipientes,cùm sitis ipsi sapientes &c.

* 4. *Mortalia proferre diuinis.*

An non ista Christiani Reges ac Principes faciunt,dum malunt Regnum sine cælo, quàm cælum sine regno?dum profanas ditiones,tanto studio, tanto sanguine repetunt; Terram verò sanctam ità negligunt, dùm sua ità seruant?patrimonium atque hæreditatem Dei,publicum Christianę pietatis domicilium Hierosolymos perdunt, dum non requirunt? Præferant humana diuinis;

Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus Rachel plorantis filios suos;nec est qui consoletur eam,ex omnibus caris eius. *Hierem.31. & Matth.2.*

---- geniique locorum
Solicitant Superos, pro libertate suorum.
Magnus ab Aßyrijs auditur, ab vsque Damasco
Clamor, & à totâ sacri regione sepulcri.
---- renuunt ea regna teneri.
A Machometæis, cupiunt ad vera reuerti
Numina, & auxilium nostris à Regibus orant.

Bapt. Mantuan.ad Insubres.

Exsportate ossa mea ex AEgypto,aiebat Iacob: Tot Cœlites quoque ex alto inclamant;Aut ossa nostra ex Palæstinâ exportate ô Principes,aut ad ossa nostra,ac sepulcra,in Palestinam ipsi redite, & ossibus nostris hîc reli- *Genes.*

lictis, hinc Barbaros & canes istos, ossium sacrorum siccorúmque hostes, deportate.

D. Gregor. homil. 17. in Luc. 10. *Nos interim Dei causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus. Nulla animarum lucra quærimus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus.*

Mantuan. tom. 1. exhort. ad Reges & Principes Christianos. *Ergo tibi est potior, priuata iniuria, quàm res Publica?*

---- priuata iniuria maior,

Quàm Deus, & Pietas, & defendenda cruore Relligio?

Itáne, arcam Domini à Philistæis captam esse, paruipenditis, degeneres Israëlitæ?

Palladium nostrum nō, vti Æneas quondam illud Troianorum, saluum esse contenditis?

Plutarch. in Camillo. Sacra tàm multa ibi deserta non, vti Vestalia sua Vestales Româ à Brenno captâ, efferre atque extrahere adcuratis, aut ad illa cum Camillo per vim redire? Nō fiet via vi?

Virgil. Æneid. Non *interdum victis redibit præcordia Virtus?*

Non, cum Pub. Valerio Publicolâ, ita alter alterum hortabimini? *Si vos Vrbis (Quirites) si vestri nulla cura tangit: at vos veremini Deos vestros ab hostibus captos. Iupiter Opt. Max. Iuno Regina, & Minerua, alij Dij Deæque obsidentur, castra seruorum publicos nostros penates tenent.* Sic enim ille, captâ noctu arce Romana ab exulibus seruísque, Duce Ap. Herdonio, ad plebem dixit. — Ex Liuio lib. 3. decad. 1.

Maxi-

Maximè, cùm bellorum nostratium materies & causæ leuiculæ sint, vmbra asini, lana caprina, aquæ ductus, terræ punctum; vti olim *Persicum bellum ex Mæandri Samij cum Atheniensibus dißidio ortum duxisse perhibent: Peloponensium, propter Megarensium tabellam: Sacrum, ab exactione iudiciorum Amphictyonum.* Caussis præposteris; Ælianus var. hist. lib. 12.

Taceo, videri Erasmo nonnullos esse, *qui non aliam ob causam bellum mouent, nisi vt hac via facilius in suos tyrannidem exerceant. Nam pacis temporibus senatus autoritas, Magistratuum dignitas, legum vigor nonnihil obstant quo minus liceat principi quicquid libet: at bello suscepto, iam omnis rerum summa ad paucorum libidinem deuoluta est. Euehuntur quibus benè vult Princeps: deijciuntur, quibus infensus est. Exiguntur pecuniæ, quantum libet. Quid multis? tum demum sentiunt se verè Monarchas esse. Colludunt interim Duces, donec infælicem populum vsque ad radicem adroserint*; Taceo inquam istud; Nam vt fortè sit verum, certè si calculos adhibemus, dispendijs maioribus compendia minora quęrunt atque incertiora, Alchimia belli plus dāni, quàm lucri illis inferente. *Erasm. in consult.*

Materies verò belli Turcici vndequaque grauissima. Sepulcrum Domini ereptum; Religio Christiana proculcata; fratres nostri in vinculis; Seruitus aut mors nobis parata; Vxoribus, filiabus stupra; Septuaginta regna, duo Imperia iamdudum à nobis ad illos

transla-

translata; Reliquiæ orbis Christiani ab illisdem iam spe deuoratæ &c.

Mahumethes vnus, qui Constantinopolim ademit nobis, idem 12. regnis, & 200. vrbibus nos exuit.

Oppido, agellóque repetendo intenti, de his receptandis non cogitamus?

Bella ex bellis generantes, & velut ansam ansa trahentes, illud vnum necessarium in Turcas non gerimus?

Hîc aureo hamo angues lubricos piscamur, cùm illic ferreo Delphinos ac cetos certò liceret?

Hîc fratres omnes patre Christo geniti, alter alterũ in alterius mactamus sanguine, cum summa infamia, cùm illic liceret, cum summa gloria, infinitos animis corporibúsque seruare?

Vtrum (quæso) magnificentius, an fratres bello ciuili internecinóque perdere, an seruare externo? An ciuitates aut instaurare, aut ab excidio tueri, an demoliri? an quęrere per vim aliena, an sua & maioribus relicta tueri, aut capta reposcere? defendere, an *Gentibus inuisis Latium præbere cruorem*? caudam, an caput illæsum seruare?

O cæcas hominum mentes!

Dum hinc atque hinc, Iesu Christi tunicam inconsutilem factionibus distrahimus, laçeramus, aut disputamus, quorum sit tota,

totam

totam omnes, rapiente Turca amittimus: atque ità *Facti sumus obprobrium vicinis nostris* &c.

Quod Demades Atheniensibus nolentibus Alexandro diuinos honores decernere, aiebat, *Videte ne dum cælum custoditis terram amittatis* sic vsurpo: Videte Christiani, ne dum terras vestras custoditis, cælum & terram amittatis. *Valer.lib.7. c. 2.*

* 5. *Hosti fauere* etiàm quàm ridiculum, imò scelestum.

Fauent vero plerique, hi
1. *Foedera cum Turca ineundo, consilia communicando;*
2. *Conatus bonorum in Turcam interpellando.*
3. *Cum Christianis, suis, aut externis, inimicitias armatas gerendo.*

Hosti faueãt malo suo;

* 1. *Fœdera cum Turcis* ineundo, natura hostibus, patrijs inimicis, alienæ religionis, quíque non vtri imperent, sed vtri viuant, cum Christianis decertant, perfidis, periuris, dolum Troianum superantibus: quod Henricus 2. Galliæ Rex fecit calendis Febr. 1553. posteritas hactenus ratum habuit. Confœderationibus cum illos

Hoyus noster, doctus linguæ Græcæ Duaci professor, ait, ab Elysabetha, Turcam, ad bella Catholicis inferenda, aliquandò instigatum. *Hoyius de Monarchia.*

Lazarus Soranzius de illa, & Gallorum Rege sic: *Galliæ Rex, & Angliæ Regina sponte* *Lazar. Horanz. in Otomanno c. 55.*

conti-

continuationem belli contra Hispanos offerunt.

Idem ibidem: *Sinan & Feratus Bassæ bellum mordicus Amurathi suadebant, nec minus in id incumbebant, Galliæ, Angliæ, & Principis in Geilan legati.*

Epist. edita est Antuerpiens. apud Martinum Nutium 1542. mense Octobri.

Epistola quędam ex Vrbe, tertio Septembris, anni 1542. ità loquitur. *Fuerunt* (Venetijs) *duo fratres, alter eorum capitum decem, alter collegij secretarij, qui obruti Gallorum pecunia prodiderunt omnia secreta Venetorum Gallis, ipsi quoque Galli omnia huiusmodi secreta ad notitiam Turcarum deduxerunt, per annos tres & vltra, ità vt ab ipso Turcà & Gallis melius, quàm ab ipsismet Venetis scirentur.*

Ex Aloysij Armerij ep. ad Georgiũ Loxanum de.

Scripsit aliquis; *In recensendis bombardis, quas Cæs. Maiest. & in arce Tunetana, & in Golleta Castello receperat, quædam tormenta globique insignibus Regis Galliæ notata reperta sunt. Quapropter quidam æstimauere, Regem Gallum & armis, & munitionibus, & pecunijs etiàm Barbarossum contra Christianos iuuisse: Alij tantum scelus in Regem Christianissimum nullo modo posse cadere reputantes --- arbitrabantur, Barbarossum, tormenta illa & machinas, dedita opera, ea nota signasse, quo Tunetanis reliquisque, qui cum eo sentiebant, latronibus palàm faceret, se in Christianitate etiàm magni nominis principes amicos habere, qui se & opibus, & omnibus rebus, quæ ad vsum belli pertinerent, re ita exigente,*

gente, inuarent --- plerique dicebant, captis aliquandò Gallicis nauibus, Barbaroßum illa recepiße, atque ad arcem Timeti & Golletam aduexisse.

Alius verò sic: *Deprehensa sunt* (dum scilicet Imp. Carolus V. propinquaret Gouletam) *duo ingentia Maßiliensia, à Christianißimo scilicet Rege, ad Mahometicæ sectæ Principem Christianæque religionis hostem plusquam capitalem, Heredin Ænobarbum mißa, quibus ad quadriremem Cæsaream deductis, vectores eorum quæ habuissent mandata interrogati ---- tandem confeßi sunt, se ex Tuneto & arce Gouletæ soluisse, Maßiliámque rectà petere: quam profectionem non fuiße in rem atque vsum Tuniceæ expeditionis à Cæsarianis susceptæ paratam & adornatam, nemo non intelligebat.* Ex Ioann. Strobio in commentario expeditionis Tuniceæ a Carol.5.Imp.

Alterius nauigij Dux natione Francus, pro certo narrauit, quendam Christianißimi Regis à secretis, cui cognomen esse dicebat du Forest, ab Ænobarbo, ad Selimannum Turcarum Imperatorem, cum certis mandatis legatum fuisse, nimirum vt illum de aduentu Imperatoris, totiúsque exercitus præmoneret. Venerat namque aliquot ante diebus cum legatis Selimanni & Ænobarbi è Galliâ in Aphricam, poterátque tùm esse Constantinopoli apud Selimannum, sicut certis autoribus posteà nobis nunciatum fuit.

Item sic: *Ex arce Gouletanâ triremibúsque, quæ in sinu Tunetensi fuerunt, quotidie ex machinis ingen-* Idem ibid.

ingentis magnitudinis, ferrei & anei globi, *in castra Cæsarea militúmque tuguria iaciebantur, quorum nonnulli, & illi quidem grandiusculi, intersignio liliorũ insigniti fuerunt, ità vt nõ difficile esset cõijcere & colligere, è quo miropolio eiusmodi catapotia, quibúsue ex officinis tales prodierant merces.*

Idem ibid.

Item sic: *Inuenta sunt in arce Gouletanâ --- & ex præcipuis tormentis non pauca alia paßim liliis, alia salamandræ figurâ, & duplici digammate Æolico FF. insignita, quibus in altero latere insculptum fuit aut infusum hoc elogium, literis Romanis: Nutrisco & extinguo. In altero latere, alterum elogium literis Arabicis.*

Vah pudorem! Christianissimum Regem Christi acerrimo hosti ità copulari potuisse, & ex defensoribus olim Christi primis, Gallos nunc impugnatores Christi esse.

Achilles Tarduccius in Turca vincibili pag. 207.

Sed, & *Constantinopolitani Imperatores* (anno 1350. sub Amurathe) *Turcarum amicitiam olim sectabantur, eámque caro pretio comparabant, quin & proprios filios, iu aulam Turcicam, in Imperatoris obsequium miserunt.*

Idem ibid.

Cantacuzenus, qui filium Imperatoris Andronici, cuius tutor fuerat, imperio defraudârat, Orcanis amicitiam, nuptiis filiæ suæ, quam ei desponsauit, redemit, quo melius rebus suis consuleret.

Apud Vrremundum de Erẽberg. lib. medicament. pro fæderibus.

Quid illud est, si non est Turcicam rem aduersus Christum promouere?

Indolui, cùm legi extare quoque fædus Polonorum ac Turcarum perpetuum.

Inge-

Ingemui, cùm legi, Venetos fœdus cum Turc. Imp. contra Regem Neapolitanum contraxisse. *Apud eundem ibid.*

Illachrymatus propè fui, & vix credidi, cùm legi etiam Hispaniæ Regem, per Matillanum suum Oratorem quęsisse, & obtinere studuisse fœdus Gallico non absimile. *Apud eundem pág. 153.*

Quæ communicatio hominis sancti ad canem? *Eccl. 13.*

Obstupui, planéque dirigui, ista apud Gallicum scriptorem de Carolo V. legens, etsi parùm credulus; *Et a bien osè ledit Empereur protester de sa bouche deuant le Pape, & le consistoire de l'Eglise Romaine, qu'il n'y a chose au monde, qu'il luy sceust faire tourner la teste en arriere, de ceste guerre* (il parle de la guerre contre François I.) *ains que plustot il abandonneroit en proye au Turc ses propres pays qui laiße derrierre luy*, id est, vt ego verto; *Et ausus est idem Imperator ore suo coram Papa & Ecclesiæ Romanæ conuentu profiteri, nihil hic in terris esse, quod animum suum à bello illo* (loquitur autem de bello aduersus Franciscum primum) *poßit auocare imò se potius prædæ Turcicæ suas ipsius ditiones retrò positas relicturum.* Si credere fas est id dictum fuisse, quantum nefas dixisse aut præter mentẽ aut ex animo, quorum alterutrũ necessariò verum est? quãtæ verò impietatis scelus esset præstitisse? *Ex epistol. quadam ad Germanum aliquem a Gallo edita Parisijs pro Vincentio Sertenas 1556.*

Ingenuè dicamus; *peccatur vtrimque:*

Iliacos intra muros peccatur, & extrà, grauiùs tamen illîc, quàm isthîc. *Horat.*

*2. Conu

Interturbatione bonorum conatuum:

* 2. *Conatus bonorum in Turcam* quàquà interpellando, in quo genere maximè est peccatum ab Alexio Constantinopolitano Imperatore vel potiùs imperij vsurpatore, cùm Duce Gothefrido Buillonio, & Petro Eremitâ comite, fœderati & cruce signati Christiani Principes, & populi ad sacrum bellum studio receptandæ Hierosolymæ, proficiscerentur.

Ex Gulielm. Tyrio lib. 2. belli sancti. cap. 4. ibid. c. 6.

Hugonem enim magnum Regis Franciæ fratrem eiúsque optimates, qui in hac expeditione primi Alpes ac mare transierat, cùm cæteros præstolarentur Imperator is Alexius cepit, atque in vinculis instar nocentis habuit, ægréque, nec nisi per vim, repetenti Buillonio reddidit.

Deindè, consilio doloso, èxercitum Christianum in locum angustum adduxit, tùm ne prædas latius agerent, tum vt offensionibus eius magis paterent.

Pręthereà, armis & prælijs eosdem læsit.

Ibid. c. 14. Bohemundi Tarenti Principis copias insidiosè perdere conatus est.

Ibid. c. 19. Item Comitis Tolosani turmas.

Item adsignato Tatiuo itineris Duce dolosissimo, peccauit.

Manuelus verò etiam Constantinop. Imperator an non susceptam ab Alemanis, Conradi Cæsaris auspicijs, in Palestinam expeditione, nequiter & obcultè impediebat?

Vide

Vide vide, quàm flagitiosè is contra datam fidem sese gesserit. *In locis opportunis & arctis insidias collocabat, quæ multos interimebant: paßim portus ipso annuente clausis, forum Alemanis negabatur: funibus de muro pecuniæ adtrahendæ caussa demißis, ea capta, quantum vel panis vel aliarum rerum libebat, præbebatur: nonnumquam, auro & argento attracto, de muris semet improbi mortales subducebant, ac nihil omninò commeatus vicißim demittebant: quidam farinæ calcem miscentes, cibum pestiferum efficiebant: Imperatoris iußu, de argento minimè probo cusa moneta est, quæ venditoris aliquid ex Alemanico exercitu daretur; denique, literis ad Turcos mißis, Manuelus hortatus est, vt bellum Alemanis facerent,* ait historiarũ Glycæ continuator.

In continuatione annalium Mich. Glycæ.

Carolo V. Imperatore semper Augusto multa aliquoties conante, Gallus contrà aliquoties, bello nunc Italiam nùnc Belgas petens, successum interturbabat.

* 3. *Cum Christianis, suis, aut exteris, inimicitias armatas gerendo.*

Contentionibus cum suæ religionis hominibus.

Quid verò nos nunc quoque facimus vtrique, tam diuturno bello decertantes, quàm rebus Turcicis fauere, dum vires, Duces, militésque, in Vngaria Imperatori Germano necessarios, hîc distinemus?

Hæc quoque culpa tua est, hæc quoque culpa mea est, meritò dixerit pars vtraque.

Ouid. in ep. Heroid.

Europæ discordiæ, primum inter Con-

ſtantinopolitanos Principes, Aſiam Turcis tradidêre; hinc in Thraciam aditum aperuêre; deindè, & Occidentis noſtri in ſua viſcera pugnæ, belláque alia ex alijs, vt hydræ capita, ſubinde renaſcentia, vt ſe latiùs in Europam effunderent, illexêre.

Vtinàm mos ille priſcus reiuueneſceret, quo caſtigabatur, quiſquis, Cęſare foris occupato, domi res nouas moliretur! de quo ſic Germanorum Poëta.

Georg. Sab.n. in Frederico Barbaroſſa.

Mos antiquis erat, qui publica commoda pacis
Cæſare, turbaßet, bella gerente foris,
Totius Imperij reus inſpectante Senatu,
Vt canis impoſitum, corpore ferret, onus.
Ergò, quod, Italicis dum concita geſsit in oris
Bella, Palatinus mouerat arma domi:
Hunc, licet inuitum detrectantémque, coëgit,
Inclita per Nemetum mœnia, ferre canem.

Non aliter rem Turcicam agimus, quàm ſi Turcæ ipſius duces mercenarij eſſemus. Turcis huc ad nos ſternimus pontē ac viam; Turcis hoſtes ſuos quiſque occidimus; Turcis alter alterum adferimus, frangimus; Turcis alter alterius muros arietamus, quatimúſque, & quid non?

Vti Romanus olim ſedēdo, ſic nùnc Turca ſpectando vincit. Victores victóſque, inuicem verberando feſſos, is viribus integris adorietur aliquandò & capiet.

Apologi memento, quo Miluus gallos duos

duos nimium pugnaces excepisse narratur.

Quis furor (ô Ciues) quæ tanta licentia ferri, *Lucan lib. 1. Pharſ.*
Gentibus inuisis Latium præbere cruorem?
Heu! quantùm terræ potuit, pelagíque parari
Hoc, quem ciuiles hauserunt sanguine dextræ!

---- *tantæne animis cælestibus iræ!* tàm alta odia Christianorum! *Num Diis æquales tangit vesania mentes?* *Virgil. 1. AEneid.* *Nauis Stultorum tit. 96.*

Itáne perire parati sumus, dùm etiàm frater noster pereat?

Huccíne inuidi ac mali sumus, vt vri velimus, dùm alter amburatur? aut excæcari, dùm etiam alter elusceretur?

Quin potiùs pacẽ æternã, pactósque Hymenæos *Virgil. 4. AEneid.*
Exercemus?
Iungamus dextras, & cæsa feriamus fœdera porca.

Velimus potiùs, non optimè esse, quàm omninò non esse;

Mutilo ac mauco corpore esse, quam nullo;

Mucum in naso, næuum in facie feramus potius, quàm radicitus euellamus. *Qui nimis emungit elicit sanguinem.*

Parte contenti simus, ne dum integram rem volumus, totam amittamus.

Elephas dentes eburneos sibi ipsus abrumpit, si aliter venatores eboris auidos effugere non potest.

Auiculæ, caudâ præhensæ, caudam elu-

ctando malunt amittere, quàm caudatæ includi.

Serpens, ne caput ac vitam perdat, corpus vulneribus obiectat.

Fiber canis fluuialis, gallis dictus (*castor ou bieure*) quòd testiculi eius in vsum medelarum appetantur, cùm vrgeri se intelligit, ne captus prosit, ipse geminos suos deuorat, ait Solinus c. 23.

Præstat monoculum viuere, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam.

An nescis, Rebuspub. contingere id posse, quod olim rustico illi, qui questus de medio panno à milite sibi extorto, etiàm relictam partem amisit?

Pars regni, pecuniæque negligenda, vt reliquiæ conseruentur.

Nonnumquàm *dimidium plus toto.*

Aliquandò, vt, *Stultitiam simulare loco prudentia summa est*; ità & iactura tempestiua & in loco, lucrum & questus est.

An placet, Christum capi, discipulorum vel fugâ, vel contentione?

An placet, Christum occidere (vt sic dicam) ac perire, dum regnare nimium vultis, zelo fortassis bono, at *non secundùm scientiam.*

Gregor. Nazianz. orat. de pace. *Adstiterunt Reges terræ & principes aduersus Dominum & aduersus Christum eius.*

Quià nimis Dei, nimis Christi amantes, Christum

stum ipsum diuidebamus, veritatis causa nosmet mutuò mendaciis onerabamus: propter caritatem, odium exercebamus, propter lapidem illum angularem distrahebamur, propter petram concutiebamur. Quià plus quàm conueniret propter pacem pugnabamus &c.

Ità fit *summum ius, summa iniuria.* Diogenes quidem Platonis fastum calcat, sed sæpè alio fastu: & ille, alterius malo occurrit, sed alio malo. *Cic in off.*

Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. *Rom.*

---- celúmque suo seruire Tonanti, *Lucanus lib. 1.*
Non nisi sæuorum poterit post bella Gygantũ,

Seruiemus ergo? *Stulti dum vitãt vitia, in contraria currunt*, ait Poëta.

Et prou. *Incidit* sæpè aliquis *in Scyllam, cupiens vitare Charybdin.*

Dum libertatem sectamur vtrique conamúrque alter alterius leuiculum iugum excutere, verendum ne in durissimam incidamus Turcarum seruitutem: & ne, dum elabi vinculis, etsi sat laxis, volumus, fortius innodemur, & *Propriis*, vt in prouerbio est, pennis configamur.

Dum alter alterius emendat religionem, perdit omnem, & nullam facit vniuersam, aut Mahometicæ execrationi fores aperit.

Venient Mahometani timeo, *& tollent gentem & locum.*

continuationem belli contra Hispanos offerunt.

Idem ibidem: *Sinan & Feratus Bassæ bellum mordicus Amurathi suadebant, nec minus in id incumbebant, Galliæ, Angliæ, & Principis in Geilan legati.*

Epist. edita est Antuerpiens. apud Martinum Nutium 1542. mense Octobri.

Epistola quędam ex Vrbe, tertio Septembris, anni 1542. ità loquitur. *Fuerunt* (Venetijs) *duo fratres, alter eorum capitum decem, alter collegij secretarij, qui obruti Gallorum pecunia prodiderunt omnia secreta Venetorum Gallis, ipsi quoque Galli omnia huiusmodi secreta ad notitiam Turcarum deduxerunt, per annos tres & vltra, ità vt ab ipso Turcà & Gallis melius, quàm ab ipsismet Venetis scirentur.*

Ex Aloysij Armerijeo. ad Georgiũ Loxanum &c.

Scripsit aliquis; *In recensendis bombardis, quas Cæs. Maiest. & in arce Tunetana, & in Golletæ Castello receperat, quædam tormenta globique insignibus Regis Galliæ notata reperta sunt. Quapropter quidam æstimauere, Regem Gallum & armis, & munitionibus, & pecunijs etiàm Barbarossum contra Christianos iuuisse: Alij tantum scelus in Regem Christianissimum nullo modo posse cadere reputantes --- arbitrabantur, Barbarossum, tormenta illa & machinas, dedita opera, ea nota signasse, quo Tunetanis reliquisque, qui cum eo sentiebant, latronibus palàm faceret, se in Christianitate etiàm magni nominis principes amicos habere, qui se & opibus, & omnibus rebus, quæ ad vsum belli pertinerent, re ita exigente,*

gente, inuarent --- plerique dicebant, captis aliquandò Gallicis nauibus, Barbaroßum illa recepiße, atque ad arcem Timeti & Golletam aduexisse.

Alius verò sic: *Deprehensa sunt* (dum scilicet Imp. Carolus V. propinquaret Gouletam) *duo ingentia Maßiliensia, à Christianißimo scilicet Rege, ad Mahometicæ sectæ Principem Christianæque religionis hostem plusquam capitalem, Heredin Aenobarbum mißa, quibus ad quadriremem Cæsaream deductis, vectores eorum quæ habuissent mandata interrogati ---- tandem confeßi sunt, se ex Tuneto & arce Gouletæ soluisse, Maßiliámque rectà petere: quam profectionem non fuiße in rem atque vsum Tuniceæ expeditionis à Cæsarianis susceptæ paratam & adornatam, nemo non intelligebat.* Ex Ioann. Strobio in commentario expeditionis Tuniceæ a Carol.5.Imp.

Alterius nauigij Dux natione Francus, pro certo narrauit, quendam Christianißimi Regis à secretis, cui cognomen esse dicebat du Forest, ab Aenobarbo, ad Selimannum Turcarum Imperatorem, cum certis mandatis legatum fuisse, nimirum vt illum de aduentu Imperatoris, totiúsque exercitus præmoneret. Venerat namque aliquot antè diebus cum legatis Selimanni & Aenobarbi è Galliâ in Aphricam, poterátque tùm esse Constantinopoli apud Selimannum, sicut certis autoribus posteà nobis nuntiatum fuit.

Item sic: *Ex arce Gouletanâ triremibúsque, quæ in sinu Tunetensi fuerunt, quotidie ex machinis* Idem ibid.

ingen-

ingentis magnitudinis, ferrei & anei globi, in castra Cæsarea militúmque tuguria iaciebantur, quorum nonnulli, & illi quidem grandiusculi, intersignio liliorũ insigniti fuerunt, ità vt nõ difficile esset cõijcere & colligere, è quo miropolio eiusmodi catapotia, quibúsue ex officinis tales prodierant merces.

Idem ibid. Item sic: *Inuenta sunt in arce Gouletanâ --- & ex præcipuis tormentis non pauca alia paßim liliis, alia salamandræ figurâ, & duplici digammate ÆEolico FF. insignita, quibus in altero latere insculptum fuit aut infusum hoc elogium, literis Romanis: Nutrisco & extinguo. In altero latere, alterum elogium literis Arabicis.*

Vah pudorem! Christianissimum Regem Christi acerrimo hosti ità copulari potuisse, & ex defensoribus olim Christi primis, Gallos nunc impugnatores Christi esse.

Achilles Tarduccius in Turca vincibili pag. 207. Sed, & *Constantinopolitani Imperatores* (anno 1350. sub Amurathe) *Turcarum amicitiam olim sectabantur, eámque caro pretio comparabant, quin & proprios filios, in aulam Turcicam, in Imperatoris obsequium miserunt.*

Idem ibid. *CantacuZenus, qui filium Imperatoris Andronici, cuius tutor fuerat, imperio defraudârat, Orcanis amicitiam, nuptiis filiæ suæ, quam ei desponsauit, redemit, quo melius rebus suis consuleret.*

Apud VVaremundum de Erẽberg. lib. medicament. pro faderibus. Quid illud est, si non est Turcicam rem aduersus Christum promouere?

Indolui, cùm legi extare quoque fædus Polonorum ac Turcarum perpetuum.

Inge-

Ingemui, cùm legi, Venetos fœdus cum Turc. Imp. contra Regem Neapolitanum contraxisse. [*Apud eundem ibid.*]

Illachrymatus propè fui, & vix credidi, cùm legi etiam Hispaniæ Regem, per Marillanum suum Oratorem quęsisse, & obtinere studuisse fœdus Gallico non absimile. [*Apud eundem pag. 153.*]

Quæ communicatio hominis sancti ad canem? [*Eccl. 13.*]

Obstupui, planéque dirigui, ista apud Gallicum scriptorem de Carolo V. legens, etsi parùm credulus; *Et a bien osè ledit Empereur protester de sa bouche deuant le Pape, & le consistoire de l'Eglise Romaine, qu'il n'y a chose au monde, qu'il luy sceust faire tourner la teste en arriere, de ceste guerre* (il parle de la guerre contre François I.) *ains que plustot il abandonneroit en proye au Turc ses propres pays qui laiße derrierre luy*, id est, vt ego verto; *Et ausus est idem Imperator ore suo coram Papa & Ecclesiæ Romanæ conuentu profiteri, nihil hic in terris esse, quod animum suum à bello illo* (loquitur autem de bello aduersus Franciscum primum) *poßit auocare imò se potius prædæ Turcicæ suas ipsius ditiones retrò positas relicturum.* Si credere fas est id dictum fuisse, quantum nefas dixisse aut præter mentẽ aut ex animo, quorum alterutrũ necessariò verum est? quãtæ verò impietatis scelus esset præstitisse? [*Ex epistol. quadam ad Germanum aliquem a Gallo edita Parisijs pro Vincentio Sertenas 1556.*]

Ingenuè dicamus; *peccatur vtrimque:*

Iliacos intra muros peccatur, & extrà, grauiùs tamen illîc, quàm isthîc. [*Horat.*]

*2. Con

Interturbatione bonorum conatuum.

* 2. *Conatus bonorum in Turcam* quàquà interpellando, in quo genere maximè est peccatum ab Alexio Constantinopolitano Imperatore vel potiùs imperij vsurpatore, cùm Duce Gothefrido Buillonio, & Petro Eremitâ comite, fœderati & cruce signati Christiani Principes, & populi ad sacrum bellum studio receptandæ Hierosolymæ, proficiscerentur.

Ex Gulielm. Tyrio lib. 2. belli sancti. cap. 4. ibid. c. 6.

Hugonem enim magnum Regis Franciæ fratrem eiúsque optimates, qui in hac expeditione primi Alpes ac mare transierat, cùm cæteros præstolarentur Imperator is Alexius cepit, atque in vinculis instar nocentis habuit, ægréque, nec nisi per vim, repetenti Buillonio reddidit.

Deindè, consilio doloso, èxercitum Christianum in locum angustum adduxit, tùm ne prædas latius agerent, tum vt offensionibus eius magis paterent.

Pręterea, armis & prælijs eosdem læsit.

Ibid. c. 14. Bohemundi Tarenti Principis copias insidiosè perdere conatus est.

Ibid. c. 19. Item Comitis Tolosani turmas.

Item adsignato Tatiuo itineris Duce dolosissimo, peccauit.

Manuelus verò etiam Constantinop. Imperator an non susceptam ab Alemanis, Conradi Cæsaris auspicijs, in Palestinam expeditione, nequiter & obcultè impediebat?

Vide

Vide vide, quàm flagitiosè is contra datam fidem sese gesserit. *In locis opportunis & arctis insidias collocabat, quæ multos interimebant: paßim portis ipso annuente clausis, forum Alemanis negabatur: funibus de muro pecuniæ adtrahendæ caussa demißis, ea capta, quantum vel panis vel aliarum rerum libebat, præbebatur: nonnumquam, auro & argento attracto, de muris semet improbi mortales subducebant, ac nihil omninò commeatus vicißim demittebant: quidam farinæ calcem miscentes, cibum pestiferum efficiebant: Imperatoris iußu, de argento minimè probo cusa moneta est, quæ venditurus aliquid ex Alemanico exercitu daretur; denique, literis ad Turcos mißis, Manuelus hortatus est, vt bellum Alemanis facerent,* ait historiarũ Glycæ continuator.

In continuatione annalium Mich. Glycæ.

Carolo V. Imperatore semper Augusto multa aliquoties conante, Gallus contrà aliquoties, bello nunc Italiam nunc Belgas petens, successum interturbabat.

* 3. *Cum Christianis, suis, aut exteris, inimicitias armatas gerendo.*

Contentionibus cum suæ religionis hominibus.

Quid verò nos nunc quoque facimus vtrique, tam diuturno bello decertantes, quàm rebus Turcicis fauere, dum vires, Duces, militésque, in Vngaria Imperatori Germano necessarios, hîc distinemus?

Hæc quoque culpa tua est, hæc quoque culpa mea est, meritò dixerit pars vtraque.

Ouid. in ep. Heroid.

Europæ discordiæ, primum inter Con-

ſtantinopolitanos Principes, Aſiam Turcis tradidêre; hinc in Thraciam aditum aperuêre; deindè, & Occidentis noſtri in ſua viſcera pugnæ, belláque alia ex alijs, vt hydræ capita, ſubinde renaſcentia, vt ſe latiùs in Europam effunderent, illexêre.

Vtinàm mos ille priſcus reiuueneſceret, quo caſtigabatur, quiſquis, Cęſare foris occupato, domi res nouas moliretur! de quo ſic Germanorum Poëta.

Georg. Sabin. in Frederico Barbaroſſa.

Mos antiquis erat, qui publica commoda pacis
Cæſare, turbaßet, bella gerente foris,
Totius Imperij reus inſpectante Senatu,
Vt canis impoſitum, corpore ferret, onus.
Ergò, quod, Italicis dum concita geßit in oris
Bella, Palatinus mouerat arma domi:
Hunc, licet inuitum detrectantémque, coëgit,
Inclita per Nemetum mœnia, ferre canem.

Non aliter rem Turcicam agimus, quàm ſi Turcæ ipſius duces mercenarij eſſemus. Turcis huc ad nos ſternimus ponté ac viam; Turcis hoſtes ſuos quiſque occidimus; Turcis alter alterum adferimus, frangimus; Turcis alter alterius muros arietamus, quatimúſque, & quid non?

Vti Romanus olim ſedẽdo, ſic nùnc Turca ſpectando vincit Victores victóſque, inuicem verberando feſſos, is viribus integris adorietur aliquandò & capiet.

Apologi memento, quo Miluus gallos duos

duos nimium pugnaces excepiſſe narratur.

Quis furor (ô Ciues) quæ tanta licentia ferri, Lucan. lib. 1. Pharſ.
Gentibus inuiſis Latium præbere cruorem?
Heu! quantùm terræ potuit, pelagíque parari
Hoc, quem ciuiles hauſerunt ſanguine dextræ!

---- *tantæne animis cæleſtibus iræ!* tàm alta odia Chriſtianorum! *Num Diis æquales tangit væſania mentes?* Virgil. 1. Æneid. Nauis Stultorum tit. 96.

Itáne perire parati ſumus, dùm etiàm frater noſter pereat?

Huccíne inuidi ac mali ſumus, vt vri velimus, dùm alter amburatur? aut excæcari, dùm etiam alter eluſcetur?

Quin potiùs pacē æternā, pactóſque Hymenæos Virgil. 4. Æneid.
Exercemus?
Iungamus dextras, & cæſa feriamus fœdera porca.

Velimus potiùs, non optimè eſſe, quàm omninò non eſſe;

Mutilo ac mauco corpore eſſe, quam nullo;

Mucum in naſo, næuum in facie feramus potius, quàm radicitus euellamus. *Qui nimis emungit elicit ſanguinem.*

Parte contenti ſimus, ne dum integram rem volumus, totam amittamus.

Elephas dentes eburneos ſibi ipſus abrumpit, ſi aliter venatores eboris auidos effugere non poteſt.

Auiculæ, caudâ præhenſæ, caudam elu-

ctando malunt amittere, quàm caudatæ includi.

Serpens, ne caput ac vitam perdat, corpus vulneribus obiectar.

Fiber canis fluuialis, gallis dictus (*castor ou bieure*) quòd testiculi eius in vsum medelarum appetantur, cùm vrgeri se intelligit, ne captus prosit, ipse geminos suos deuorat, ait Solinus c. 23.

Præstat monoculum viuere, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam.

An nescis, Rebuspub. contingere id posse, quod olim rustico illi, qui questus de medio panno à milite sibi extorto, etiàm relictam partem amisit?

Pars regni, pecuniæque negligenda, vt reliquiæ conseruentur.

Nonnumquàm *dimidium plus toto.*

Aliquandò, vt, *Stultitiam simulare loco prudentia summa est*; ità & iactura tempestiua & in loco, lucrum & questus est.

An placet, Christum capi, discipulorum vel fugâ, vel contentione?

An placet, Christum occidere (vt sic dicam) ac perire, dum regnare nimium vultis, zelo fortassis bono, at *non secundum scientiam*.

Gregor. Nazianz. orat. 1. de pace.

Adstiterunt Reges terræ & principes aduersus Dominum & aduersus Christum eius.

Quià nimis Dei, nimis Christi amantes, Christum

stum ipsum diuidebamus, veritatis causa nosmet mutuò mendaciis onerabamus: propter caritatem, odium exercebamus, propter lapidem illum angularem distrahebamur, propter petram concutiebamur. Quia plus quàm conueniret propter pacem pugnabamus &c.

Ità fit *summum ius, summa iniuria.*

Diogenes quidem Platonis fastum calcat, sed sæpè alio fastu; & ille, alterius malo obcurrit, sed alio malo. *Cic in off.*

Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. *Rom.*

---- cælúmque suo seruire Tonanti, *Lucanus lib. 1.*

Non nisi sæuorum poterit post bella Gygantũ,

Seruiemus ergo? *Stulti dum vitãt vitia, in contraria currunt*, ait Poëta.

Et prou. *Incidit* sæpè aliquis *in Scyllam, cupiens vitare Charybdin.*

Dum libertatem sectamur vtrique conamúrque alter alterius leuiculum iugum excutere, verendum ne in durissimam incidamus Turcarum seruitutem: & ne, dum elabi vinculis, etsi sat laxis, volumus, fortius innodemur, & *Propriis*, vt in prouerbio est, pennis configamur.

Dum alter alterius emendat religionem, perdit omnem, & nullam facit vniuersam, aut Mahometicæ execrationi fores aperit.

Venient Mahometani timeo, *& tollent gentem & locum.*

Christus à Turcâ cum fortunis nostris implicatur.

Vt corpora, quæ medicinis nimijs exhauriuntur, occidunt: ità veritas, nimium altercando, amittitur, & fides nimiâ propugnatione expugnatur.

R. P. Bartholomæus Lamberti secundum Flandriæ Minister.

Prudentissimè senex quidam Ordinis Franciscani, qui suadentibus abstinere à vino, ne visum amitteret, cum iàm iubilarius esset in ordine; *malle se*, respondit, *fenestras, quam domum amittere*, id est, *cæcutire, quam mori*.

Senec. in Thebaide act. 4.

---- quis tenet mentem furor?
Petendo patriam, perdis: vt fiat tua,
Vis esse nullam? quin tua causæ nocet
Ipsum hoc, quòd armis vertis infestis solum
Segetésque adustas sternis, & totos fugam
Edis per agros: nemo sic vastat sua.

Æstimate, (Reges, Principes, Respublicæ Christianæ) ità matrem vestram Religionē atque Ecclesiam Christi, facere ac dicere:

Senec. in Thebaide. act. 3.

Ibo, ibo, & armis obuium obponam caput,
Stabo inter arma, petere qui fratrem volet,
Petat antè matrem: tela, qui fuerit pius,
Rogante ponat matre: qui non est pius,
Incipiat a me: feruidos iuuenes anus
Tenebo, nullum, teste me, fiet nefas:
Aut si quod, & me teste, committi potest,
Non fiet vnum, etiàm matre cum victo pereunte, vt per cuius animam, victoris ad

victum

victum pertransierit gladius.

Quod genus hoc odij, vt per mediam matrem Iocastam, Polynices & Eteocles fratres, mutuis se lanceis petant? *Statius in Thebaide.*

Quod genus hoc hominum, qui, instar Iacob atque Esau, in ipso Rebeccæ Matris ventre, summo vitæ eius periculo, colluctantur? *Genes.*

Viperas dicas, non homines, qui nasci aut emergere, per matris suæ mortem volũt.

Non est (ô viri) non est Religio Christiana, qualis Neronis stulta illa parens, quę dicat; *Matrem occidat, dum imperet*; ipsa potius filios suos mori iubet, vt ipsa, & in ipsa Christus, imperet. Saluâ Religione, beatius obcumbere, quam ipsa pereunte etiàm imperare vniuerso.

Quid? vtrique perijmus, & iàm in rogo sumus, id est, attriti, attenuati, ad casas redacti sumus, & ciuis alterius, alterius cineres commisceri non sunt, id est, nondum in pacem coimus.

Itáne, ex Eteoclis Polynicisque cinere ac fauillis, nati sunt Christiani æui huius? Ferunt enim, cum duos illos fratres mutuis vulneribus occisos rogus vreret, flammam sese diuisisse, velut si odium, quod viui inuicem gerebant, etiàm mortui retinerent. *Statius in Thebaide.*

Etiam à *victis certamen & æthere cassis*? *Virgil.*

* 6. *Vicinum incendium non restinguere*, ac ne

 conari

Qui ex charitate in suos, nec sui solicitudine vicinum incendium extingunt.

conari quidem, imò id conantibus aduersari, vt iàm dixi.

Et *tua res agitur, paries cùm proximus ardet.*

Et cancer serpens, & flamma diligentissimè sistenda.

An non is ridiculus valdè, qui plateæ ac viciniæ eiusdem accola ac proximus ardentis domus incendio, delitigare mauult, ore ac more meretricio, cum muliercula, quàm ad ignes extinguendos, vel stillulam vnam conferre?

Ex Naui Stultorum tit. 96.

----- fidei patitur Respub. tanta
Detrimenta sua: ferus hostis ad ostia tendit
Iam Tyberina viā, vixque est, qui Marte resistat,
Aut studio, aut opibus.

Hungariâ victâ incensáque, an non omnia flammæ illi peruia?

Per Caruos, & forum Iulij, terrestribus Turcarum copijs facilis in Italiam patebit transitus. Nauali exercitui, ex Vallana, quàm Turci possident, vnius noctis nauigatione, Brundusium patet: & in superiori parte inferiorique, Italia Turcis aperta est.

Virgil. 2. Æneid.
Idem in bucol.
Lucan. lib. 1.

Iam proximus ardet Vcalegon?
Mantua, væ miseræ nimium vicina Cremonæ.
O malè vicinis hæc mœnia condita Gallis!
O tristi damnata loco: nos præda furentum,
Turcarum.
Primáque castra sumus.

Vel rusticos ac maritimos illos homines imite-

imitemur, qui, flumine vicinos aggeres perrumpente, omnes confluunt, ad sistendendum, *funemque manu contingere gaudent.*

At verò similes nos his sumus, funerum spectatoribus, qui quidem commiserentur, sed numquam se etiam morituros atque efferendos putant: Imo verò (bona vestra pace dicam) porcis, quos, quidem, socijs sub cultro positis, grunnientes dicas adcurrere opitulaturos, sed videas mòx tacere, ac reuerti sui securos. Hungariam enim cædi mutilaríque dolemus, declamitamus, sed de illa nobísque tuendis, vbi conatus illi serij atque efficaces?

Linguis chartísque pugnamus, non opere & veritate.

At non Turcę ex gallinarum stirpe, vt instar illarum, exsibilati auolent; nec, vt Annibal, cunctando vincuntur: ægre fustibus armisque abigas illos leones, aut potiùs lupos.

Si perstamus in hac ignauiâ; vereor, vt auro incubantes nos ille, vt olim Constantinopolitanos capiat.

* 7. *Superbire deiectos; animósque* veteres, etiam post casus, retinere, quod facimus nos, dum veteres illos laudum titulos, non modò retinemus, sed etiam augemus.

Et superbiores, ipsis aduersis fiant.

Augustos ab augendo olim vocatos, iàm angustos, finibus à Turca recisis dici fortè præstaret.

Iam

Iam domini nomine parum contenti, Excellentiæ, Celsitudinis, Altudinis, & quidem serenissimæ in tam flebili scilicet fortuna, & cæteris id genus nominibus tantò nunc altius extolli nos iubemus, aut sustinemus, quantò mutata fortuna esse submissiores iubet.

Senec. in Troade act. 3.

---- agnosco indolem,
Pudet timere; spiritus magnos fuge,
Animosque veteres: sume, quos casus dedit.
En intuere, turba quæ simus super:
Tumulus, puer, captiua: cedendum est malis, aiebat suo Astyanacti, illa Hectoris Andromache, victa & captiua.

Quod sis dici velis, nihílque malis: aut, si causam dicis, dici velle, quià fuisti; An nescis *miserum esse verbum fui*?

Ad quos breuis monitio.

Si dici iuuat; etiam, vt sis quod diceris, conatibus magnis stude.

Octauius, primus omnium dictus est Augustus, cum victor rediret ex Oriente, ductis ante currũ triumphalem Cleopatræ liberis Sole & lunâ; Augustus, ergo qui dici volet deinceps, reddat Orientem Christianis.

PHI-

PHILIPPICÆ IIX.

NOTÆ.

Thema. *Vsquequo Domine irasceris in finem: accendetur velut ignis Zelus tuus?* Psal. 78. vers. 5.

FACTA repetitione vsitatâ, sic propositum.

Dicendum hodie, de altera huius psalmi parte, ac quidem

1. *De variâ lectione huius loci, ac vero sensu literæ;*
2. *Quo modo mala pænæ procedãt à Deo Opt. Max.*
3. *De Belgicis miseriis primùm, deindè de Christianismi totius.*

AVE.

I.

¶ *De varia huius loci lectione, ac vero sensu.*

HACTENVS (Auditores) propheta noster, egregiè patheticâ hypotyposi, suorum vastationem, apud Deum, deplorauit, viuísque coloribus hostis feritatem depinxit, in quibus partem Spalmi huius primam consumsit; Nunc deinceps, ad alteram progrediens, suis malum deprecatur, imprecatúrque vel inimicis illis tam insolentibus, vel

Quo propheta hactenus spectarit

Quo nunc

vel quibuſuis alijs veræ religionis exſortibus, vindictam: vel, ſi neque deprecatur, neque imprecatur; ſaltem vtrumque ità futurum prophetat. Solent enim prophetæ ſubindè prophetare, ac futura prædicere, orandi ſpecie, vt illîc Dauid: *Et oratio eius fiat in peccatum* &c.

Pſalm.

Sciendum verò hîc eſt imprimis, lectionem communem indiſtinctè, vnóque ſpiritu, proſequi prima verba huius verſus, primúmque reſiſtere ad illa. (*Accendetur velut ignis* &c.) Mihi verò videri non cum nullo, vtendum eſſe duplici interrogatione, atque in dimidio verſu bis reſpirandum, hoc modo: *Vſquequo Domine iraſceris in finem?* deinde, *accendetur, velut ignis, Zelus tuus?* quo modo trina in verſu vno erit interrogatio. Si enim tantum ibi (*In finem?*) hærendum erit, ſuperfluè adiectum videbitur (*Vſquequo:*) Terminum enim quæreret rei quam infinitam eſſe ipſemet reſpõderet. Denique geminata interrogatione erit oratio neruoſior. Nã dicta plus habent emphaſis ac *pathou* quàm adſertiuè.

Locus iſte qui diſpungendus, ex mente noſtra:

Cur ſic.

At *In finem?* alteri interogationi ſuper additum, erit velut metuentis interrogatio q. d. Iraſceris in finem id eſt donec conſumti ſimus, & velut in nihilum redacti?

Quem das finem Rex magne laborum?
---- miſeris celeſtia numina parcunt,
Nec ſemper læſos, & ſine fine premunt.

Virgil. 1. Æneid.
Ouid. 3. de Ponto.

Et hic

Et hic modus loquendi (*in finem*) sæpè apud Dauidem, & in titulis psalmorum, & in psalmis ipsis:

Vt quid Deus repulisti in finem? Psal. 73.

Ne obliuiscaris in finem? Ac finem fortè vocat Christum, cuius incarnationi ac gloriæ forsitan calamitates eiusmodi aduersabãtur.

Cæterum pulcerrimè comparauit igni iram Dei, item & zelotypiæ, dum ait: *accendetur velut ignis Zelus tuus?* id est, sempérne crescent calamitates? quas insinuat maximas, nominatis duobus potentissimis affectibus Ira ac Zelotypia.

Cur ira Dei igni adsimilata.

Nam rationes metaphoręillius, nec paucæ nec inelegantes.

* 1. Vt enim ignis omnia vorat, nec est quidquam quod igni resistat; ità, irato Deo, omnia humana pessùm eunt, *nec est* quisquam, *qui de manu* iræ illius *possit eripere*, aut erepere.

Ignis agit fortiùs cæteris elementis? & ira Dei.

* 2. *Vt ignis*, suffecta largius materia, acrius ardet, subtracta lẽtescit, ægréque emoritur, præsente adhuc materia; sic ira Dei æstuat, nobis peccantibus; eadem pænitentibus deferuescit.

Nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas, ait D. Gregor.

Qui peccare desinit, iram Dei mortalem facit, ait

Lactan lib. lib. de ira. c. 21. ait lactantius.

Alioqui, *Deus cuius iræ resistere nemo potest.*

* 3. *Vt ignis* ceram, plumbum & cætera mollia comburit, dura, vt chalybem, aurum, fortiora ac probatiora reddit; ità afflictationes, quę ab ira Dei sunt, molles atque ignauos consummunt, ac velut absorbent, fortes vt Iobum, Tobiam &c. roborant.

* 4. *Vti est ignis incinerans* & non purgans, est & purgans, non etiam incinerans; ita & ira Dei.

Zelus quid. Zelum autem vocant, non iram à quacunque causa, sed ab æmulatione, ac zelotypia, quæ non vult rem amatam alteri communem esse, oditque capitaliter riualem formæ illius, quam deperit. Exemplis plena omnia, tam ab homine, quàm à brutis animantibus quæsitis.

Remig. in hūc locum. * forte mel. qua. Remigio hic, *Zelus Domini, est indignatio vel exactio castitatis,* quia cōstringitur fidelis anima, ne fornicando à Domino discedat, & hoc fit ad similitudinem viri viriliter habentis vxorem sub sua potestate, ne si sui iuris vxor fiat, aliquid turpe faciat contra maritum.*

Exod. 20. *Deus tuus fortis Zelotes.*

Exod. 34. *Dominus Zelotes nomen eius.*

Æmulatur desponsos sibi populos magna æmulatione, ardet illos, ac deperit.

Iohel. 2. *Zelatus est Dominus super terram suam.*

Zach. 1. *Zelatus sum Ierusalem & Sion Zelo magno.* Itaque, vt

que, vt valdè amantium instar, prodigè beneficus est in redamantes; ità sæuissimus in fallentes: *Accipit armaturam Zelus illius, duplici contritione conterit eos.*

Et certè, nuptiæ quædam sunt spiritales, inter nos ac Deum: nam zelotypia propriè est coniugatorum.

Hinc illud: *Desponsabo te mihi in fide.* Osea 2. Cor.

Et illud: *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere.*

Christo, id est, dabo operam, vt, sicut à soceris filiæ suæ, ad generos sponsósque, virgines adducuntur, virgines (inquam) non solum ventre, sed etiam facie (vt aiebat Romanorum quispiam, qui in filia vel osculum alieni non ferebat:) ità in morte mea, vel vestra cuiúsque, offeram vos Deo, fide & moribus integros, quia Episcopus vester sum, *& in Christo per Euangelium ego vos genui.*

Volo (aiebat Romanus ille P. Mænius) *vt non solùm virginitatem illibatam, sed etiam oscula ad virum sincera præferas.* Vale. Max. lib. 6. c. 1.

Quantus & ob quæ is in Deo.

Zelotypia autem Dei acerrima est, in rebus fidei de se, de sua omnipotentia, sapientia, bonitate; in rebus religionis, & bonorum morum, quando scilicet fornicatione spiritali, ipso deserto, Dij alieni ac nothi adorantur, inuocantur, vt Dæmones à sortilegis, diuinis, militibus &c. qui, ne in bello pereant, nescio quibus ignotis nominibus se ar-

se armant, & spreto illo notissimo, ignoto Deo fæderantur.

Seneca in Agamem. *Nec regna socium ferre, nec tedæ sciunt.*

Nulla fides regni socijs omnisque potestas

Lucan. lib. 1. Pharf. *Impatiens consortis erit.*

Nec quemquam iã ferre potest Cæsárve priorem,

Lucanus. *Pompeiúsve parem.*

3. Reg. Non vult Deus suos *claudicare in vtramque partem.*

Cum Cęsare Borgia dicit Deus: *Aut nihil, aut Cæsar.* gall. Tout, ou rien.

Matth. 6. *Nemo potest duobus Dominis seruire.*

Amphibolos amphibiósque homines non fert Deus.

Quoniam ergò Iudæa sæpè *fornicata erat cum amatoribus multis*, nullam respuendo falsitatem, & sæpè iniuria fuerat in Deum, & Christum eius Iesum; ideo & hîc, & alibi sæpê, zeli, & zelotypiæ nomina, ad iram Dei in illos vehementem designandam vsurpãtur.

Vsquequo Domine irasceris? in finem? accendetur velut ignis Zelus tuus?

Propheta insinuat quædam mala a Deo effici. Duo autem dicit propheta in hoc versu; Vnum quidem obscurè alterum satis apertè. Cùm enim dicit, enumerata barbarie hostili *Vsquequo Dominè irasceris*? obscurè, & ex obliquo, indicat malorum illorum autorem Deum: & nihilominus apertè indicat, aliquandò hominibus irasci Deum, quod qui intelligendum sit, dicemus loco suo.

Primum

Primùm illud, videamus: Non enim ait, *Vsquequo Domine irascentur* isti Assyrij, iste Nabuchodonozor, aut iste Antiochus &c. sed *Vsquequo irasceris tu*? q. d. Hostes quidem hæc fecerunt, sed irato te Deo nostro, sed vt instrumenta, sed vt fasces virgarum, & secures, in Prætoris aut lictoris manu.

Ergò non videtur irasci Propheta vrbis suæ vastatoribus, canum instar, qui iactum in se lapidem persequuntur, & ringendo mordent, ignari lapidem ad se non à se ac spontè venisse, sed à rotante iactatum. Rotantem scilicet iactantem, lædentémque adspicit omnis vir bonus Deum, in rebus aduersis, neque proximo indignatur, quo vtitur iustus Deus, velut instrumento, cùm infert iram. Quod in aduersis cogitare, salutare est.

Virga furoris mei Aßur.

Sciebat iste noster, Hierosolymam nil ab alienigenis passuram fuisse, nisi Dominus *loquutus esset contra eam malum*; & nisi primus lapidem Deus misisset in eam adulteram, nisi inimicos aduersus eam excitâsset, direxisset, adiutâsset. Opus enim & manum telúmque hostile Deus dirigit, hostes tamen ipsi suam mentem atque intentionem, & quidquid in vastitate hostili immoderatius est, moderantur.

Ità Iob, direptis quondàm incensisque omnibus, à Chaldæis, & liberis ipsis suis Iob.

obpressis, domo, nescio qua Dæmonum insolentia ruente, ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit*, non Chaldæi, vt qui nihil inuito Deo abstulissent.

2. Reg. Dauidi fugienti Absalonis sui parricidæ manum, satyricus nimiùm Semei insultando maledicebat, adeóque acerbè & Archilochicè, vt Regij comites iàm iàm gladijs traiecturi caninum hominem viderentur. Quid verò Dauid? *Sinite* (inquit) *Semei, vt maledicat Dauid. Dominus præcepit ei.* q. d. flagello linguæ illius me diuerberat Deus. Lingua asini huius motore Deo aut Angelo nùnc loquitur, mentem, quæ denique peccat atque intentionem, Semei ipsus mouet.

Ex Cruciarijs nemo, si quid sapit, vt vt iniustè luat, carnifici subcenset, non lictori, non virgatori, sed Prætori, sed Magistratui, & ijs, quorum decreto ac fato hi sæuiunt.

Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.

II.

¶ *Quæ mala à Deo procedere dicantur.*

ITAQVE occasione huius, queri possit. *Ergone à Deo potest aliquid mali esse in hac vita?*

Amos 3. Videri possit. *Si est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit*, ait Propheta.

Eccles. 11. Et: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & ho-*

& honestas à Deo sunt.

Et: *Ego Dominus creans mala.* *Isai. 45.*

Contrà verò, quî possit fons bonitatis scatere malorum aut scaturire?

℞. de causa mali opinio varia { 1. *Manichaeorum, & Gnosticorũ.* 2. *Philosophorum;* 3. *Blasphemantium;* 4. *Catholicorum.* } Variæ de caussa malorum opiniones:

* 1. *Manichaeorum* & Gnosticorum negantium Deum cuiusquam mali autorem. Duo enim Principia illi statuebant, Parmenidem, & Simonidem, & Cerdonem & Marcionem sequuti, vel duas substantias, id est Deos, Bonam vnam, Malam alteram; & à Bona, bona omnia, bona bona, pura, puta & meracissima; à mala, omnia mala proficisci, de quibus in decretis habes. quorum iampridem explosa sententia est. Vnicus enim Deus est; & licèt quisquis Deus est, bonus est, tamen quædam inferre hominibus, quæ mala passim nominantur re tamen vera in bonis à Bonis numerantur. Manichaeorum: *caussa 24. q. 3. c. quidam autem Haretici.*

* 2. *Philosophorum*, dicentium quoque mala non esse à Deo, sed abs cælestium corporum, astrorúmque influentia. Philosophorum:

Aristoteli enim *A virtute superiori reguntur ista inferiora.* *Aristot. 1. meteororũ.*

Quorum sententiam etiam falsa, si Deum astris dominari neget, & astra dominari in animos quoque statuat, cùm tantùm per

T 2 sympa-

ſympathiam animorum cum corporis affe-ctionibus inclinent; vero proxima, ſi cœlo & aſtris cauſam dumtaxat inſtrumentalem tribuant, vt quibus velut cauſis ſecundis vtatur Deus, & his velut carpentis ac rhedis, peſtes, ſterilitates, ac fames Mundo inuehat.

Blaſphemorum;

* 3. *Blaſphemantium*, ac ponentium nimis ſimpliciter malorum omnium autorem Deum.

In decretis cauſ. 24. q. 3. cap. Quidam Hæretici.

Floriani quidam hæretici à Florino quodam nominati dicunt Deum creâſſe mala, contra hoc quod ſcriptum eſt: fecit Deus omnia bona.

Catholicorum;

* 4. *Catholicorum*, mediâ viâ, duce diſtinctione, tutò euntium, nec Deum autorem malorum omnium conſtituentium, nec omninò nullîus.

D. Thom. 1. p. q. 19. & 1. 2. q. 79. D. Bonau. in 2. ſent. diſt. 33. Apud quos triplicia mala;

D. Thomas, & D. Bonauentura noſter diſtingunt malum triplex.

Malorum aliud *
- 1. *Culpæ*;
- 2. *Pœnæ*;
- 3. *Damni*.

Culpæ,

* 1. *Culpæ*, peccata, iniquitates, ſcortationes &c.

Pœnæ,

* 2. *Pœnæ*, mulctæ poſt peccata. Nam nihil eſt aliud pæna propriè dictà, quàm malum ponè peccatum, id eſt, poſt & propter peccatum illatum, alioqui citra peccatum non inferendum, quale fuit exilium Adæ ex paradiſo, Euæ difficiles partus, & tandem illo-

illorum, & posterorum mortes. *Pœna à puniendo*, ait Varro. Varro lib. 4. de lingua Lat.

Talis Dauidis fuga, ab Absalone &c. post adulterium cum Bethsabe. 2. Reg.

Talis triduana, in Dauidis regno, pestis, post populi recensionem. 2. Reg. 24.

* 3. *Damni*, quæ quis etiàm sine peccato patitur, qualia sunt quæ vel ad probationem, vel ad præmunitionem patientis sunt, vel ad gloriam inferentis; bella, pestilentiæ fames, stimuli carnis &c. Damni,

Cæcitas cæci nati huiusmodi: Nam cùm quæsissent discipuli ex Magistro, *quis peccâsset, hic an parentes eius, vt cæcus nasceretur*, respondit Dominus, neutros peccâsse, *sed vt manifestentur opera Dei*. Ioan. 9.

Et *ideò Iob flagellatus vt pro flagello eius diuinæ gloriæ laus cresceret, non autem vt per flagella, peccata quæ nunquam commiserat emendaret*. D. Gregor. c. 5. præfat. in Iob.

Et id mali genus cuiuis iustè infertur à Deo, adspectu culpæ originalis, tum etiàm quia Deus nulli debitor bonorum est. Itaque ea negare cui vult, potest.

Et horum malorum non idem vnúsque autor. Alia ab alijs autoribus sunt.

* 1 *Culpæ* mala non à Deo, sed partim à Dæmone, partim ab homine, partim ab astris. A Dæmone suadente scilicet ac solicitante, non cogente tamen. Nàm vt dicere Quorum quodque ab alijs alijsque autoribus est.

 possit,

Matth. 4. possit, *Mitte te deorsum: Comedite, eritis sicut*
Genes. 3. *Dij scientes bonum & malum*, tamen præcipitare ipse non potest: Ab homine vt consentiente suasui Dæmonis, aliquandò etiàm suasorem anteuertente, cuius generis hominum peccata meritò vôces *adinuentiones eorum:* Ab astris verò vt inclinantibus hunc ad iram, istum ad Venerem &c. Deus nullam sibi partem vendicat, in culpæ malis.

Vide Aug. lib. confess. *Sine ipso factum est nihil*, id est peccatum, quod verè nihil est, nisi quędam rectitudinis actionibus necessariæ absentia.

In actu enim peccati semper aliquid deficit, qui defectus, peccatum ipsum est. Defectus autem nihil est, nec quidquam constituit, itaque à Deo non est, à quo id solùm est, quod aliquid est: quod verò deficit & claudicat in moribus; ab homine impotente, & gratiâ Dei destituto est.

Sine ipso Deo factum est nihil, id est, quidquid creatum est, per ipsum est; & sine eius gratia auxilióque frustrà conamur bona; & ipso non adiutante, fiunt mala.

Et quis putet Deum facturum ea, quæ ipsus vetat ac vindicat?

Concurrit quidem Deus, in actum, quatenus ens & natura est, non quatenus defectus, & nihil est.

Ergo non est, cur quisquam autorem peccati putet Deum, aut astra adcuset, quæ vt inclina-

inclinare possint, cogere certè non possint. *Sapiens dominabitur astris*, ait ille.

* 2. *Pœna verò & damni* mala à Deo esse non infitiamur, tam ea, quæ culpam consequuntur, quàm quæ præeunt.

Illa *Pœna* quæ (Varroni) *à puniendo, vel à ponendo* (i. à constitutione Legislatoris) *aut quòd peccatum sequitur, quasi pone peccatum* à Deo est vt vindice, pæna quæ præit ab eodem vt prouido futurorum. *Varro lib. 4. de lingua Lat.*

Ab illo pestilentiæ, bella, fames &c. *immißiones per Angelos malos.*

Ita intellige illud, *Si est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* *Amos 3.*

Et illud: *Ego Dominus, & non est alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum,* omnia aut vt castiget, aut præoccupet peccata, aut exerceat suos probétque, ad segetem & materiam gloriæ. *Isai. 45.*

Sed tum neutra propriè mala dicēda sunt, nisi quatenus malè adficiunt, aut naturæ commodis aduersantur, sed potius bona, quia & mala absorbent ac reordinant, & faciunt vt plurimùm bonos. Culpam propriè malum voces, quæ malos vna facit ac sola, & malis addicit sempiternis.

Nihil infœlicius fœlicitate peccantium, quâ pœnalis nutritur impietas, & mala voluntas, tãquam interior hostis, roboratur. *D. Aug. ep. ad Marcell. Al. impunitas.*

Nec tamen ista sic à Deo, vt non ab alio

quoque.

Sũt enim pænæ & damna.
1. *Abs patiente ipso occasionaliter.*
2. *Ab agente Deo vt vltore.*
3. *Ab Angelis hominibúsque;* ab astris, *bestijsque ministerialiter.*

Pœnæ antẽ & damni, ab ipso patiente; *D. Chrysost. hom. Quod nemo.*

* 1. *Ab ipso patiente.*

Chrysost. *Nemo læditur nisi à seipso.*

Senecæ, *Nemo, nisi vitio suo, miser est.*

Prou. *Suæ fortunæ quisque est faber, & suo sibi inuento* quisque *malum.*

Sen. ep. 71. Facimus ipsi (vt in prouerbio est) proteruiam; incendiarij ipsi nidulorum nostrorum sumus.

Quid quid patimur, peccata nostra meruerunt.

Et ab ipso Deo, *D. Bernard. serm. 13. in psalm. Qui habitat.*

Nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas.

* 2. *A Deo*, quo amico vtentibus faustissima omnia accidunt; inimico, aduersissima: Coniurata dicas omnia in vnum peccatorem.

Numine læso.

Iratóque Deo, nec prosunt pacta, nec arces.

Sap. 5. *Accipiet armaturam Zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum.*

Ibid. *Pugnabit cum illo orbis terrarũ contra insensatos.*

Et abs creaturis, diuersimode.

3. *Ab Angelis, Hominibúsque,* & creaturis quibusuis ministerialiter.

Psal. 77. *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem,*

nem, & iram & tribulationem, immißiones per Angelos malos,

Facit ministros suos ignem vrentem.

Cherubinum armauit gladio flammeo & versatili, aduersus Adamum, in paradisi portâ. Genes. 3.

Angelus Sodomis pluit ignẽ à Domino. Genes. 19.

Angelus primogenitorum Ægypti exterminator.

Angelus Domini in viâ, contra Balaam, gladio stricto. Num. 22.

Angelus Domini, peste tollit multos, ex recensito Dauidis populo. 2. Reg. 24. & 1. Paral. 21.

Angelus Domini castra Sennacheribi blasphemi delet, cæsis, vnâ nocte, Assyriorum centum octoginta quinque milibus. 4. Reg. 19.

Angelus Sathanæ colaphizat Paulum. 1. Cor. 12.

Angelis quatuor datum est nocere terræ & mari atque arboribus. Apoc.

Hominibúsque quoque iustitiæ suæ ministris vtitur Deus.

Aßur virga furoris mei.

Attila cognomento flagellum Dei

Et creaturis cæteris. *Pugnabit cum illo orbis terrarum* Sap. 5.

Deus est, *cui militat æther,*

Et coniurati veniunt ad prælia venti. Claudian.

Itaque Asaph noster, oculis altiùs erectis, non iam amplius gladios hostiles, sed Dei inuisibilem manum illos vibrantem intuetur,

tur,& ait: *Vsquequo Domine irasceris* &c? non autem *Vsquequo* hic aut ille hostis *irascetur in finem*.

Nam etsi feritas ista agentium culpa non vacarit, adspectu tamen sublimioris causæ, Iustitia fuit irati Dei,ob peccata Iudæorum.

Genes. *Pluit Dominus ignem à Domino super Sodomam* &c.

Concursus causarum multarum, in rem vnam. Peccatoris; iniquitatibus promerentis;Dei, iustè vindicantis; Ministrorum,siue Angelorum, sine hominum, siue elementorum &c. Dei decreta ac fata lictorum instar exequentium.

Itaque vt lictor nocentibus ait: Non ego vos torqueo,non ego vro,aut seco:sed culpę vestræ,sed lex,sed Prætor &c. sic peccatores adflictati dicant; non me iste, aut ista adflictat, sed egomet *factus sum mihimetipsi grauis*, sed ego Deum ad ista prouocaui &c.

Iob.

Ad alia. Alterum quod hic clarè phopheta dicit, est; Irasci Deum,ac zelare. *Vsquequo* ait *irasceris* &c. sed hac de re nos proxima concione; nunc verò ad res æui ac soli nostri, maximè miserandas.

III.

¶ *De Belgicis miseriis primùm; deinde Christianismi totius.*

Pro-

PIORVM esset nùnc, ingeminare, *Vsquequo Domine irasceris*? seu vim calamitatum, quæ agminatim & fortiter Belgium premunt significando;(omnes enim mali & mala, velut amnes ex montibus; hùc vti in valles sentinámque confluunt) seu tempus ac durationem illarumdem. q. d. vsquámne plura, aut grauiora mala his, quæ hactenùs passi sumus? Belgium quam miserum

Tot mala iam passi sumus, *quot in æthere sydera lucent.* Ouid lib. 1. Trist.

Iliadem iam malorum tulimus, *Scylleam rabiem Cyclopea saxa Experti,* An verò plura aut grauiora, nescio quis Perillus in morituram patriam meditatur? Virgil. 1. AEneid.

Esto, plura & grauiora supersint; sed *Vsquequo* tandem *irasceris*? id est, quàm diuturna vis esse bella in hoc orbe?

Nunc eadem fortuna Viros tot casibus actos, totis 36. annis. Virg ibid.

Insequitur, quē das finem Rex magne laborum?

Paucorum imò ferè *Vnius ob iram.*

Prodimur. Vsquequo irasceris (inquam?) *in finem?* id est, an tantisper, dùm Belgium adteratur, euertatur, ac dicatur: *hi fuerunt illic? En campos Vbi Troia fuit.* Psal. Virgil. AEneid.

Accendetur Velut ignis Zelus tuus? id est, latiúsne grassabuntur tanti belli incendia? q. d. Non deferuent bella spatio tanto, sed ecce latiùs & fortiùs flagrant. Ex scintillula

quantus

quantus ignis!

Scilicet est bellum hoc, velut ignis in in Naphthâ accensus, aut Samosathensi Malthâ, qui profusa aqua fortiùs ardet. Oleo dicas, non aqua subcurri.

Toxica dicas, pro pharmacis adhiberi; lapides pro panibus, pro ouis scorpiones.

Velut cancer, ità longiùs serpit malum nostrum.

Magna velut mare contritio nostra. Vt enim mare crescit, decrescit, ampliatur adrosis littoribus, sic bella nostratia.

Et vt mare, loco vno alibi obcupato, alibi spatium aliud amittit, ità & nos: imò non ità & nos, quibus quotidiè angustiæ maiores; locis hîc perditis, nullis alibi in vicem nouis occupatis.

Plaga insanabili percussi eum.

Hierem. 51. *Curauimus Babylonem, & non est sanata. Vsquequo? vsquequo, irasceris? accendetur velut ignis Zelus tuus?*

Incurati tàdiu morbi Belgici causæ.

Qui fit, vt Belgica tot conuocatis, conductis, coactisque, sed & sponte confluentibus medicis, non modò non conualescere, sed peiùs habere videatur?

Ouid. 3. de Ponto. eleg. 7.

Curando, fieri quædam maiora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigisse, fuit.

Iure dicas, *Acesias medicatus est* Belgium: vt enim Acesias imperitus medicus, morbum & dolorem podagrici, quem curare vole-

volebat, auxit; sic quidam patriæ malis insci è succurrendo, mala deteriorârunt.

Mihi omnia sedulò rimanti, obcurrunt tria, ex quibus ferè morbi ac vulnera ægrè sanantur.

Conualescentiam retardant
- 1. *Morbi violentia,*
- 2. *Ægri inobedientia,*
- 3. *Medicorum* vel
  - 1. *Multitudo nimia, qualis nobis ex omni ferè natione quæ sub cælo est.*
  - 2. *Imperitia,*
  - 3. *Malitia.*

* 1. *Morbi violentia. Non est* enim *in medico, semper releuetur vt æger, vt mala quem scabies aut morbus regius vrget:* Ouid. Horatius in arte.

Interdum docta plus valet arte malum, cuiusmodi ferè podagræ, lepræ, hemorrhoides illæ, quę hemorrhoissam illam Euangelicam tot annos in medicinis exhauserant &c.

An talis fortè Belgarum morbus? Non morbi violentia.

Sed omnia Deo curabilia, in cuius manu est, etiàm quatriduanos mortuos excitare; imperare ventis & mari.

Et morbus noster (opinor) humanitùs curabilis est (Deo adiutante:) Nam ciuilia bella etiàm nostris funestiora quàm multa composita etiàm ab hominibus legimus?

An arbitrer Belgas fortè morbidos non videri? itaque nec medicos opt. quæri, nec si quis

si quis mederi spontè velit ac possit, audirit Ex Delphicis oraculis certius ista peterētur.

Sed ægrorum inobedientia:

2. *Ægri inobedientia* medicorum iussa contemnentis.

Senec. lib. 4. declamat.

Nemo enim benè seruatur inuitus.

Medici imprimis dicto parentes ægros optant, vti medicos beneuolentes ægri. *Nihil enim magis ægris prodest, quàm ab eo curari, à quo volunt*, ait Seneca.

Sed nos medicum Deum, ab his istísque auocantem, non audimus. Diæteticem & ordinem viuendi à Deo præscriptum non sequimur.

Cùm extendit Deus secaturam aut ambusturam manum, facienda promittimus; cum suspendit, promissa non soluimus; si ferit clamamus vt parcat, si pepercit, prouocamus vt feriat.

Deinde exulat iàm vetus illa subditorum in Principes, Regésque reuerentia, & expedita obedientia.

Præterea multi tacent quod à Deo iubentur loqui, quidam iusso Dei ac rationis loquentes, tacere, ab hominibus iubentur. Ægri ipsi nec medici sui vocé, nec scriptum ferunt. Medico præscribit æger, non ægro medicus, quibus curari pharmacis se velit.

Molestus medicus frænetico.

Forsitan & hinc insanabile vulnus nostrum.

Mirum

Mirum profectò, Ægyptios in forum ægros suos extulisse, vt obuius quisque remedium quod posset aut sciret indicaret; Republica autem moriente nolle vel medicos ipsos audire.

* 3. *Medicorum vel nimia multitudo, vel imperitia, vel malitia.* Et medicorum multitudo;

Bonum est, imò necessarium, ab Adæ culpa, medicos esse; tamen extra controuersiam est, maximam malorum partem à medicis proficisci, vel quia sunt nimis multi, vel quia imperiti, vel quia negligentes, vel quia ambitione quæstûve corrupti. &c. Certis medicis, vti & libris, inhęrendum.

Notum illud: *Multitudo medicorum Hadrianum Cæsarem perdidit.* *Menander. Vide Plinium initio lib. 29.*

Quid de imperitiâ, quam hîc voco gerendæ Reipub. seu pace, seu bello, inscitiam? Laborare hac nostros quis dicat, fretos consilijs prudētissimis tam domesticis, quàm exteris? Et aliquid imperitiæ,

Sed tamen imperitiæ est, non nosse ingenium, & (vt sic dicam) conplexionem populi, secare, vrere importunè &c.

Sed tamen cum Demosthene dicit vulgus: *Vt barbari pugiles dimicare solent, ita vos bellū geritis cum Philippo. Ex ijs enim, is qui ictus est, ictui semper inhæret: quod si eum alibi verberes, illò manus transfert: ictum autem depellere, aut contrà intueri, neque scit, neque vult. Ita & vos. Si esse in Chersoneso Philippum auditis, illùc mittenda esse auxilia* *Demosth. orat. 1. in Philippum.*

silia decernitis: si in Pylis, illùc itis; si alibi vspiam, assectamini sursum & deorsum, & eum, vt Ducem milites, sequimini. &c.

Plin. lib. 29. initio.

Et fortè cum Plinio: *Discunt medici periculis nostris, & experimenta per mortes agunt.*

An Æsculapium barbatum frustra finxit antiquitas? volebat, credo, in medico quæri vsum multum, atque experientiã significare.

Corpusculo vnius curando talis quæritur medicus: vasto Reipub. corpori constanti ex tam variarum personis facierum, ægro iam tot annos, & semimortuo, cõfirmando non ambitiosè quæratur medicus senex, res multas expertus, & medicæ artis id est politiæ peritissimus?

Ac malitiæ simile;

Celsus lib. 3. c. 4. de cur. diuers. gen.

Item; *Malitiâ* nonnunquam medici laborant, non leuiùs, quàm ęgri morbo suo. Cùm Celsus aiat, officium medici esse, curare celeriter, & iucundè; morbos & vulnera alunt in rem suam, vt plus nummorum extorqueant; Clysteribus non tam corpora, quàm crumenas vacuant. Deterrimi vrunt, secant, sæpè & spontè necant.

An non fortè etiam aliqui sunt ducentes bellum, id est protrahentes, vel odij in patriam (vt quidam putant) vel lucri & vaccæ pinguis mulgendæ causa? De hac re aliorum iudicium esto, ego tantùm refero multis sic videri.

Philemon quidam etiam facit, vt multi

putent,

putent, cùm ait: *Nam neque medicus vllus, si diligenter circumspicias,* *Apud Stob. ser. 100.*

Amicos suos benè valere cupit:

Neque miles ciuitatẽ sine malo aliquo videre.

Item: *O quàm malè habet* *Ibid.*

Quiuis medicus, si nemo malè habuerit! ægrum fortè finget ipsus, aut faciet.

An non sint qui *tanquam artifices improbi opus quærunt, qui & semper ægri aliquid esse in Repub. volunt, vt sit ad cuius curationem adhibeantur?* *Apud Liuium Appius Claudius.*

An non vt fabri cacaborum æneorum, & sutores maligni, quidam, qui hîc foramen vnum instaurant, illîc verò bis terebrant, vt in reditu sit quod agant?

An non hic *Vnus ædificans, & alius destruens?* An non hîc studio, Penelopes tela retexitur?

An non instar mulierum non quidem petulcarum, sed tamen non optimarum pro castitate suâ molliter pugnantium, aliqui sic *pugnant, vt vincere nolint?* *Ouid.*

Certè non puduit quendam Germanicæ nobilitatis virum palam affirmare, nihil sibi molestius accidere posse, modulatione cantilenæ huius, *Da pacem Domine &c.* sibi, quoties audiret, in mentem venire optare, vt Diabolus cum Sacerdotem tum ipsum etiam fanum funditus deleat: Quantopere alij Deum pro pace orant, tantopere se *Ex libro Iocoseriorum. Ioc. 103.*

V ipsum

ipium contrà solicitare, pro turbis, seditionibus, bellis &c.

Nobilis item æuo nostro, belli Hungarici Dux, ausus est dicere, *In manu quidem est expugnare hanc Vrbem, sed quid posteà ageremus?*

Miles aliquis, commendante negotia pacis paroico pro concione, dixit: *Etiam Domine, sed interim paruum aliquod bellum, vt omnes viuant.*

Imperitiáne, an Malitia Medicorum suorum vtrimque fiat, vt Belgium tot annis curari non possit, an verò vtroque solus nouit Deus, Nàm Sphingis hoc ænigma nec Oedipus ipse dissoluat.

Si tamen Imperitia; cur Medicos aliqui profitentur, cùm non possint? Ingenuè potius dicant, *Non sum medicus, & in domo meâ non est panis.*

Cur ego, si nequeo ignoróque, Poeta salutor?

Sin Malitia; Deus bone! quot in vnâ fraude nequitiæ!

Nàm cur salaria ac stipendia adcipiunt? cur amicos, cur tutores profitentur?

Senec. in prou. *Male secum agit æger, medicum qui hæredem facit.*

Quæ vltima, si in Belgis aut illorum alumnis, pessima.

Quod si huiusmodi homines maligni Belgæ sunt, aut ex Belgis, aut in Belgio, & à Belgio enutriti? quæ ingratitudo, in eos, per quos sint, & sint tàm benè, & cùm sint optimè, nolle superesse, aut admodum malè esse

esse illos velle, a quibus habent illud esse, & posse?

Serpentis hoc est, rusticum, qui rigentem fouerat, spiris necantis: viperæ hoc est matrem letaliter adrodentis.

Quid verò, si quidam non modò curare ipsi nolunt, sed etiàm curari ab alijs metuunt, & curaturientibus etiàm obsistunt, seu clàm, seu palàm? si in peius omnia ruere volunt, belláque ex bellis texere conantur, alia ex alijs in fata trahentes?

Ciceronem Ethnicum licèt, belluli isti Christiani audiant, quicunque sic peccant, seu intra muros Iliacos, seu extra: *Cuiusmodi* (inquit) *putas hoc esse, qui quæ cupiunt, tamen ità frigide agunt, vt nolle existimentur?* *Cic. lib. 8. epist. fam. ep. 10.*

Caussidicos litem ducentes damnabimus, non damnabimus bella ducentes, atque in longum trahentes.

Non par enim vtriusque crimen. Caussidicorum caussa melior. Emungunt illi quidem pecuniam, at non sanguinem ipsum, nec vitam: non bonos mores vnà perdunt, ac religionem: & si ledunt, paucos tamen: At cunctatores isti, ductoré que bellorum, rem omnem, sanguinem, vitam, mores bonos, Fidémque vnà perdunt, non hominis vnîus aut Prouinciæ, sed fortè Regnorum plurimorum. Peior illa caussidicorum, & cun

Vt Celsi sententia, medicum celeriter cu-

rare oportet: ità & caussidicum, & belli Ducem; Non lucris suis, sed clientum commodis studendum.

Varro in Bimargo.

At Varronis illud in quàm multos quadret? *Socius es hostibus, socius bellum ità geris, vt bella omnia* (id est bona) *domum auferas.*

Omnia ex hostis commodo, quasi eius Duces essent, actitare dicas nonnullos; inuidere, si quid prosperum his, tristari si quid aduersum illis; lætari, si quis infaustus belli euentus etiàm ijs, pro quibus pugnant, quòd scilicet illâ ductione belli, alij ex mendiculis *Facti diuites, alij ex obscuris clari, nonnulli priuatas ædes publicis substructionibus splendidiores compararunt*, vt loquitur Demosth. & quanto Respub. plus detrimenti capit, tanto res eorum auctiores.

Demosth. orat. Olynthiaca 3.

Faciunt quidam, vt Sacerdos ille Herculis apud D. Augustinum, qui solus vtraque manu alternante, dextra quidem pro se, læua, velut pro aduersario, tesseris ludebat.

Earum genus, qui malis humani generis aluntur.

Cic. lib. 2. epist. 19. ad Atticum.

De his dicere liceat, quod Cicero ad Atticum, de Pompeio dictum refert: *Ludis* (inquit) *Apollinaribus Diphilus Tragœdus in nostrum Pompeium petulanter inuectus est: Nostra miseria tu es Magnus, milies coactus est dicere. Eandem virtutem istam, veniet tempus, cùm grauiter gemes, totius theatri clamore dixit:* Illi enim

enim Belgij ruinis insistendo euecti sunt, & velut è monte eminent.

Illi iacturis, & tabulis naufragorum, se ac suos locupletant. Contra quâ inuectiua.

Hoccine est in incensa amici ac vicini domo dominari, ac prædari?

Hoccine est verè Neronem illum, hominis monstrum, imitari, qui incensâ à se Româ, vt Troiæ ignes in illis recognosceret; atque vt domos interim desertas deprædaretur, è turri Mecæneâ cantillabat?

Hoccine est, velle procul ex edito loco ipsóque tuto, prælia ntes intueri, non modò ad voluptatem, vt quondam ex Romanis Ducibus quispiam, sed & ad sordidum ex spolijs occisorum quæstum?

Hoccine est, proditorem illum medicum imitari, qui Pyrrho Domino, pro salutari poculo, venenum propinabat? Aut illos, qui ægris cibos decernunt, qui neque vires augeant, neque emori patiantur?

Vsquequo Domine, irasceris? in finem? In finem? dum isti omnes exhauserint, perdiderint? Et ad caram patriam apostrophe.

O Patria! ô Diuûm domus! ô mea Belgia quondam *Virgil. 2. AEneid.*

Inclyta! quàm te ægram nùnc *post tàm multa tuorum*

Funera, post varios hominúmque orbísque labores

rare oportet: itâ & caussidicum, & belli Ducem; Non lucris suis, sed clientum commodis studendum.

Varro in Bimargo. At Varronis illud in quàm multos quadret? *Socius es hostibus, socius bellum ità geris, vt bella omnia* (id est bona) *domum auferas.*

Omnia ex hostis commodo, quasi eius Duces essent, actitare dicas nonnullos; inuidere, si quid prosperum his, tristari si quid aduersum illis; lætari, si quis infaustus belli euentus etiàm ijs, pro quibus pugnant, quòd scilicet illâ ductione belli, alij ex mendiculis *Facti diuites, alij ex obscuris clari, nonnulli priuatas ædes publicis substructionibus splendiores compararunt*, vt loquitur Demosth. & quanto Respub. plus detrimenti capit, tanto res eorum auctiores.

Demosth. orat. Olynthiaca 3.

Faciunt quidam, vt Sacerdos ille Herculis apud D. Augustinum, qui solus vtraque manu alternante, dextra quidem pro se, læua, velut pro aduersario, tesseris ludebat.

Earum genus, qui malis humani generis aluntur.

Cic. lib. 2. epist. 19. ad Atticum. De his dicere liceat, quod Cicero ad Atticum, de Pompeio dictum refert: *Ludis* (inquit) *Apollinaribus Diphilus Tragœdus in nostrum Pompeium petulanter inuectus est: Nostra miseria tu es Magnus, milies coactus est dicere. Eandem virtutem istam, veniet tempus, cùm grauiter gemes, totius theatri clamore dixit*: Illi

enim

enim Belgij ruinis insistendo euecti sunt, & velut è monte eminent.

Illi iacturis, & tabulis naufragorum, se ac suos locupletant. Contra quã inuectiua.

Hoccine est in incensa amici ac vicini domo dominari, ac prædari?

Hoccine est verè Neronem illum, hominis monstrum, imitari, qui incensâ à se Româ, vt Troiæ ignes in illis recognosceret; atque vt domos interim desertas deprædaretur, è turri Mecæneâ cantillabat?

Hoccine est, velle procul ex edito loco ipsóque tuto, præliantes intueri, non modò ad voluptatem, vt quondam ex Romanis Ducibus quispiam, sed & ad sordidum ex spolijs occisorum quæstum?

Hoccine est, proditorem illum medicum imitari, qui Pyrrho Domino, pro salutari poculo, venenum propinabat? Aut illos, qui ægris cibos decernunt, qui neque vires augeant, neque emori patiantur?

Vsquequo Domine, irasceris? in finem? In finem? dum isti omnes exhauserint, perdiderint? Et ad carã patriam apostrophe.

O Patria! ô Diuûm domus! ô mea Belgia quondam *Virgil. 2. AEneid.*

Inclyta! quàm te ægram nùnc *post tàm multa tuorum*

Funera, post varios hominúmque orbísque labores

Defeßi adſpicimus, quæ cauſſa indigna serenos
Fœdauit vultus aut cur hæc vulnera cerno
tàm ægrè coëuntia ad cicatricem?

Tàm ægram te pulſus adeò remiſſus indicat, vt mortem magis, quàm tàm miſeram vitam, optare poſſint tibi forſitan, vel ipſi qui amant.

Lento videris igne torreri, & febri hecticâ paulatim ad mortem duci.

Belgio videtur accidere, quod D. illo Laurentio: *Non enim occiſus eſt citò, ſed cruciatus eſt in igne. Diù viuere permiſſus eſt; imò non diu viuere permiſſus eſt, ſed tandem mori compulſus eſt:* Diu ſtare patria permittitur, imò non diu ſtare permittitur, ſed tandem cadere compellitur.

D. August. tract. 27. in c. 6 Ioannis in fine.

---- Finis alterius mali
Gradus eſt futuri; protinùs reduci nouus
Paratur hoſtis antè, quàm lætam domum
Contingat, aliud iuſſus ad bellum meat.
Nec vlla requies.

Senec. in Hercul. fur. act. 2.

Non putant inhumani iſti, Belgium, ſi vocem illi natura dediſſet, etiàm dicturum, quod Laurentius Tyranno; *Aſſatum eſt, iam verſa, & manduca. Nàm facultates, quas requiris, in* ſuos quiſque *theſauros manus* vulturum iſtorum *deportauerunt?*

Et ipſius Patriæ proſopopeia.

Non putant dicturum, *Si merui, videórque nocens, exurite flammis? Omnis humo fumet Neptunia Troia.*

Ouid. de Nuce. Virgil. 3. Æneid.

Semel

Semel tota ardeam, si ità merui, atque ità visum.

Non putant dicturum, quod Saul olim Amalechitæ, *Sta super me, & interfice me: quoniàm tenent me angustiæ, & adhùc tota anima mea in me est?* 2. Reg. 1.

Et quod Iob: *Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat.* Iob 9.

Mortem misericors sæpè pro vita dedit. Senec.

Pausanias eum medicum censebat optimũ, qui non sineret ægrotos extabescere, sed quamprimùm sepeliret.

Nàm quid magni faciunt 14. medici, cùm multo tempore, multis impendijs, adnituntur, vt anui iàm præmortuæ vitam in vnum alterúmue mensem, proferant? Quid enim aliud agunt, quàm quòd arte suâ mortem reddunt longiorem: quasi hoc cuiquam sit optabile diu mori? viri certè sapientes mortem inopinatam ac breuem optimam censuerunt.

An fortè inter sacramenta ac mysteria maleuolentium Belgio etiàm istud sit, vt non emori quamlibet ægrum, sed cruciari dumtaxat multùm ac diu illud velint, & *oblitos sui sceleris nocentes debitas pœnas dare?* Senec. in Herc. fur. act. 3.

An damnatum fortè à Iunone nescio quâ est Belgium instar Herculis, ad labores perennes; aut instar Æneæ ad longos errores terrâ maríque;

Sæuæ memorem Iunonis ob iram?

Ouid. 1. Metam.

Et *manet altâ mente repostum*
Iudicium Paridis, ſpretæque iniuria formæ
Et genus inuiſum, & rapti Ganymedis honores?

An verò à neſcio quibus Rhadamantis damnatus hic noſter orbis ad pænas Titij, quem ad Inferos detruſum, ibi humi exporrectum ferunt, iecur perpetuò cum Lunâ renaſcens ſeu vulturi ſeu ſerpenti excedendum præbere & vitalj morte mori, & vitam agere non mortalem quidem, ſed nouis ſemper tormẽtis moribundam, & numquàm ſeriò morientem? Nam nec cadere Belgium poteſt, nec ſtare. Nec pacem habere, nec verum bellum: nec viuere, nec mori.

Seneca in Agamem. act. vlt.

Rudis eſt morte qui pænam exigit.
Fælicem perire iube, miſerum veta.

Debetur hoc aut tàm ingentibus peccatis, vt expiandis mors vna aut Tartarus vnus non ſit ſatis, aut ità paruis vt infra Mortis meritum ſint. In illa enim non ſatis lex aut Iudex videntur poſſe, in hæc non ſatis audere, ne ſummum ius fiat ſumma iniuria.

Damnantur ad triremes plerique hoc adſpectu.

Iona.

Quod igitur *eſt opus tuum*, aut quod eſt vel in quos eſt peccatum tuum (ô Belgium deliciæ Mundi?) Tantúmne, támque ingens ſit, vt extendi debeat pæna, quæ ſatis intendi

tendi non possit? An verò fortè aliquorum tàm paruum, ídque per pænitudinem ità olim dilutum, vt multari morte ac ruinâ vltimâ, iure non possis? *Sacramentum hoc magnum est*, & captu meo plebísque altius.

Ego quidem *patriam eluxi iàm & grauiùs & diutiùs quàm vlla mater vnicum filium.* Cic. lib. 9. ep. fam. ep. 20.

Sed quis ego? vbi Patres, vbi patroni tui, qui de his quandò, & quantum, & apud quos oportet, in gratiam tui? Hominem non habes piscinæ te inferentem, nec Samaritanum tui miserentem. Ioan. 5. Luc. 10.

Quâ de caussâ (inquit Xenophon) *arbitraris Homerum nuncupâsse Agamemnonem pastorem populorum? Nonne quoniam, quemadmodum pastorem oportet curare, vt salua sint oues, ac habeant vndè viuant, sic etiàm Imperatorem curare necesse est, vt exercitus saluus sit, illúdque perficiat, cuius rei gratia militat? Militant verò, vt hostibus superatis, fæliciores ipsi sint. Cùr namque ità laudasset Agamemnonem, atque vtrumque eum adpellasset, regémque bonum, militémque robustum? nisi quòd probet illum esse militem fortem, qui non solùm aduersus hostes fortiter luctetur, sed omni etiàm exercitui huius causa sit. Regémque bonum, qui non se solum bene regeret, sed etiam illis, quos regat, fælicitatis causa sit. Rex namque eligitur, non vt sui ipsius curam habeat, sed vt per ipsum, qui eum elegerunt, in fælicitate degant.* Xenophon de factis & dictis lib. 3.

Belgica res, vides, quo modo se habeat; cernis

cernis ardere bello, militem sine legibus, sine iudicijs, sine iure, sine fide, sine stipendijs, relicta omnia direptioni & incendijs.

Vsquequò Domine irasceris? in finem? accendetur velut ignis Zelus tuus?

Sempérne *propter peccata populi regnare permittes hypocritas*, qui medicos se, & Patriæ curatores dicunt, & non sunt, imò peremtores?

¶ *De Christianismi vniuersi statu deplorando.*

Christianismus etiam mille iam prope annos miser a Mahometanis.

SED & his verbis aptissimè ad Deum vti possit, & certè debeat quislibet Christianus, Religione Christianâ tamdiu, tàm multùm, támque latè afflictâ, Turcico dominatu.

Paul. Iouius commentar. rerum Turc. c. 1.

Iàm enim ab anno M. C. C. C. secũdum Iouium, Ottomanus quidam filius Zichi, qui tenuis conditions homo fuit, parens horum nùnc Imperatorum Ottomannidarum, cæpit Turcarum gloriam adtollere, nostram deprimere, ac pænè obprimere.

Trecentos iàm annos totos, flagellum Ottomannidarum, irato Deo, patimur.

/Ottomannus enim ille regnauit Alberto Austriaco Imperium, & Bonifacio Octauo Pontificatum gerente, circiter 1300./

Quid

Quid aio trecentos annos? imò propemodum iàm mille annos, Mahometum, virgam furoris Dei, toleramus.?

Signatur enim tempus Mahometi apoc. 13 *Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ*, id est, Mahometi hominis plane bestialis. *numerus enim hominis est* id est Christi; *& numerus eius*, id est Mahometi, *sexcenti sexaginta sex*, scilicet anni. Numerus autem iste non refertur ad annos vitæ eius (non enim tamdiu vixit. Obijt enim si Polydoro Virgilio fides, annos natus 40. si alijs quatuor & triginta: si alijs 63.) neque ad durationem legis eius, quasi tamdiu sit duratura, quò illud quidam referunt: (nàm lex Mahometi data fuit, sub finem imperij Heraclij, qui imperare cæpit anno Domini 613. & imperauit 30. à quo ad præsentem annum, anni plures 666. effluxêre, ac tamen adhuc eheu! perdurat pestis legis Mahometanæ neque adhùc agonizat valdè. Nec valet, quod aliqui obijciunt, Sapientes Saracenos legem illam castigâsse, atque abs castigatione illa numerum durationis illius inchoandum: Nàm si sic; non amplius diceretur lex Mahometi, sed sapientum illorum. Atque vt ità sit castigata, dicatúrque nihilo minus lex Mahometis, maius tamen est interuallum tēporis inter correctionem illam & nostram ætatem quàm annorum 666. Nàm pseudosapien-

Ex Fortalitio fidei sementialiter.

Polyd. virg. lib. 7. inuent. c. 8.

ſapientes illi, dicuntur Mahometis diſcipuli fuiſſe, itaque non ità multo pòſt legiſlatoris, imò lætilatoris aut Læciferi mortem, correxêre; Sed ſaluo meliori iudicio, ille ãnnorum numerus, ab incaruato Chriſto, videtur ordiendus, & in morte Mahometis terminandus. Nàm ab anno incarnationis D. N. Ieſu Chriſti, vſque ad Imperij Heraclij finem, anni 643. interceſſerunt, è quibus ſi quatuor aut circiter annos, quibus cum Heraclio vixit Mahometes, ne bis numerentur, ſuſtuleris, ſupererunt 639. quibus ſi adijcis 31. aut circiter, quibus opinione aliquorum ſuperuixit, ità habebis 666.

Vide & Creſpet. ſcholio ad c. 7. catechiſmi Pij.

Igitur ab anno circiter 666. adhuc ab illo Mahomete Chriſtianiſmus miſerrimè flagellatur, ac poſt mortuum legiſlatorem magis, velut magis autoratâ lege, morte ipſius teſtatoris.

Apoc. 13.

Vtinam vt in Apoc. eſt *Data eſſet beſtiæ illi poteſtas* bellum *facere dumtaxat menſes* 42. qui tres annos efficiunt cum medio! iampridem turbinis huius finem haberemus. Sed nondum ſtatim finis:

Ergò eſt, cur tot annos tàm immaniter, à tàm vilibus mancipijs, vexati Chriſtiani, & Pontifices, & Reges, & Imperatores, & omnes populi, ad Deum iure tergeminent iſtas voces, *Vſquequo Domine iraſcêris?* quàm diu

Pro quo querulosa precatiūcula ad Deum:

diu tandem grassabitur Mahometana ista gens, flagellum Dei?

Quò tandem sæuitiæ adtinget hostis iste?

Quod regnum, aut quæ regio, resideet tempestatis tantæ fluctus? quæ ciuitas cursum victoriarum eius terminabit?

Adspice templa tua infidelium manibus profanata.

Irasceris in finem? id est, vis, vt *in omnem terram exeat sonus* armorum illîus, *& in fines orbis terræ* Machæra eorum? *Psalm.*

Vin' vt *dominetur à mari vsque ad marè, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum?*

Imperiúmque Oceano, famámque vt terminet astris? *Virgil. Æneid.*

Irasceris in finem? id est, *donec totam impleat orbem* triplex ille Lunæ semicirculus, quem vexillis gestat?

Irasceris in finem? id est, Sæuitutáne ea pestis, quamdiu Mundus stabit?

Irasceris in finem? id est, Extremáne, atque excidium Ecclesiæ tuæ Turcus illaturus?

Irasceris in finem? id est, Sæuitiam gentis illîus eò procedere patieris, vt altiùs iri non possit?

Accendetur velut ignis Zelus tuus?
Audin' tu incendio rabiem Turcicam comparari?

Admoni-tiuncula ad Chriſtia-nos.

parari? audin' ſerpenti igni?

Et verè, verè, incendium eſt, ac ſerpens Turci imperium, noſtris diſcordijs, noſtris viribus, opibúſque, velut lignis iniectis, aduerſum nos auctum.

Ergò, ſi incendium eſt, concurſu vniuerſorum reſtinguendum.

Et tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

PHI-

PHILIPPICÆ IX.

NOTÆ.

Thema. *Vsquequo Domine irasceris in finem: accendetur velut ignis Zelus tuus?* Psal. 78. vers. 5.

FACTA repetitione vsitatâ, sic propositum.

Dicẽdum hodie mihi, occasione huius interrogationis *Vsquequo?*

1. *Vnde interrogationes illæ crebræ hominum: & quãdiu captiui fuerint, eruntque deinceps Iudæi;*
2. *Cur Deus non semper mala, nec eorum tempora, nec diuturnitatem rerum molestarum prænunciet;*
3. *De Belgicis rebus iterũ: & de indicijs imminentis finis imperio Turcico.*

AVE.

I.

¶ *Vndè interrogationes illæ hominum crebræ: & Iudæorum captiuitas quàm diuturna.*

INTERROGATIONES, nonnunquã sunt magis admirantium rerum magnitudinem, nouitatem &c. quàm aliud adspectantium. Interrogationum fines varij.

Sed illæ tamen, quæ cum spe responsi fiunt,

fiunt, aliquandò tentantium, quid sit aut in Deo, aut in homine; frequentissimè verò sunt ignorantium, & discendi sciendique cupidorum.

Naturaliter enim omnes scire desiderant.

Hinc à pueritia tam multæ, támque inexpectatæ questiones ex parentibus, nutricibúsque.

Est enim admirabunda rerum tantarum, tàm nouarum, ætas illa noua Mundi incola, aduena, & instar peregrinantium extero orbe, maximè ignara.

Luc. 24. Puerulo iure dicas, *Tu solus peregrinus es, & hæc ignoras?*

Sciendi cupiditate, dixerunt Iudæi, per legatos, Ioanni: *Tu quis es?*

Et Christo discipuli Ioannis: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?*

Et Maria virgo Gabrieli: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?*

* *Ab insidiosis* etiam quæstiones illæ non-
Genes. 3. numquam, vt ista: *Cur præcepit vobis Dominus, ne comederetis ex omni ligno paradisi?*

Matth. 22. Et captio illa: *Licet censum dare Cæsari, an non?*

Et illa: *Quod est mandatum magnum in lege?*

Ioan. 6. * *Ab incredulis* quoque, vt hæc: *Quo modo potest hic nobis carnem suam dare ad manducãdum?*

Ioan. 3. *Quomodo potest homo nasci denuò, cùm sit senex?*

Amur-

* *A murmuratoribus* ac susurronibus, vt hæc: *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* Matth. 9.

Et hæc: *Quis est hic, qui etiàm peccata dimittit?*

Et hæc: *Quare nos, & Pharisæi, ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?* discipulorum Ioannis ad Christum. Matth. 9.

* *A curiosioribus*, vt: *Quare via impiorum prosperatur &c.*

Et illud Petri de Ioan. Euang. *Domine, hic autem quid?* Ioan. 21.

Et illud discipulorum, postquàm dixerat Iesus de templo ac Ierosolymis, *non relictum iri lapidem super lapidem: Dic nobis quandò hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi?* Matth. 24. Luc. 21.

Et illud eorundem: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Act. 1.

Quâ curiositate multi ab Astrologis, Diuinis, Sortilegis sua vel mala, vel bona ventura sciscitantur.

* *A mirabundis*, vt hæc Israëlitarum de mannâ cælitùs lapso: *Man hu? quid est hoc?* Exod. 16.

Quis putas puer iste erit?

Quis est hic, quià mare & venti obediunt ei?

* *A fortiter adfirmantibus*, vel negantibus, vt hæc: *Si fænum agri, quod hodie est, & cràs in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?* Matth. 6.

X Et:

Ibid. Et: *Nonne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum?*

Et: *Nunquid ego Iudæus sum?*

Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia?

Iob 7. * *Denique* à valdè adflictis, vt illa Iobi: *Vsquequo non parcis mihi?*

Psal 34. Et illa Psalmistæ: *Domine, quandò respicies? restitue animam meam à malignitate eorum.*

Psal. 41. Et: *Quandò veniā, & adparebo ante faciē Dei?*

Psal. 84. *Quandò facies de persequentibus me iudicium?*

Psal. 118. *Quandò consolaberis me?*

Hierem. 12. Et illa Ieremiæ: *Vsquequò lugebit terra?*

Daniel. 8. Et illa Danielis; *Audiui vnum de sanctis loquentem: & dixit vnus sanctus alteri, nescio cui loquenti. Vsquequò visio, & iuge sacrificium, & peccatum desolationis quæ facta est; & sanctuarium & fortitudo conculcabitur?*

Matth. 17. Et illa Christi; *Vsquequo patiar vos?*

Et illa Pauli; *Quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Apoc. 6. Et illa interfectarum animarum propter verbum Dei: *Vsquequo Domine, sanctus, & verus, non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terrâ?*

Nunquàm sciscitandi est homo studiosior, quàm publicis, aut priuatis rebus adflictis. Sciscitatur tùnc Attico more; in Curiâ, quid fit? quid in castris? quid in vrbe? quid in agris? quid à nostris? quid ab hoste? quan-

quandò? vbi? quo modo &c. Sæpè rumores ponens ante ſalutem.

Ergò Aſaph noſter non curioſitate, ſed afflictorum more, iàm ante tempus miſer, à miſeriarum populi ſui præſcientiâ, ſciſcitatur ex Deo, ecquandò tot calamitatum finis, dicens: *Vſquequo Domine iraſceris &c.* q. d. An diu? an ſemper?

Finis huius, ſcire calamitatum Iudex terminum.

Vndè & obiter nota, ipſum, vt rem ſciuerit, temporis tamen ac durationis circunſtantiam neſcîſſe, etſi nos, quià iàm prætериêre, ex hiſtorijs ſciamus. Quod tamen mirum non eſt. Deus enim Prophetas ſuos quantum ſatis, & quantum ipſos & alios iuuet, futurarum rerum cognitione imbuit. Aliquandò partem oſtentat rerum, partem obcultat; aliquandò res totas demonſtrat, tempus non item. Paucis res, & *tempora, quæ poſuit Pater in ſua poteſtate,* reuelat, vti viro deſideriorum Danieli.

Vnde liquet Prophetas, aliquid plus alijs ſciſſe, aliquid cum cæter[illegible] g[illegible] [illegible]aſſe.

Act.
Daniel. c. 8. & 9.

Cæterùm, ad illud *Vſquequo?* iàm quiuis tonſor reſpondeat; vel ad 70. annos in Babylone: vel ad triennium ſub Antiocho Epiphane: (Iudas enim Machabæus, patrias leges, poſt triennium, ſuis ciuibus reddidit, vt ait Ado:) vel ad Mundi pænè finem, à Chriſti crucifixo adfligentur, diutiùs certè, multò, quàm, cùm olim in Ægypto quadringentis annis, aut peregrini aut captiui fuêre.

Ado in chronicis ætate 5. ad annum 4655.

Luc. 21. Vaticinium Christi suffragatur; *Hierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum.*

Rom 11. Et Paulus: *Cùm omnis plenitudo Gentium intrauerit, reliquiæ Israël saluæ fient.*

Certé ab anno millesimo 88. aut circiter, adhuc Hierosolymos Mahometani proh dolor! obcupant.

II.

¶ *Quæ causæ Deo, cælandi homines molestiarum durationem.*

VIDETVR Deus studiosè rerum molestarum tempora, ac diuturnitatem obcultare.

Act. Apostolis quærentibus: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël?* dixit: *Non est vestrum nôsse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in suâ ipsius potestate.*

Rerum molestarum diuturnitatem occultari, prodest.

De conflagrationis vltimæ temporibus loquutus, adiecit: *De die illa nemo scit &c.* & sic de alijs plerisque.

Imò vide; Mortis sententiam in omnes fert ille quidem, sed tempus ac diem, quàm studiosè obcultat! paucissimis, iisque vel optimis, vt Virgini Matri, vt DD. Petro, Paulo &c. vel pessimis, vt diuiti in horreis plenis adquiescenti, prædicit.

Si quæris qua causa? respondet D. Anselmus,

mus, inquiens: *Non facit hoc ſcire, quod inutiliter ſciretur.* D. Anſelm. comment. in 24. Matth.

Scire enim Mortis diem, aut miſeriæ diuturnitatem, noceret { 1. *Virtuti*, 2. *Hilaritati*.

* 1. *Virtuti. Nemo ſanè* (ait Chryſoſtomus) *virtutis curam, quod ad omnem vitam adtinet, habuiſſet, ſed cognito quiſque conſummationis ſuæ die, poſtquam innumera mala perpetraſſet, tùm demùm Baptiſmi lauacrum accepiſſet, atque ità hinc migraſſet. Si enim nùnc, timore incertitudinis cunctorum animos turbante, omnes vniuerſam anteactam vitam in malitia conſumentes, ad extrema demum ſuſpiria, Baptiſmati ſe tradunt, ſi etiam eſſent admodum de iſto perſuaſi, quiſnam vllam virtutis curam haberet?* Ad virtutem, D. Chryſoſt. hom. 9. in c. 5. 1. ad Theſſal. tom. 4.

Ex non omninò peſſimis ac deſperatis plerique ſecum ità dixiſſent. Itane? Eſt mihi ſcilicet 50. ætatis anno moriendum? 40. igitur annos voluptatibus Mundóque dicabo, reliquos pænitentię, eremo, ac monaſterio.

Sed vtiliſſimè *Latet vltimus dies, vt expectentur omnes.*

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.

Seneca. *Nemo ſcit noſtrum, quàm propè verſetur terminus? Sic itaque formemus animum, tanquam ad extremum ventum ſit.* Senec. ep. 12.

D. Anſelmus: *Vult Deus, vt ſemper ſimus incerti de aduentu Iudicis, vt ſic quotidie viuamus, quaſi in alia die iudicandi ſumus.* Anſelm. in cap. 24. Matth.

Sic viuere nos hodiè vult, velut hodiè morituros.

Ex desperatis verò illis multi, si cràs moriendum scirent, quid non ante mortem designarent, qui nùnc eius incertæ metu continentur? Modò, nulli vitam adimunt, ne vi externâ etiàm ipsi perdant suam. Perdituri vitam seu noxij, seu innoxij; fierent profectò nocentissimi.

D.Chrysost. ibid. paulo post.

D. Chrysostomus aurei oris orator egregiè: *Nullus mortis metus & vitæ amor nùnc cohibet: si verò cognouißet quisquam, omninò se crastino die moriturum, nihil vtique audere ante diem illum veritus fuißet, sed quos voluißet, occidißet, & inimicos vlciscens seipsum recreâsset, milléque mala designaßet. Homo namque scelestus, hac vita desperata, ne eius quidem rationem habet, qui purpura decoratus est.*

Magna æquè præstant, animus fortis, & perditus.

Senec. in Med.

Qui nil potest sperare, desperat nihil.

Cladium quoque si certa meta aliqua sciretur, aut calamitatum; neque aræ thure fumarent, neque orationibus templa personarent; non resisteretur hosti, neque pugnaretur; Nàm neque sic ante stata tempora liberarentur: & sine his, statis temporibus, incogitantes, malis suis exuerentur.

Manibus (vt sic dicam) cancellatis, atque in sinu otiosis, & sedendo vinceremus, cùm

Dij

Dij tamen *laboribus omnia vendant*, & mouenda sit, *cum numine dextra* vt est in prou.

Qui creauit te sine te, non saluabit, nec seruabit te, sine te.

* 2. *Hilaritati* verò quàm obesset rescire statim mortis diem, & calamitatum diuturnitatem? Ad hilaritudinem.

Hunc breuis vita, illum nimis longa discruciaret.

Finge enim adolescentes duos, illum Crœso ditissimo, alterum Iro egentissimo natum, vtrumque autem, vel Deo ipso, vel fido interprete indicante, præscire mortis suæ diem, diuitem quidem annos 15. dumtaxat victurum; pauperem contrà, nihil præter manticam laceram ac mendicabula possidentem, neque meliora sperantem, centum annos superaturum; quâ putas molestiâ diuitem, qui tot opes regnáque paterna nunquàm esset habiturus; inopem, qui in tot tantísque rerum angustijs, esset cum ætate, ac paupertate tamdiu luctaturus, adfectum iri? Ego vtrumque inter miserrimos locem, illum metu, hunc desperatione.

Plutarchus commodè: *Si prænoßemus, multi profectò immaturis luctibus contabescerent, mortémque morte anteuerterent.* *Plutarch. in consolat. ad Apolloniu.*

Est enim (ait Secundus Philosophus) *Mors diuitum pauor, pauperum desiderium.* *Apud Diog. Laert.*

Hinc Tyranni *Fœlicem perire iubent, mi-* *Senec.*

serum vetant.

Et: *Mortem misericors sæpè pro vitâ dedit.* Scientiâ rerum huiusmodi, fieret vterque, & sibi, & suis grauis.

Sufficit Diei malitia sua.

Contra reuelari inducit desperationem,

Idipsum de captiuitatibus, de obpressionibus &c. sentiendum, quarum diuturnitate præscita populos faceret miseriores.

Lugerent patres pro se, & pro *natis natorum, & qui nascerentur ab illis*, in seruitute prolixâ futuris.

Generandi fastidium.

Generare vix libêret seruos futuros. Nùnc ignaros, spes meliorum, & finis instantis, consolatur.

Verbi causâ? Ecquis, si ab annis iàm 36. & amplius, initio tumultuum Belgicorum, audîsset, tamdiu Patriam obpressum iri, credidisset? aut quis tàm diuturnæ tempestatis, atque incendij cogitatione non semianimis corruisset?

Memini, cùm dolo captis Montibus nostris à Comite Ludouico Nassauuio, dulcissima mea Mater, ex milite victore hospite nobis decreto, inter colloquia (vt fit) inaudîsset, bella deinceps nos manere Gallicanis paria aut diuturniora, totam exhorruisse, ægréque credidisse. Impares enim Belgas ferendis tàm diuturnis malis illa æstimabat, ille tamen homo Gallus, opinor, heu! nimis verè vaticinabatur. Gallicana bella, diuturnitate

nitate & nequitia (arbitror) vicimus, & *nondum statim finis.*

Tulimus vti potuimus tamen, & perferimus adhuc, sed ignari durationis, sed semper aliqua spe finis animati, non tulissent multi, si diuturnitatem præscissent.

Iàm mala finissent letho: sed credula vitam Tibullus lib. 2. eleg. 6.
Spes fouet, &, melius cràs fore, semper ait.
Spes facit, vt viuat fossor quoque cōpede vinctus, Ouid. lib. 1. de Ponto eleg. 7.
Liberáque à ferro crura futura putet.
Hæc facit, vt, videat cùm terras vndique nullas,
Naufragus in medijs brachia iactet aquis.
Sæpe aliquem solers medicorum cura relinquit,
Nec spes huic, vena deficiente, cadit.
Carcere dicuntur clausi sperare salutem,
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.

Sic nos in medijs bellis ciuilibus languentes, exhaustos, desperatos, spes nescio quæ de bonitate Dei, de fine tempestatis proximo, aluit, fouit, & per tot discrimina rerum, huc adpulit vsque, vtinàm ad portum vel tandem!

Ergò Asapho Deus, etsi enormem horrendámque obpressionum populi sui speciem reuelâsset, vel sub Babylonijs, vel sub Antiocho, vel sub vniuersis nationibus post Christum crucifixum futuram, diuturnitatem tamen eius, studio magno obcultauit, ne illîus magis, quàm calamitatis ipsiûs, cogitatione torqueretur. Ex quo Dei silentio, bonitas Dei manifesta.

Fidelis

Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis, sed facit cum tentatione prouentum.

Cibat pane lachrymarum, & potum dat in lachrymis, sed in mensura.

Omnia facit in numero, pondere, & mensura.

Disponit omnia suauiter. Bene omnia fecit.

III.

¶ *De Belgii rebus, & indiciis finis instantis Imperio Turcico.*

Belgicis bellis finem instare non adparet,

ROGET fortè Deum, aut alium aliquem aliquis in Deum ac patriã pius, mæstitiam suam ab his bellis ciuilibus non ferens; *Vsquequo Domine irasceris*? ecquandò bella hæc desæuient?

Cui meritò Deus, aut propheta aliquis, imò ne propheta quidem aliquis, sed ego nec propheta, nec prophetæ filius, & quisquis vel leuiter sapit, respondeat; stantibus, vt nùnc, rebus, non interrogatiuè, sed adfirmatiuè, *In finem, in finem:* & magis ac magis *accendetur velut ignis Zelus Dei*, &; *Nondum statim finis, nondum nondum.*

Ex vitijs promiscue omnium,

Quidni? Nam vitijs imprimis nostris bella ducimus, ac trahimus.

Vitia nostra nec bellis quidem crescentibus decrescunt, quibus tamen vrendis minuendísque *pluit Dominus* hunc *ignem* belli *à Do-*

Genes.

à Domino.

Superbia eorum qui te oderunt adſcẽdit ſemper. Pſalm.

Lethargicorum inſtar, ſentire vulnera aut verbera noſtra non videmur.

Pharaonis inſtar indurantur corda noſtra Ipſaque obduratione,

Vt aſini, ſic nos flagellis impinguamur. Vt loricas ferreas, & gladios malleorum ictus crebri, ſic nos crebriora mala obfirmant.

Palmæ inſtar, plus premimur, plus inſurgimus, & cum nuce, plus lapidamur, plus perticis infeſtamur, hoc vitiorum ac ſcelerum feraciores ſumus.

His moribus, hac peruicacia, non iraſcatur Deus *in finem*? *non accendatur velut ignis Zelus eius*?

Putamus dicturum Deum *Angelo percutienti, Ceſſet iam manus tua*, ni Reges, ni Principes in puluere ac cilicijs, pijs moribus magis quàm clamoribus impetrent? ni plebs depoſito luxu, acceptóque in vicem cilicio, *conuertatur, & viuat* nouam hominis non veterem beſtiæ vitam?

Stantibus ſic rebus, imò non ſic ſtantibus, ſed in peius ruentibus, roganti; *Vſquequo Domine iraſceris*? reſpondeo ſeuerè & verè, *In finem, in finem*; &, quia vitia cumulamus, etiàm *accendetur velut ignis Zelus Dei.*

Vaticinor *in finem*, ex vitijs, faſtu, luxu, Procerum, populorum &c. Ex Magnatum faſtu

Vatici-

Vaticinor *In finem*, ex vitijs militum, insolentiâ, blaſphemijs &c.

Militaris diſciplinæ neglectu,

Peſſimi in peſſimos militamus, ſolis nominibus, & colorum interſignibus diſtincti.

Diog. Laert. in vit. Philoſ.

Vt Diogenes Platonis faſtum calcabat quidem, ſed alio faſtu; ſic faſtum, ſic impietatem, ſic barbariem alter alterius, alio ac ſæpè maiore faſtu, impietate, barbariéque caſtigamus.

Vaticinor *in finem*, ex militaris cultûs mollitie, ex impedimentis &c.

Virgil. Æneid.

Auro illi nunc magis, quàm ferro micãt.
Illis picta croco & ſplendenti murice veſtis,
Et tunicæ manicas & habẽt redimicula mitræ
O verè Phrygiæ, neque enim Phryges!

Nuptarum inſtar viris ſui ornatarum, cultus calamiſtratúſque miles incedit, miles, vt fæmina, comtus.

Caſtrorum vitijs,

Impedimenta caſtrorum non arma, non commeatus, non falcati currus; ſed ſcorta, ſed coqui, ſed cupediæ oris veneríſque, ſed rhedæ, ſed carpenta ſub pondere meretricum inſidentium ingementia. Meretrix in caſtris ſæpè milite numeroſior.

Ex redimijs captiuorum vtrimque,

Vaticinor *in finem*, ex vitijs cauponantium bellum, non bellegerantium, id eſt, lucellum, ac reculam ſuam facientium, remittendis, redimendiſque pretio captiuis, & commerciorum licentijs vtrimque conceden-

cedendis. Vndè vtrimque quæſtus, quouis annuo cenſu, ac tributis, vberior.

Capiendis magis hoſtibus idcircò, quàm cædendis vtrimque incumbitur.

Lytrum enim & redimiæ illæ captiuorum, belli audaciæque militaris ad prædandum dico, non ad pugnandum, mera ſunt fomenta. Dum enim ſperat harum illarúmque partium miles, ſi vincitur, captum ſe iri non cæſum, & redimi ſalariolo menſtruo poſſe & ſcit, centies ex hoſtico & ruſtico prædam agi, antequàm capi ab hoſte vel ſemel contingat; rabit, furit prædandi excurrendíque libidine, & ſic fit dulce bellum experientibus lucri ſuauitatem, & ſine puluere & ſanguine, omnia ſpolia referentibus.

Pyrrhus ille Epirotarum Rex quanto melius, cuius, de captiuis reddendis, illa præclara apud Ciceronem ex Ennio ſententia.

Nec mî aurum poſco, nec mî pretium dederitis:
Nec cauponantes bellum, ſed belligerantes, *Cic. lib. 1. off.*
Ferro, non auro, vitam cernamus vtrique.
Vóſne velit, an me regnare Hera, quídue ferat ſors,
Virtute experiamur: & hoc ſimul accipe dictum:
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorundem me libertati parcere certum eſt:
Dono, ducite, dóque volentibus cum magnis Dijs.

Regalis ſanè, & digna Æacidarum gente ſententia.

Ex mi-

Ex milite audîsse aliquandò videor; vnicam, aut valdè bonam, hanc esse finiendi belli artem, si redimiæ, militibus captis, vtrimque non permittantur.

Ex commerciorum licentijs, inuento nouo,

Licentias verò illas commerciorum, vt lucrosissimas paucis, ità damnosissimas plurimis è plebeculâ, belli æterni nutrices esse quis non dicat? O nouum vaccarum, & eas mulgendi nouum genus! his immolatis pro populi salute, ego putem Belgium conualiturum.

Oportet; Hostibus olim ex more aquâ & igni interdicebatur, nos nùnc victum vestitúmque commodum, alter alteri impunè præstabimus, & quem extinctum videmur velle, illum re ipsâ fouebimus, alemus, & auro belli neruo roborabimus?

Ludere hoc est sumtu alieno, aleâ nimis exitiosâ.

Compendiosa ad Pacem via, hostem pecunia victúque subneruare, & ferè dixi, castrare.

Ex deditiorum dura habitione,

Vaticinor *In finem in finem*, vel ex eo, quòd victos, deditósque pari loco habemus, cùm Tamerlanis terna tentoria aliud doceant fieri oportere, & ex Romana arte sit, socios non lædere, pro læsis bella gerere, &

Virgil. Æneid.

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Arbitror & nos, & hostes nostros, quòd Prouincijs, Prouincialibus, Vrbibúsque deditis

ditis vel ſponte reconciliatis, vtrimque fidei, honoriſque parum habitum ſit; idcircò alterius dolore ſapere conantes, à colloquijs, ac Pace non parum vtroſque auerſos fuiſſe, diffidentiâ dictante.

Amniſtiam illam Græcorum ſinceram vtrimque valere oporteat.

Vaticinor *In finem*, ex opum, ærariíque diſſipatione, non in militem ſtrenuum, ſed in imbelles ęrugines, in demouoros aliquot, in tineas paucas palatinas, viros viráſque, vndè tot totiéſque iteratæ militum importunæ ſeceſſiones, quibus interim otiantibus, imò damno noſtro ſibi benè negotiantibus, etiàm hoſti otia negotij ſui benè gerendi præſtantur. Potens malum, quo, velut toxico, parum abfuit his diebus, quin Belgicæ res omninò interirent.

Ex æris publici abuſu.

Qui ſeceſſiones militum exitioſiſſimas ſæpe genuit.

1604.

Et mirum, cauſam morbi ac radicem vel ab ipſis medicorum pueris dudum reſciri, & nihilominus toties in eundem relabi ægros poſſe.

Vaticinor *In finem*, quòd veteres hoſtes non placamus, quòd amicos & ſocios negligimus, quod vicinos non rarò nec leuiter irritemus, ac ſemina bellorum noua veluti iaciamus, milite in vicinos aut laxato, aut, de vicinorum innoxiorum & à belli noſtro alienorum concuſſione, impunito.

Ex offenſione amicorum, vicinorum &c.

Regionem noſtram coram nobis alieni Vt deuorent? Iſai. 1.

uorent? aiunt.

Ex alienorum vsurpatione,

Vaticinor *In finem*, ex vitijs aliena inuadentium; de ecclesiasticis etiàm rebus opibúsque statuentium; in messem sacram, falcem profanam immittentium; alta silentia Veritati indicentium; respuentium consilia Senum, Patriæ Patrum, Ciuium, ac fidissimorum, admittentium sola aut prima illa blandientium, & loquentium placentia magis, quàm vtilia. Si salus, vbi plura & liberiora consilia; illîc exitium, vbi nulla, aut serua. *In libera ciuitate, liberas esse linguas*, aiebat Cæsar.

Ex consultorum præpostero delectu,

Et, quæso, quis Pacis consilia salutariora daturus Patriæ, quàm quibus Pax, est vita, Mors bellum? Quis Patriæ ruenti meliùs consulat, quàm qui cum Patria ruente etiàm ruit, & stat, consistente? Nidulum pullósque, auis nulla fortiùs tuetur, quàm quæ illîc genita, alios illîc genuit.

Vtri aduersus tempestatem naufragiúmque meliùs consulant, an qui in naui iactata sunt, cum illa pereunte perituri, an qui in portu stant, aut rupe, aut Pharo? maximè si qui in Pharo ac portu, cum Nauplio, velut facem salutarem ex Caphareo ostentant, timeantur nondum veteres iras, de Palamede suo, per Vlyssem, ad necem, proditionis falsæ nomine, rapto, concoxisse?

Vt medicum, hæredem ægri futurum, sic eundem

eundem ab ægro offensum, ægro non admodùm benè velle suspicio est.

Deinde: Cùm omnes quę sua sunt quærãt, vel morbo animi, vel naturâ, illi Pacem seriò consilijs quærent, quibus Pax vtilissima, illi Bellum ducent aléntque, quibus illud est lucrosissimum.

Videndum, si quibus turbida aqua piscari prosit.

Interim audiendum illud; *Consilio iuuenum fidis Melibæe, ruinam*
Expectare potes.

Oratores noui, adolescentuli, labefactârunt Rempublicam. Cicero.

Roboamum Salomonis filium spreta senum, audita iuuęnum consilia, decem tribubus, veluti tot Prouincijs, exuerunt. 3. Reg.

Ergò quærenti, *Vsquequo, Domine, irasceris?* quousque tandem Belgarum patientiam aduersis exercebis? in promtu responsio est, *In finẽ. Accendetur velut ignis Zelus tuus*, ô Domine, nisi & mores vnà omnes emendemus, & Rẽp. religiosiùs gesserimus, qui gerimus. Rebus æque bellum alentibus,

In finem, in finem, si semper *omnes quæ sua sunt quærent, non regnum Dei, non iustitiam eius*, non quæ Patriæ, non quæ pacis, *non quæ Iesu Christi?* Matth. 6.

Hæc flens dico, scribóque (Auditores.) Nàm, quis carissimâ Parente Patriâ, talibus culeis æquuleisque ante filiorum oculos, Et autorem ac scriptorem horum mire discrucientibus.

tàm diu, à suis, ab alienis, à vicinis, à toto orbe remotis torta, lachrymas teneat?

Sed huius rei finis sit. neque enim prę lachrymis iàm loqui possum, & Patria tam generosa se lachrymis defendi vetat. Vos oro, obtestórque (Antistites rerum) vt, quod sentitis, in Comitijs, in sententijs ferendis, audeatis. Vestram virtutem, Iustitiam, Fidem (mihi credite) is maximè probabit, cuius maximè interest, nec sibi, nec vobis, Belgium, & cum eo in cóque, Religionem maiorum, interire.

¶ *De indiciis finis instantis Imperio Turcico.*

Quas corrigi nunc expediret, Turcico Imperio ruinæ iam proximo.

PACI autem Belgicæ hoc nùnc magis studendum, quo finis Imperij Turcici propior est, & accelerari, communi nostra Pace, possit.

Cùm iratus fuerit Dominus, misericordiæ recordabitur. Sed quandò? inquis, *Vsquequo Domine irasceris &c.* Vsquequo istud, vel quærentis est de Imperij Turcici diuturnitate; vel de sæuitiæ gradu; vel de loco, ad quem adlisum illud Imperium sit retundendum ac desiturum, velut vnda & alga ad scopulum, aut ad litus, ac terminum, quem illi posuit Deus.

Ergò, si de diuturnitate quæris, respon-sum

sum nùnc eo, nàm de sæuitiæ immensitate latè iàm nuper dixi, & forsitan de loco, ad quem, velut scopulum, frangenda est vis Turcica, forsitan mòx erit dicendi locus.

Respondeo igitur *Non in finem Deus irascetur, non in finem:* aliquandò enim & citò, ac forsitan in diebus nostris, Imperium illud immane, aut mole ruet sua, aut vi aliena. *Non continebit Deus in ira misericordias suas.*

Multis ego sanè argumentis adducor, vt credam, breui Turcicum Imperium desiturum, si ferijs bellorum ciuilium saltem quadriennalibus, id est, indutijs factis, illud vel summo digitulo, iàm spontè ruinam minitans, impellere Christiani conaremur.

Dux la Noüe, quadriennali bello, Turcam vinci posse arbitratur. *Dux la Noüe, discursu militari.*

Turcici Imperii proxima ruina adparet, ex

1. *Scripturis SS.*
2. *Patrum SS. Vaticinijs,*
3. *Prognosticis astrologorum nostrorum,*
4. *Turcarum ipsorum præsagijs & Vulgi fama,* Vt probabile est,
5. *Indicijs,*
6. *Rationibus.*

1. *Scripturis SS.* 1. Ex scripturis,

Christus prædixit: *Hierusalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora nationum.* Luc. 21.

 D. Pau-

Rom. 2. D. Paulus: *Cùm omnis plenitudo gentium intrauerit, omnis Israël saluus erit*, id est meo sensu, tamdiu non erit Ierosolymorum Dominus, Israël, nec qui literâ, nec qui spiritu, Dominus, inquam vsufructuarius cum Dominij plenitudine (nàm alioquí & nùnc forsan Hierosolyma nostra est, & Iudæis & Christianis illîc esse licet, sed sub iugo ac tributo) quamdiu Euangelium Christi non sit toto orbe peruagatum ac receptum; cùm verò *in omnem terram exierit sonus eius*, tùm tandem vtrique ad propria, Barbaris iniquísque possessoribus extrusis, reuertentur.

Sed iàm *in omnem* pænè *terram exiuit sonus* Euangelij: India, America, & vltima pænè orbis portio, nuper à nostris fratribus alijsque conuersa, ouile Christi intrauit.

Chinæ regnum iàm ad fidem vergit &c.

Ergò instat, vt *omnis Israel saluus fiat*, instat vt Hierusalem à gentibus desinat conculcari: Ergò & Turca vergit in finem ac ruinam, cessurus regressuris Dominis Terram Sanctam, & Hierusalem.

Generatio illa aut renascentia *vnius, corruptio* erit *alterius*.

Vaticinijs maiorum nostrorum. * 2. *Patrum SS. & maiorum vaticinijs*, quorum magna semper, etiàm apud Ethnicos, autoritas.

Cic. lib. 1. ep. ad Atticum ep. 5. Cicero: *Quid verò historiæ de nobis ad annos D C. prædicârint? quas quidem ego multo magis*

magis vereor, quàm eorum hominum, qui hodiè viuunt, rumusculos.

B. Methodius martyr, à D. Hieronymo laudatus, prophetauit, sexto sæculi millenario, filios Ismahelis ac Saracenos, in Christianos valdè sæuituros. Et addit: *Hispania gladio peribit, & captiui ducentur habitatores eius ---- & obtinebunt filij Ismahelis introitum ab Aquilone, & Oriente, & Meridie, & Occidente, & replebitur Hierosolyma cunctis gentibus.* Deindè, loquens de fine seculi, addit Deum recordaturum misericordiæ suæ, & liberaturum suos, & ait: *Surget autem Christianorum gens, & præliabitur cum eis* (scilicet Saracenis) *& occidet eos gladio, & captiuas ducet mulieres eorum, & interficiet infantes eorum, & descendent filij Ismaelis in gladium, & tribulationem, & adflictionem, & reddet illis Dominus mala, quæ ipsi fecerant, & irruet super eos malitia septies tantùm, quantùm in alijs gesserunt, & occidet illos Dominus in * manu Christianorum, & erit regnum Christianorum exaltatum super omnia regna.*) Si de Caroli Magni in Saracenos rebus in Hispania gestis, aut de Ferdinandi III. qui Hispaniam ferè omnem Saracenis eripuit anno 1245. intelligendum putas, non videtur, cùm de fine sæculi sit prophetia, cui nos videmur reseruati.] ** al. manus.*

Tales rerum vices: *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? Et qui spernis, nonne & ipse* *Isai. 33.*

sperneris? Cùm consummaueris depradationem, depradaberis. Cùm fatigatus desieris contemnere, contemneris. Latissimè dominati Saraceni, ac Turcæ, tandem à Christianis recipient septemplicem talionem.

Sed iàm ità Mahumetani obtinent, vt Turcarum Imperator arroganter in titulis, se *Dominatorem Mundi* scribat; &, in literis nuper Constantinopoli datis, ad Imperatorem nostum, se *Deum super terram*; *Dominatorem Orientis, Occidentis &c. Paradisi terrestris Præpositum aut Prætorem*, vocet, si tamen authenticum fuit illarum exemplum mihi exhibitum.

A fœdere cum Gallis inito, in Gallia, totóque Christianismo obliquè dominatur.

Bartholom. Honorius in dedicatoria Elucidarij Diui Anselmi, ad Ducem Parmensem Alexand.

Gallici quoque scriptores (scribit quidam Leodius) *pro magno Turcâ, nos dicere iubent, magnum Dominum, vulgò* (*le grand Seigneur*) qui titulus Regi sæculorum immortali, solique Deo conuenit.

Solymannus ipse, in binis literis, ad Dominum Villarium Liladamum, Equitum Rhodiensium Magistrum, se *Regem Regum, & Dominum Dominantium*, Dei nominibus, scribebat.

Daniel.

Ità scilicet rectè apud Danielem, *Cornu illud paruulum de medio aliorum exertum*, dictũ est *habere os loquens ingentia*.

Apoc. 13.

Et bestiæ in Apocalypsi *datum est os loquens*

magna

magna & blaſphemias; ex qua ſumma ſuperbia, etiàm inſtare ruinam, facilè eſt vaticinari ſcientibus à Deo ſuperbos ſolere humiliari.

Sequitur ſuperbos Vltor à tergo Deus.

Deinde; Hiſpania non ità pridem à Mauris paſſa eſt quamplurima; & in captiuitatem ſæpè aliqui abripiuntur.

Denique; repletur Hieroſolyma cunctis gentibus, Turcarum, Tartarorum &c. & nos videmur eſſe, in quos fines ſæculorum deuenerunt.

Ergò, tempus inſtat, quo Deus miſericordiæ ſuæ recordetur, & ſurgat gens illa Chriſtianorum, quæ Saracenos ſeu natione ſeu ſuperſtitione, gladio occidat, vt modo Methodius noſter loquebatur.

Vide hiſtoriam ſcholaſticam in geneſ. 16. vbi dicitur: obtinebunt orbem terræ, per octo hebdomades annorum. Forſitan eſt mendum. Nàm illæ, 56. annos dumtaxat facerent. Itaque vide, an non fortè legendum ſit, obtinebunt per octoginta hebdomades annorum, quæ 560. annos conſtituunt, vt ſignificetur quamdiu ferè floruit Saracenicum nomen, vel quamdiu fortè Turcicum nomen illi ſuffectum duraturum eſt.

* 3. *Prognoſticis aſtrologorum noſtrorum*, de quorum fide, iàm non eſt proprius diſputandi locus. Prognoſticis Aſtrologorum noſtrorum.

Bapt.Mant. tom. 1 ad Reg.Hisp.

Mantuanus Poeta illustris ita scribit: *præsagia vatum*

Adtestantur, opes Asiæ, Babylonica regna
Ad Christi reditura iugum.

Antonius Torquatus Ferrariensis, Philosophus, Medicus, Astrologus clarissimus, in prognostico, quod de regnorum Europæ mutationibus, Matthiæ Regi Vngarorum, anno 1480. dixit (cuius & ipsi obiter Turci meminêre, tanquàm ab Vngaris iactari, lib. 18. hist. Musulmanæ ad annũ CIↃ. IↃ XLI.) ità ait, referente Leunclauio. *Ad immanissimos Turcos ratiocinationem meam conuertam, quos longum, latum & magnum Imperium, diuitiarum magnitudo, frequentia victoriarum, & gloria tantùm extollet, eorúmque animos & spem sic eleuabit; vt sibi putaturi sint, nec cœlum resistere posse. Atque idcircò ad totius orbis imperium adspirabunt. Assyrios & AEgyptios maximis prælijs fractos superabunt. Armenios, Parthos, & Persas continuis prælijs molestabunt. Pluries aduersus eos victores, & superiores euadent & quandoque succumbent. Magnâ strage suorum in Christianos arma mouebunt. Venetis primùm multa inferent damna. Pòst eorum amici facti, Belgradum in ditionem recipient, Rhodum superabunt, Pannoniam & Vngariam multis cladibus adficient. Tandem vim comminantes, regnum Vngarorum lacerantes, simúlque imperium Romanum Germanúmque diuersissimis bellis tentantes, in eorum manus cadent.*

Annus

Annus erit Christi 1594. vel 1595. Sed prius Apuliam intrabunt, Siciliam, Galliæ, Hispaniæque litora classe suâ, necnon Italiam molestabunt, & adfligent. Timorem magnum Christianis immittent. Sed Christus tandem suorum stragem non ferens, furorem Germanorum, vigorem Vngarorum, militiam Hispanorum, ac Italorum ingenia, contra eos adducet. Et tandem eorum Imperator superatus, interficietur; in quo prælio negotióque Regis Vngariæ laus erit prima. Nàm, vt astra prædicunt, dicti Regis auspicio, ingenio, industria, ductúque, perficientur omnia, quæ de morte immanissimi Imperatoris Othmaneorum, & de victoria contra eum habenda, prænuntiantur. Othmana namique domus in tredecimo vel quartodecimo capitibus corruet, nec illum excedet numerum, nec annos salutis 1596 transibit. Tunc horrendo concidet casu. Et ex Imperatoris Turcorum morte, tanta orietur inter Duces eorum, & inter Othmaneos, contentio & discordia; vt ab seinuicem, & ab externis, interficiendi sint. Tota Græcia ruinis & externis bellis permiscebitur, adfligetúrque peste, ac fame laborans sæuissimâ vltra modum vexabitur. Nec paullulum respirandi tempus restabit, aut locus, donec tota pereat. Tunc Christiani omnes alacres vno animo transibunt mare, & tanta velocitate, tot tantísque copiis; vt quasi totam terram Christianorum in Orientem non ire sed potiùs volare credendum sit. Sed prius Veneti non leuibus malis adflicti succumbent, quàm hæc fiant. Tùnc demùm videbitur, Turcos ad

Hunc numerum habet Leunclauius pagin. 840. hist. Musulmanæ. Sed in libello prognosticorum Torquati legitur 1534. vel 1535.

In ipso Torquato ponitur vel 15. Torquatus habet 1536.

An forte de amissa Cypro 1570. loquitur?

cos ad fidem Christi conuolare. Tùnc Christiani, qui Christum abnegarunt, ad iugum Christi suaue reuertentur, & gemina Imperia sub vnum Imperatorem conuolabunt.

Ad summam, Domini nostri Iesu Christi vexillum ad Orientales partes cum gloria portabitur, & Muhametana secta cessabat: passimque Muhametani, atque Iudæi ad Christi baptisma conuolabunt, cui sit honor & gloria in sempiterna secula. Hæc ibi ad verbum. Sed ea paulò aliter, & latiùs in ipso Torquati originali.

Astrologo huic quantam haberi fidem fides Catholica permittit, tantam habeo.

Annos autem certos notat, non quia præcisè illis, planè omninóque ruiturum sit imperium illud, sed quia tùm egregiè egriet, & ab annis illis deinceps semper in peius ruet.

Vt enim paulatim & per interualla creuit, ità paulatim & per interualla decrescet.

Habent vt arbores proceræ ac vastæ, quales maxime quercus dicuntur, stata crescendi, standi, ac decrescendi ruendíque tempora.

Et certè circiter notatos illos annos, magnas Turca, sub Carolo Mantsfeldio Petri Ernesti filio, clades accepit, Strigonio erepto &c.

Crespet. Scholio ad 40.c. Catechismi Pij 2.

Et Amurathes 3. his annis superioribus ter prælio victus à Persis, & Constantinopolim

polim ingrediens, equò lapſus, augurio valde ſiniſtro, ait Creſpetius.

Et, ſi in 13 & 15. Ottomannida deſiturum eſt illud Imperium, iàm ferè numerum illum dedit familia Othomannorum.

Ergóne in ianuis eſt, fortunati illîus imperij extremum infortunium?

4. *Turcarum ipſorum præſagijs*, & vulgi fama. Turcarum præſagijs.

Dux la Noüe, cognomento Brachium-Ferreum, ait, ſe legiſſe tale quid in Alcorano; *Nouiſſimè continget Muſulmannos* (id eſt, Turcicæ nationis homines) *à legibus magni Prophetæ Mahumeti aberrare, laxatis ad indignitatem omnem habenis: tunc gladius Chriſtianus ſurget, & eos fugabit ex Imperio*, id eſt, imperium tollet. *La Noüe diſcurſu politico 22. pag. 493.*

Idem: *Qui inter eos peregrinati aut verſati fuere, referunt, Turcarum ſapientes nonnunquàm animo verſare voces huiuſmodi, ac reformidare.*

At Turcæ nunc ſunt corruptiſſimi; vino enim, contra Mahumeti præceptum, indulgent: Chriſto & virgini Matri, quos ille dicit honorandos, inſultant. Id Conſtantinopoli proh dolor! viſum plus ſatis.

Item; habent diſſidium Sofinum.

Iàm Perſæ Iezidæos, id eſt, ſectarios habent.

Ergo, prope interitum eſt imperium.

Sed ais. Mahometes homo mẽdaciſſimus.

Planè.

Etsi ea paruæ aut nullius fidei,

Planè. Sed & per Balaam, per Caipham, imò & per asinam veritas; & sæpè mali prophetant, nescientes, quid dicant.

Scribunt nonnulli, Mahumetem habuisse spiritum diuinationis, alij Lunaticum fuisse, siue maligno spiritu obpressum, vndè, prædicens aliqua, quæ ipse Diabolus effecturus erat, paulatim apud ignaros nomen adeptus sit. Fortassis de suorum corruptelâ, quæ Diaboli suasu accidere solet, Diabolo indicante prophetauit.

Sed nec Prophetæ Turcici, Turcis diuturnitatem promittunt.

Astrologus etiàm quidam Armenus, Solymanno auo Amurathis tertij, imperium Othomannicum breui occasuium prædixit.

Et ex vulgi Turcici famâ;

Prætereà ex vulgi famâ. *Vox populi vox Dei* vt habet Prou.

Mantuan. tom. 1. exhort. ad Reges &c. ad Franciscum Gonzagam.

Sæpe Deus solet in voces descendere vulgi
Multáque diuināt communis murmura famæ.

Ex lib. Gallico de orig. Turc. fol. 198.

Turcæ ipsi semper credidêre, Imperium suum mille dumtaxat annos duraturum, & adhùc credunt, imò iàm finem instare, quam opinionem ex Mahometo suo habere se aiunt, qui sub mortem rogatus de regni ac legis suæ diuturnitate, nihil verbo, sed signo respondit. Extulit enim ambas manus altiusculè, & decem digitos sciscitantibus ostendit, quibus significari decem annos, posteri ac successores arbitrati sunt. Sed, cùm, ijs

ijs completis, viderent regnum solito esse florentius, ad decem annorum decades, id est, ad centum annos retulerunt. Alij rursùs Mahometani posteriores, consensu vnanimi, de mille annis, quos constituunt decies centum anni, interpretati sunt.

Esto, mille annos Tyrannis sit statura, nihil tamen, ruinæ iàm proximam esse, dici vetat.

Sed Mille iàm annos propemodum viguit Mahomotismus, aut superauit, cum nonnullo tamen sui decremento.

Africani enim incipiunt annos suæ Hegiræ, ab anno à natiuitate Christi quingentesimo nonagesimo primo, quià natus illo anno est Maumethes. Itáque secundum Africanorum Hegiram mille anni, à Maumece prædicti, finem haberent anno 1591. à Natiuitate Christi. Sed Alphonsus, in suis Astrologicis, incipit Hegiram, non, vt Africani, ab anno, in quo natus est Maumethes, id est quingentesimo nonagesimo primo, sed ab anno sexcentesimo vigesimo primo, existimans cum nonnullis Hegiram Maumethanam habere principium in anno, quo factus fuit Alcoranus; quod si verum est, finis illorum mille annorum erit, anno millesimo vigesimo primo, à Christi natiuitate, vt tantum supersint 17. anni, ad vsque imperij Turcici ruinam, ab hoc anno 1604.

Apud quem varia Hegiræ ratio.

Alij arbitrati sunt, Hegiram principium habuisse, anno, quo Maumethes expeditionem suscepit, pro religionis defensione, anno scilicet salutis nostræ sexcentesimo trigesimo: ipse autem anno sequenti, cùm esset quadraginta annorum, mortuus est. Itaque, ab hoc anno Hegiram inchoando, 26. anni, aut circiter imperij Turcici superessent.

Sed harum trium opinionum prima probabilior videtur, quamuis nomen Hegiræ ostendat ita dici à prima expeditione Maumethis. Nàm fuit vniuersalis Africanorum omnium consuetudo numerandi annos Hegiræ, facto initio à Maumetis natiuitate, quæ fuit anno 591. aiunt quidam Neoterici.

De Bry fratres.

Itaque completæ sunt iniquitates Alcoranicolarum horum.

Sed esto, superi sint, secundum opinionem vltimam, 26. aut 27. anni imperij illîus, quantillum est hoc?

Deindè, notandum, quod nùnc rursus aiebam, cùm dicitur, imperium illud tali vel tali anno ruiturum, non dici omninò nihil illîus superfuturum illo anno, sed circa illa tempora magna decrementa accepturum, ac deinceps, ægri instar, vel violenta vel hectica febri, sensim occubiturum. Et certè, ab decennio & amplius, audire legere est, quæ vulnera illud imperium acceperit, adeò, vt quidam

quidam ex nouissimis illius Imperatoribus, dictus sit velut furijs fuisse agitatus, nimia instantis imperio suo ruinæ formidine. Vtinam seriò tunc omnes impulissemus! Fatum, adprehensio, & impulsio forsitan planè subuertissent.

Præterea; *Turcæ* (vt ait Lazarus Horanzius) *nomen Mahumethis tertij, propter sinistras quasdam & fatales opiniones, quas de eo mente conceperunt, perhorrescunt. Anxij enim in eo versantur metu --- ne quod priùs sæpè contigisse nôrunt, nunc quoque eueniat. Sciunt enim Constantinopolim, quæ caput est Imperij, post priorem illam euersionem, secunda sua initia & incrementa Constantino Magno debere, eandem posteà sub alio Constantino Christianis --- ereptam esse, quorum vterque matrem habuit eodem Helenæ nomine: planè vt Romanum Imperium, quod, cum ab Augusto initium cepisset, sub Augustulo quodam extinctum fuit. Similiter ergò & illi verentur, ne Mahumete Imperatoriâ dignitate fungente, sedes regni Constantinopolitani, iterum illis eripiatur, quemadmodum à Mahomete 2. bello atque armis in potestatem eius redacta est.*

Lazar. Horanzius in Turcanice-to parte 1. pag. 2.

Sub Constantino II.

Mihi notabis (ait Glycas) *illud ipsum Imperium Romanum à Romulo initium habuisse, ac, post* CIↃ. CCCIII. *annos, itidem sub Romulo Principe defecisse. Nàm deinceps istic Reges, Principes, aliique tales barbari cæterorum locorum Domini, rerum potiti sunt.*

Michael. Glycas p. 4. annalium.

Et va-

Imo & ex vaticinijs alijs.

Et vacinium in hanc rem aliquod extat. Leo enim Byzantij Imperator, figurâ 14. sui vaticinij, de regni Turcici interitu, dicterio seu epigrammate B. ait: SIC PERDET, QVI OCCVPAVIT. quod quidam Neoterici ità exponunt: *In his verbis claré ostenditur finis Imperij Ottomannici, qui enim cepit Constantinopolim, fuit Mechemetes, viuens nunc Imperator Mechemetes vocatur; Idem igitur Imperator nomine perdet imperium, qui occupauit ipsum. Quod etiàm, sed magis obscuré, habetur in tertia figura, in qua dicebatur de Mechemete, qui Constantinopolim occupauit*, IN TE INITIVM ET FINIS CORNV EST. Ista autem 14. figura habet pastorem, baculo manúque ouem, è Lupi faucibus, eripientem.

De Bry fratres.

Item; Mahumetanis celeberrimum est vaticinium, quod incipit (*Patißahomoz ghelur &c.*) vt victoriarum, ità & excidij prænuntium, quod, quià de victorijs vera præcicinuisse vident, de excidio non mentiturum opinantur. Illud ergo in fine ità habet, interpretante Barptolomæo Georgieniz: *Post duodecimum annum, post rubeum pomum, vel* (vt alij leguut) *post Græcum Sacerdotem vel Patriarcham captum* (id est fortè, post Constantinopolim, vel talem aliquam Imperij sedem à Turcis occupatam) *Christianus gladius insurget, seu adparebit: Turcam ipsum hactenus regnantem, retrorsum, vnde egreßus est, pellet sine* profli-

Bartholom. Georg. peregrinus in libello de Turcarum moribus. Vide & ipsos de Bry fratres.

profligabit &c. quæ *vltima verba* (ait ibidem Bartholomæus) *viri cum gemitu, pueri cum fletu, mulierculæ cum planctu & eiulatione excipiunt.*

Cæterum, quià ille gladius vindex nesciatur vndè oriturus sit, certè Turcæ, siue aliundè metu concepto, non permittunt Christianis vllum vsum gladiorum, aut armorum.

Et ignorant, armísne & copijs alicuius Christiani Principis id efficiendum sit, an verò doctrinâ pastoris alicuius Christiani, qui eos in nostræ religionis rectam sententiam adducat. Est enim & *gladius verbi Dei.*

Ioannes Leuunclauius quoque hæc scribit: *Exposita captæ vrbis Constantinopolis historia, paucis adnotauère Turci, scriptum apud se reperiri sapientũ in libris, ac præsertim in eo, cui nomen sit Meßabih; futurum, vt priùs, quàm exeat Degnal Lain hoc est Anti-Christus improbus & maledictus, bis Constantinopolis occupetur. Primùm gladio capiendam eße. Deindè Iudicij tempore adpetente, filios Ishaci non gladio, sed per inuocationem diuini nominis eam capturos. Priorem vaticinij partem de occupanda bellicis armis vrbe, iam impletam fatentur, & quidem illo tempore, quo sultani Muhametis in potestatem ea venit expugnatione. --- Alterius occupationis euentum, & quinam illi sint Ishacidæ, qui precibus & hymnis ea potituri dicuntur, ipse dies dabit.*

Leuunclauius histor. Musulma. lib. 15.

Sed dies iudicij adpetit, omnium æſtimatione.

Isbacidas autem eſſe filios Abrahæ fide & ſpiritu, ſeu huius ſeu illius partis, ſatis adparens. Imò quid vetat putari filios Abrahæ literâ, qui tùnc & ſpiritu filij eius erunt, ingreſſi ouile Chriſti ſub finem ſeculorum? Ergò.

5. Ex Indicijs,

* 5. *Indicijs*; quòd Lunare Imperium ſit illud Turcicum ideóque mutationi obnoxium.

Diodor. Siculus.

Lunam creſcentem in vexillis gerunt, vt Babylonij columbam, Romani aquilam.

Hierem. 25.

---- *aduerſis Luna eſt inſigne Tyrannis,*
Aſtrum luna fugax, tenebrarum & noctis amicum, Fæmineum, ſterile, vmbroſum, mutabile, vanum, ait Mantuanus.

Mantuan. tom. 1. exhort. ad Reges &c. ad Franciſcum Gonzagam.

Lunam colunt illi.

Glycas p. 4. annalium.

Michaël Glycas. *Venerem (ait) ſectatores Mahometi colunt. Licet hoc, ex ipſorum precatione, deprehendere, cuius hæc verba ſunt: (Alla alla üa, Cubar alla:) hoc eſt, Deus Deus maior, & magna, nimirum Luna quæ & Venus Dea.*

Dies Veneris illis hebdomadarius eſt feſtus dies.

Item: Lunam ſignum rebus gerendis auſpicatiſſimum habent. Mouerunt etiàm, inchoante Lunâ, aduerſus Rhodum.

Cauſas tantæ in Lunam obſeruantiæ, eſſe arbitror;

Vel,

Vel, quòd lunari constellatione, id est in puncto lunæ, sit Rex creatus Mahometes; 1.

Vel, quòd Eclipsin nostræ legi magnam, ad tempus, adduxerit, vt Luna Soli. Soli Luna maximè aduersa, & Mahumetes Christo. 2.

Vel, quòd circa Lunæ corpus miraculum se patrasse iactet Mahumetes. 3.

Fabulatur enim se aliquandò, præsentibus quibusdam amicis, lunæ motum & positum contemplatum fuisse. Ijs autem miraculum videre cupientibus, se, nutu digiti sui, Lunam ad se vocâsse, quæ continuò in duas partes diuisa sit, & earum alteram in montem, cuius radicibus vrbs Mequa adiacet, alteram in oppositum decidisse, eam verò euestigiò à se iterum in integrum, & nitori pristino restitutam.

In cap. Delchamar.

Sic apud Io. Theodorum & Io. Israelem de Bry fratres c. 9.

Bellarminus verò ità refert; *In Alcorano Mahumetus fatetur, Christo miracula, sibi gladium esse datum: tamen c. 64. dicit tantum semel in Luna nescio quod miraculum fecisse, non enim clarè explicat; expositores autem dicunt aliquandò Lunam in duas partes fuisse diuisam, tunc Mahumetum eam in manus accepisse, & reparatam ad cælum remisisse, sed neminem fuisse, qui videret hoc miraculum, nisi auctorem,* id est Mahumetum.

Bellarmin. in notis Eccles. nota 11.

Quære peregrinum, & Dionanti vel Melbodij natum, qui credat. Ad populum phaleras.

Vel, ideò Luna in honore, quià Mahometus 4.

metus homo Lunaticus fuit.

5. Vel, quià Luna cerebro dicitur dominari, cuius Mahumetes fuit egentissimus, & qui eum sequuti, vnde & Mori, id est stulti dicuntur.

6. Vel, quià, vt Lunæ lumen dumtaxat, precarium est,ità si quid Alcorano insit veri vel boni, ex nostris scripturis mutuatum sit, ad faciliùs perniciosiúsque obtrudendam falsitatem ac nequitiam.

7. Vel, quòd Ismahelitæ, ex quibus Mahumetus erat, ad Heraclij vsque tempora colebant simulacra, Astarten, quæ Luna est, adorantes, quam & Chabæram nuncupabant, hoc est, magnam.

8. Vel, Deo ità permittente, vt significetur facilis imperij illius mutatio, quod selinotropion & Lunisequum dicere possis, & instar earum plantarum esse, quæ lunarem motum consectantur.

Proclus de sacrificio & Magia. *Similitudo ipsa, sufficiens causa est, ad res singulas vinciendas*, ait Proclus.

Certè Luna perpetuum inconstantiæ signum.

Stultus vt luna mutatur.

Lib. 3. de vetula. Autor de vetula (quem Ouidium quidam putant) certè lunarem legem quam vocat, putat non valdè diuturnam fore, argumento à naturâ lunæ sumto;

--- *Lunaris* (ait) *motûs corruptio, legem*

Omnem

Omnem significat tolli debere per ipsam:
Fœda fides erit hæc, quam Rex in fine dierum
Siue potens aliquis, violenter & absque colore,
Est inducturus, qui diuinum sibi cultum
Vsurpare volens, occîdet, & obprimet omnes
Contradictores:
Sed durare parùm poterit, quià Luna figuræ,
Motus, & lucis est mutatiua frequenter.

Quæ quis vetet intelligi de Mahometi lege, quæ, legibus cæteris, quà quà potest, abrogatis, fœdissimam induxit viuendi licentiam, quęque violenter & absque colore, gladio non miraculis inualuit, & lunaris est, à Lunæ veneratione? Etsi non inficier posse & de Anti-Christo intelligi.

Ergò, vt luna ad tempus breue, obpositu corporis sui opaci, Solis eclipsin facit; ità Lunare hoc Turcarum Imperium léxque Mahometi, Christi veri Solis honori, ac cultui, eiúsque Ecclesiæ, magnas quidem, sed non permansuras tenebras effundit. Non solent eclipses esse diuturnæ.

Peruincet sol tandem, peruincet, & clarissimus aliquandò, ac breui, spero, stabit pro Iosue contra Gabaon, neque vlterius mouebitur.

Denique, si qua fides leuiculis ostentis futurorum, ecce & ostentum aliquod vobis ruinæ illîus non leue. Ab ostento aliquo non leui.

Amurathes tertius Imp. Constantinopo-

Crespetius Scholio in c. Catechismi Pij 2.

lim nuper ingrediens, terno iàm prælio à Persis victus, ex equo non sine capitis sui periculo delapsus est.

An fortè id tantùm valiturum, quantum ea quæ de Iulio Cæsare interituro recensentur?

Plutarch. tom. 2. vit. in Cæs.

Plutarchus enim refert, Rom. Senatum aliquandò pinnaculum, quasi honoris causà & maiestatis, ædibus Cæsaris addidisse, Calpurniam verò vxorem sibi visam fuisse id collapsum lamentari. Alius aliquis columnam in foro illi positam fuisse, atque in ea statuam Cæsaris nomine inscriptam putauit, cuius prima litera C. fulmine cælitùs icta sit abrasa, mortis indicio.

Item, nocte neci præuia, ianuas valuásque fenestrarum conclauis sui apertas magno impetu, sensisse illum, addit Plutarchus. Item, literas, ipso parricidij die, coniurationis indices, ab Artemidoro quodam accepisse, nec tamen etsi Artemidorus diceret, *Hunc libellum, ô Cæsar, solus lege, & celeriter: scriptas enim continet res magnas, & tua plurimùm referentes*, legere illas potuisse, interpellante conantem multitudine. Item, ariolo, qui ei prædixerat, vt Idibus Martijs magnum periculum caueret, Cæsarem Idibus Martijs, in Senatum euntem, illusisse, dicentem, Idus Martias iàm venisse; & ariolum submissa voce respondisse, *Næ illæ venerunt,*

runt, sed nondum prateriérunt.

Denique etiàm egredientem domo pedem ad limen offendisse, (quod mihi videor alicubi legisse, aut à doctis audisse) tandémque his ostentis præeuntibus, in Senatu 23. vulneribus confossum, à Bruto, Cassio, Casca, & cæteris coniuratoribus, interîsse.

Plutarch. in Cæsare tom. 2. vitarum tot ponit.

An non & fortè ille, ex equo, Imperatoris iàm ter victi lapsus, ostentum ruinæ Imperij est? & si ego ostentis talibus vix vllam habeo fidem, possint tamen aliqui esse qui habeant.

Cæterùm, alia illa cogitate Reges Principes &c. quæ dixi, hoc ipsum vaticinari, & hac spe coite, concurrite, vt quisque vel digito vno impellat fatiscens illud imperium, vt sic leuis opella singulorum, sed magna à multitudine coniuratorum, magnam optatámque edat Babylonis illius ruinam. Amen. Amen.

PHILIPPICÆ X.

NOTÆ.

Thema. *Vsquequo Domine irasceris? in finem? accendetur velut ignis Zelus tuus?*

FACTA repetitione vsitatâ, sic propositum.

Dicendum rursus hodie videri mihi proximum ruinæ, Turcarum Imperium, partim

1. *Ex biblicis Prophetijs, item ex apocryphis tàm nostrorum, quàm ipsorum Barbarorum;*
2. *Maximéque ex 7. aut 8. rationibus, seu coniecturis.*
3. *Per quem sit Turca superandus.*

AVE.

I.

¶ *Prophetiæ iterùm quædam de ruinâ Imperii Turcici propinquâ.*

Cur prænuntiet Deus calamitates.

FERE adsolet Deus calamitates ingentes, & clades, prænuntiare, aliquando ad suos fugâ seruandos; aliquando ad consolandos, spe meliorum, ac mutandarum rerum; aliquando ad corrigendos, vel terrore scelerosos.

Psalm. Hinc Psalm. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur*

tur, dilecti tui.

Sic Noë, diluuij præmonitus multo antè tempore. Genes. 6.

Sic obedientes Israelitæ, vt *recederent à tabernaculis hominum impiorum* Core Dathan &c. ne dehiscente terrâ, cum illis *descenderent in infernum viuentes.*

Sic, instante Hierosolymorum excidio, auditæ voces; *Fugiamus & migremus hinc &c.* Sed & aliquandò id præstat, vt spe meliorum animos suorum erigat. Res clara est.

Hùc ergò etiàm puto, ruinā Imperij Turcici, per Prophetas hos illósque, Deum prænunciari voluisse; ex quibus quià nonnullas iàm adtulimus, superest, vt cæteras, quas habemus, imò & coniecturas nostras probabiles producamus, vt spe istâ erecti, admoueamus cum numine dextras. Turcici Imperij ruina prænunciata a Balaamo videtur.

Balaami ergò vaticinum si ad Turcarum excidium cuiquam trahere libeat, non admodùm repugnabo. Illùc enim satis inclinat. Semel.

Id autem ità in Numeris recensetur: *Balaam cùm vidisset Amalec, aßumens parabolam ait: Principium gentium Amalec, cuius extrema perdentur. Vidit quoque Cinæum, & aßumtâ parabolâ, ait: Robustum quidem est habitaculum tuum, sed si in petrâ posueris nidum tuum, & fueris electus de stirpe Cin, quamdiu poteris permanere? Aßur enim capiet te.* Num. 24.

Acci-

1. Accipiamus enim Amalec, vel propriè, pro ijs populis, qui ad Amalec filium Ismaëlis genus referunt; an non Saraceni, & ipse eorum Legislator Mahometus, Ismahelitæ sunt, atque Amalechitæ? vel paulo largius,
2. pro ijs, qui Amalecitârum aut Ismahelitarum superstitione sunt imbuti, ab iisque ità efformati, vt Amalecitæ dici possint; An non Amalec, Turcæ, vt qui Alcoranum opus Mahumeti Ismahelitæ amplectuntur? An non item & Tartari, qui eodem luto hęrent, Amalechitæ veri? vel largissimè, pro
3. illis vniuersis, quibus significatum vocabuli Amalech maximè congruit, & epitheton illud *Principium gentium*; etiàm sic nemo, vt ità loquar, Turcis ipsis est Amalecior.

Nàm si Amalech verè, vt quibusdam videtur, idem quod *gens bruta*, aut *lambens*, aut *percutiens*; quæ gens vel sub cælo nostro, vel sub altero apud obpositos Antipodas magis bruta, quàm Turcarum, qui sanè feris omnino sunt simillimi, crudelitate, & libidinibus, quibus & lex sua & legislator suus maximè sunt infames?

Vide Philippicam sup.

Scythæ scilicet maiores eorum, *gens immunda, & ignominiosa, fornicaria in cunctis stuprorum generibus*, ait Plinius.

Pius 2. lib. 1. epist. ep. 131.

An non *lambens* est Turcarum populus, fellator Lesbiator, fæminarum omnium concubitus, gustans & delibans?

An non

An non *lambens*, qui, inſtar maris litora ſua lambendo demolientis, ità ſenſim lambendo, ac velut aliud agendo, terminos Chriſtianiſmi pænè vniuerſos demolitur? Ergo Turca Amalec.

Si Amalech, idem quod *percutiens*, quæ gens Turcarum manu non percuſſa, *cuius manus contra omnes*, cuius tota lex, & ius, & vita in armis, in cædibus, in mortibus? Cui *lex iuſtitiæ fortitudo*? Aries *cornu ferit ille, caueto*, vt Amalech merito dici poſſit. Geneſ.

Denique, ſi dicitur *Amalec principium gentium*, vel quia primi Iſraëlitis, ex Ægypto egreſſis, armati obcurſarunt, vel fortè, quià pro illuſtriſſimâ tùm gente ſe venditabant, aut habebantur, eâ phraſi, qua dictus eſt Lucifer *principium viarum Domini*, pro operum diuinorum, vel Angelorum illuſtriſſimo; etiàm ſic Turcæ, veri Amalec, Turcæ veri Amalec; Ipſi enim omnium maximè veris Iſraëlitis ſpiritu non litera aduerſantur; nulla in Chriſtianiſmum perſequutio, Mahumetana ſæuior, nulla nocentior, nulla coniuratior. Imperator enim ipſe dum inauguratur imperio, imprimis iureiurando ſolemni ſe obligat, ad implacabile cum Chriſtianis odium, ad delendam continuis bellis, omníque crudelitate, nominis Chriſtiani memoriam; quod ni præſtet, Sacerdotibus, ac militibus gentis fit odioſiſſimus,

Dux la Nouë, discursu politico 22. fissimus, ait Dux la Nouë.

Turcæ Amalech Turcæ Amalec, *principium viarum Domini*, quorum Imperator se dominatorem Mundi, Regem Regum, & Dominum Dominantium &c. iactare audet & scribere, vti mox aiebam, & nos miseri eum magnum Dominum nuncupamus.

Turcas igitur hîc videri potest intelligere voluisse sub nomine Amalec; & vaticinij illîus pars aliqua ad istos hostes nominis Christi coniuratos pertinere.

Videamus igitur quid canat? CVIVS (inquit) EXTREMA PERDENTVR, id est, tandem, ante Mundi conflagrationem, de fastigio suo Turcæ deturbabuntur.

Num. 24. *Heu quis victurus est, quando ista faciet Deus!* O vtinam me Deus & natura in tempora illa reseruassent!

Sed &, quod idem Balaam, de Cinæo ait, non malè de ijsdem intelligi queat; *Vidit quoque Balaam Cinæum, & assumptâ parabolâ, ait: Robustum quidem est habitaculum tuum, sed si in petrâ posueris nidum tuum, & fueris electus de stirpe Cin, quamdiu poteris permanere? Assur enim capiet te.*

Nam vide; Cinæus, id est vel *possidens*, vel *lugens* deducto à Cin nescio quo viro vocabulo. Cin autem significat vel *possessionem*, vel *lamentationem*. Quàm quadrant hæc significata Turcarum populo. Nam is nùnc quidem

quidem *Poßidens* per Antonomaſiam cognomento dici poteſt, vt cui Aſia, Africa, & Europæ pars melior ſeruit, qui in ditionibus numerat imperia tria, 72. regna & amplius, cuius nec caput coronis Imperialibus, Regijs, Comitialibus &c. nec manus ſceptris gerendis ſufficiat; qui faſces integros ſceptrorum geſtare ſi velit, poſſit, qui ad verba ſingula velut eructare regnũ vnum poteſt imò imperium. O Cinæum! ô magnum poſſeſſorem! Et iterum.

Quod additur, *robuſtum eſt habitaculum tuum, & nidus in petra poſitus*, id eſt, naturâ loci munitiſſimus es; nihilominus Turcæ quadrat, cuius Imperij ſedes Conſtantinopolis, noua illa Roma munimentis admiranda, cuius regnum omne arcibus, militibus, maximè Ianitzaris, opibus, concordiâ, imò coniuratione munitiſſimum eſt, adeò, vt ferro frangi, aut debilitari poſſe timidis quibuſdam non videantur.

Attamen, Cinæus etiàm idem quod *lugens*. Quàm aptè! quaſi quodam præſagio futuri, quo *extrema gaudij* eius *luctus occupabit*, amiſſis tandem aliquandò cum mærore, quæ cum tanto amore nùnc poſſidet, & ſpe illâ ingenti fruſtratus, qua iàm animo Romam deuorat totúmque Occidentem.

Optimè verò interrogatiuè de illo dicitur, *Quamdiu poteris permanere*? quaſi ſpe illorum,

rum, & Christianorum desperatione breuius sit futurum ipsorum Imperium q. d. quantilla erit Imperij tui diuturnitas? Tuæ tyrannidi metæ rerum decretæ, & tempora certa, eáque spe longè breuiora, adsignata ab illo Triumuiratu, per quem reges regnant.

Denique, certum aliquid adijcitur; *Aßur enim capiet te*, Christianus populus Christíque Ecclesia te subiugabit; Nam cur, à significati ratione, Assur non vocem Christianos?

Aßur enim, id est *beatus*. Et Christianus vnicus est in populis beatitudini destinatus, natus, & renatus; hîc beatus in spe, conscius fidei rectæ & charitatis; alibi post exactam vitam, beatus in re. O Assur noue, Christiane! ô beate!

Vel; *Aßur capiet te*, id est Christi Ecclesia; Assur enim Iudeæ ciuitas fuit abs Salomone ædificata. Illa illa ergò ciuium vnitas, quos Christus verus Salomon, Fidei Charitatísque vnitate, in Iudæa in confessione & glorificatione Domini, compegit Assur est, & ille ille *Aßur capiet te*, Ecclesiæ iugo aliquando colla submittes.

Item a Daniele. Vel; *Aßyry* quod idem est ac *dirigentes*, id est Christiani alijs ad virtutem duces commodi, *capient te*. O metuendam vobis ô Turcæ Prophetiam!

Præte-

Prætereà: quid sibi vult illud Angeli, ad Agar grauidam, de Ismahele generis vestri principe, *Hic erit ferus homo* (vbi Hebræus habet pro ferus, Phara, quod onager sonat) *Et manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum*, an non armandas aliquando contra vos manus gentium cæterarum ait, atque ità casuros vos, cùm ne Hercules quidem contra duos?

Quid? Oculatissimi illi prophetarum, Daniel & Ioannes Euangelista, ruinam Turcicam videntur etiam subindicasse.

Daniel enim ait *regnum* (Christi) *à Deo suscitandum, quod in æternum non dißipabitur, quod comminuet & consumet alia vniuersa, & ipsum stabit in æternum.* Daniel. 2.

Si statura Ecclesia in æternum, si eadem cætera vniuersa est comsumtura, ergo etiàm tandem & tuum inter cætera.

Ioannes Euang. postquàm dixit, ab Angelo euangelium ęternum habente dictum fuisse, (*Venit hora iudicii Domini*) refert, ab alio Angelo dictum esse cum iubilo & ouatione magna, *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes*, quasi casura sit Babylon sub Iudicij tempus, id est vos temporibus fortè nostris, in quæ fines sæculorum adparenter deuenerunt. Et a Ioann. Euangelista. Apoc. 14.

Quid enim Babyli, id est confusioni, & Chao

Chao illi magno ſimilius, quàm lex Mahometi, legum multarum velut confluentia confuſa; lex iura & diuina & humana peruertens; lex nefanda atque infanda ſcelera permittens; lex ſtupra & adulteria cum captiuis emtiſque mulieribus diſſimulans; lex vxores multas ſimul, & repudia earum multories iterata concedens? & quid non?

Et minio hoc nota, quod non (*Babylon*) ſimpliciter dixit Propheta, ſed *Babylon magna*, velut iſtam vnam ſectam notans, præ cęteris erubeſcendam.

Vini fornicationis etiàm notanter meminit, quod gens, & lex illa vniuerſa, mera libidinum magiſtra ſit, atque officina, vndè non malè vocare poſſis Mahometem, verum Orci procuratorem, aut primum Satanę Legatum aut ſatellitem.

Et Chriſto ipſo,

Quid? Prophetarum omnium inſpirator Chriſtus etiàm videtur obſcurè, quià metaphoricè, aliquid tale ſubinſinuaſſe.

Matth.16.

Ait enim: *ſuper hanc petram* (Petrum ſcilicet) *ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam*, vbi minùs dicendo, plùs ſignificauit per Liptoten.

Semel,

Significare enim voluit, non tantùm Eccleſiam portis Inferi non ceſſuram, ſed & ipſis pręualituram.

Sed ais; quid portis Inferi & Turcorum imperio? Audi.

Sunt

Sunt quidem portæ Inferi, præter alia multa, hæreses, peccata, quibus ad Inferos itur (scio:) sed quidni etiam significent hæ portæ vim Turcicam? Nàm Turcæ regiam Imperatoris, & locum, in quo sedes regni est, qualis nùnc Constantinopolis, & ante illam Adrianopolis, ante illam Nicæa, initiò Burusa, portam vocant, & eorum maiores, ex Caspijs portis, mihi putantur erupisse. Ite nùnc Turcæ, & spe Ecclesiam deuorate; Ite, quicunque Turcicam potentiam vinci posse desperatis.

Et quid est denique, *fiet vnus pastor, & vnum ouile*? An non si id fit, vti necesse est, nisi Veritati mendacium libeat adfingere alterutrum nostri exinaniri ac nihil fieri oportet, alterique cedere, sic vt corruptio completa vnîus, fiat perfecta generatio alterius? Planè. Sed regni Christi ac Dei nostri non erit finis, vt habent tot sacra oracula; nec Turcarum Portę, imò nec Inferorum præualebunt aduersus illud. Ergò, aut aliquando nulli erunt Turcæ, aut erunt Christiani, & ad ouile ac pastorem nostrum pertinebunt. Et iterum.

Moysen ferè præterieram: Et is, ipso mortis suæ die, multa de Iudæorum fortunis infortuniisque vaticinatus, tandem hâc periodo conclusit: *Laudate gentes populum eius, quia sanguinem seruorum suorum vlciscetur, & vindi-*

Deut 32. Et a Moyse forsitan quoque.

vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui; quasi prænuncians, reliquias Israelis saluas fore, eiectis Turcis.

Multa vett. & neotericorum vaticinia, (ex quibus vt vt alia alijs Regibus ac Principibus Christianis gloriam domiti Turcæ adscribant, tamen illò omnia conueniunt, vt victum iri aliquandò à Christianis Turcam prædicant) nùnc prætereo, de illis mox suo loco dicturus. *

* *3. parte huius Philippicæ.*

Sed rursus, ad Turcarum ipsorum, de se, oracula redeamus.

Scotus in 1. sent. q. 2. prologi via septima cõtra obijcientem de permanentia secta Mahometi. Sed & a proprijs ipsorum prophetis.

Scotus noster subtilis, postquàm dixit: *In breui, Deo cooperante finietur secta Mahometi, quæ multùm debilitata est anno Christi* 1300. *& eius cultores multi mortui, & plurimi sunt fugati*, adijcit, quod ad rem hanc nostram facit: *Et Prophetia dicitur esse apud eos, quòd citò finienda est secta illa.* Vtinam vir ingeniosus, quæ sit illa, etiàm commemorâsset!

Sunt tamen, qui finiendam dicant, cùm quidam ex Christianis Regibus Mecham ciuitatem, in qua ossa Mahometi sepulta sunt feretro ferreo, quod, instar statuæ Serapidis Alexandriæ, in aere Magnes suspensum tenet, euerterit, &, sepulcro comminuto, ossa nebulonis disperserit.

Id isti probant, ex libro Arabicè scripto, ante Damiatæ (quam veteres Pelusium vocabant) captiuitatem inuento, apud quem

signum

signum illud destructionis Mahometanę legis dari adfirmant. Velim librum vidisse.

Schiltpergius verò quidam in historia *indicat, se quondam ad Nicopolim, vnà cum cæteris Christianis militibus, profectum, illicque affecto Sigismundo Imperatore insigni illa clade, ab immanissimis Turcis fuiße captum, & belli iure, serui loco habitum, per triginta captiuitatis suæ annos diuersa loca peragratum, peruenisse tandem ad Abrahami Patriarchæ ilicem, in valle Mambræ Amorrhæi iuxta Curiam suam, vbi & supremum mortalibus expectandum Iudicium, mundi sub origine deplantatam: quæ à Gentilibus sacrosancta ideò habeatur, & solenni quodammodo consecratione veneretur, quòd particula de hac, quantumuis minima, collo suspensa, regio siue Herculano medeatur morbo. Vndè & factum, vt & hæc à Sarracenis & Mahumetanis muri ambitu circumsepta, peruigili custodiatur curâ: & Turcarum Tyranni huius titulo se hucusque voluerint præsignire, exaruiße hanc, Christo Deo & Saluatore nostro crucis in lignum elato, & eam anteà, priusquàm victor ille gentium, missus ab Occidente Imperator, virtute & armis illùc profectus, rei diuinæ mysteria ceremoniásque, & omnem purioris Christianismi cultum ex integro restituat, reflorere non posse. Et id non tàm nostrorum adsertationibus, quàm etiàm Gentilium & Sarracenorum comprobatum prædictionibus.*

Ex Melchiore Soitero lib. 1. de bello Pannonico.

Audisse videor ab aliquo Legati cuiuspiam ad illos comite, declinaturum illorum

Imperium, cùm ex Danubio equos suos adaquârint; Itáque valdè illos ac studiosè id cauere.

Cæterum, videtis, vt pleni sint sacri libri, & apocryphi nostrorum hominum, vt plenę sapientum voces, vt plena Turcarum, Saracenorum, & Barbarorum volumina, vt plena vulgi ora prædictionibus, minis, signis, fama ruinæ vasti illîus Imperij Turcici; videtis præsagîri, Christianorum & hominum Occidentalium manibus, victum iri Orientem; videtis Turcas sæpè de his cogitare, legere, loqui, timere, conari contra fata ad sui amplificationem, nostri ruinam; Nos contrà proh dolor! nihil de his cogitare, non sequi ducentem ad bella Deum, & velut classico vocantem ad arma tàm iusta, tàm sancta, tàm aris nostris, tàm opibus, tàm focis, tàm libertati, tàm vitæ tuendæ necessaria, omissis, aut (si nondum ità libet) saltem tantisper intermissis feralibus istis, & parricidialibus ferè dixi, bellis; Sed potius, *Bella geri placuit nullos habitura triumphos*; bella illa inquàm, in quibus sæpè.

Quo intolerabilior Christianorum ignauia hic dormiéntium.

Alibì peius forte vigilantium.

Lucan. lib. 1. Phars.

Imminet exitio vir coniugis, illa mariti; Bella, in quibus *infestis obuia signis*.

Ouid. lib. 1. Metam.

Lucan. lib. 1. Phars.

Signa, pares aquilæ, tùm pila minantia signis; Bella in quibus perit victus, luget victor; bella, in quibus nescias quid quæras, quid reposcas? bella in quibus nil tandem nisi

Cad-

Cadmæa victoria est; Bella, in quibus lucra ipsa, damna magna sunt.

Vel nunc tandem his occasionibus *Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.*

Ecce; Digitum dumtaxat vnicum ex Regibus quisque admouerit, mox ruerit immensa illa Imperij Turcici moles, quæ adeò nunc omnibus perstat formidabilis, vocantibus scilicet nunc nos atque iuuantibus (vt sic dicam) fatis & Superis.

Nil, nihil, inuitis fas illos fidere Diuis; *Virgil 2. Æneid.*

Nil irato Deo, nil inuita Minerua, Turcæ effecerint, si nos, fauentibus, imò ducentibus Superis, *præliemur bella Domini.*

II.

¶ *Rationes, aut coniecturæ aliquot breui ruituræ Turcarum Tyrannidis.*

Turcicum Imperium breui ruiturum etiam probant graues coniecturæ.

SED esto, nullæ sint prædictiones; aut si quæ sunt, pro fabulis anilibus, pro canoris nugis, abs modicę aut seuerioris fidei hominibus habeantur: quid agant, si rationibus hoc ipsum euinco, vel, vt sic vocemus, coniecturis? quæ non paucæ mihi, nec leues.

Turcico enim Imperio rui- {
1. *Iniquitate occupandi nimia;*
2. *Prosperitate nimia illa quoque;*
3. *Superbia intolerabili;*
4. *Tyrannide,*
}

nam instare, mihi adparet, ex
5. *Vastitate Imperij*;
6. *Similitudine aliorum Imperiorum*;
7. *Corruptelâ disciplinæ Domi, militiæque*;
8. *Dissidijs Religionis*.

Ab iniqua occupatione,

* I. *Iniquitate* occupãdi aliena. *Alieno in loco. Haud stabile regnum est.*

Senec in Hercul. furente.

Senecæ; *Iniqua nunquam regna perpetuò manent.*

Vulgo, *Malè parta, malè dilabuntur.*

Senec. in Medea act. 2.

De malè quæsitis vix gaudet tertius hæres.

Senec. in Med.

Quæ scelere parta est, scelere linquetur domus.

Initia regni illîus, sed & incrementa Deus bone! quàm iniqua!

Initiò, Mahometes miles stipendiarius, secessione factâ, suos in Imp. suum Heraclium, & Christianos armauit; Damascum &c. occupauit.

Non persuasionibus, aut miraculis, ius imperij ac legis ostendit, sed ense nudato & elato q. d. vt Lycus ille quondam Imperij Herculis occupator, *Ius est in armis*; & vt alij, *Lex iustitiæ, fortitudo nostra.*

Incrementa verò & accessiones, quàm multæ per dolum, perfidiam, pactorum, & iurisiurandi violationem? Ingenium certè aut dolus vires superauit.

Ferè, quà ingressi dominatum Tyranni, illàc egressi aut eiecti; si per fenestras, è fenestris; si per cædes, cædibus, si per dolos, dolis, &c.

Nàm

Nàm per iniuriam victor quî victum oppressúmque habeat beneuolentem?

* 2. *Prosperitate nimia*; vt mari tranquillitas nimia index est tempestatis; sic homini infortuniorum, fortuna nimis adridens. A nimia fælicitate,

Ab altitudine diei timebo, ait Psalmista. *Psalm.*

Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat.

Claudiano --- *tolluntur in altum*, plerique *Claudian. lib. 1. in Ruffinum.*
Vt casu grauiore ruant.

Reges multi & magni ità sensêre. Amasis Ægypti Rex ep. ad Polycratem Samiorum Principem fælicissimum; *Tam diuturnus (inquit) fælicium rerum cursus animum meum aliquantisper monet solicitum, quippe qui sciam, quantùm inuidiæ secunda fortuna obnoxia sit*, ibíque eundem hortatur, velut purgamenti loco, abijcere rem, cuius iacturam ferat permolestissimè. Quod cùm Polycrates fecisset quidem (vt in responsorijs ad Amasin ipse testatur) smaragdo pulcerrimo & carissimo de biremi in mare proiecto, sed eundem piscis exceptum captus ipse posteà ac dono datus Regi, reddidisset, ipse tandem ab Oræte Persâ comprehensus, arbori infœlici suspendi iussus est; Ità, plùs nimio adridere cuiquam Fortunam, exitiosum est. *Vide Herodot. in Thalia & Strabonem lib. 14.*

Theramenes vnus de 30. Athèniensium Tyrannis, cùm, collapsâ domo, in qua cum alijs compluribus cænabat, solus euasisset *Plutarch. tom. 1. moral. consolat. ad Apollonium.*

 mor-

mortem, multíque eo nomine ipsum beatum prædicarent, magna voce sic exclamans: *O fortuna cui me reseruas occasioni*, vidit pericula minari nimium ridentem fortunam, non multo pòst tempore, excruciatus tormentis, iussu collegarum, è vita decessit.

Plutarch. ibid. Philippus Macedonum Rex, Alexandri Magni pater, cùm, eodem tempore, tres lætos accepisset nuncios: vnum, quòd quadrigæ ipsius Olympia vicissent: alterum, quòd legatus ipsius Parmenio pugna Dardanos superasset: tertium, quod vxor Olympias marem ipsi peperisset: manibus ad cælum intentis, *O fortuna, inquit, modico isthæc compensa damno*, scilicet intelligens, solere fortunam magnis inuidere prosperitatibus.

Paulin. in vit. D. Ambros. D. Ambrosium, Episcopum illum serium, & Imperatoribus ipsis terribilem, atque venerabilem, tradunt, cùm apud diuitem quédam, hospitandi gratia diuertisset, qui se nihil vnquàm in vita aduersi passum iactaret, euestigiò cum suis recessisse, dixisséque, ideò se indè fugere, ne vnà cum homine perpetuis prosperitatibus vso simul periret. Haud ità procul excesserant, & respicientes vident ædes illas, cum omnibus qui illîc erant, hiatu terræ iam absorptas.

Non tot Scylla aut Charybdis scatet periculis, quot adcachinnans Fortuna.

Tunc diuina, cum Deo ipso, tunc preces & vota

& vota negliguntur. *Raræ fumant fælicibus aræ*, ait ille.

Tunc amici, tunc pares & socij superciliosè despiciuntur; inferiores inhumaniùs habentur, atque irritantur fortè vindicaturi.

Tunc sui, tunc conditionis humanæ magna obliuio; *Fragilitatis humanæ nimia in prosperis rebus obliuio est*, ait Q. Curtius.

Tunc in Deum blasphemiæ, velut, ex pari, cum Deo ludentium, & colluctantiũ.

Vndè & Iob sacrificat pro filijs, ne fortè benedixerint Deum, conuiuiorum, & iocorum tempore. *Iob.*

Tunc relinquitur Cælum Deo; sibi perpetua in Terris vita optatur. *Cælum cæli Domino, terra autem filijs hominum.* *Psalm.*

Tunc Deos nos facimus, sublato illo Opt. & Maximo; tunc, cum Nabuchodonozoribus, cum Alexandris, & volumus nos, & iubemus adorari, atque in Deorum numerum canonémque referri.

Sed Mahometanum illud Imperium à suis adhuc initijs ità fælix, ità concors, ità perpetuò crescens cum Luna sua vt *penè, effundi* possint *gressus mei*. *Psalm.*

An non igitur, in tanto victoriarum cursu, putas, fortuna tandem illis inuideat, atque ad ingentem ac properam ruinam reseruet? Suspicor, & votis flagrantissimis, propter Christum meum, velim.

Non

Non frustrà instabilem Deam illam globo consistentem pingunt, vt quæ diu stare nec ipsa possit, nec alia, quibus dominari fingitur, velit.

Omnibus rebus sua vicissitudo.

Rotam illa suam inconstantem constanter indefesséque agitat, cuius conuersione, deiectos extollit, claros deprimit, seriùs aut citiùs. In vtramque partem, pollet hæc Dea miraculis, in alumnos sæpè suos, quàm in cæteros, iniquior.

Michael. Glycas p. 3. annalium. Suldanus nescio quis id vidit, de quo sic Glycas: *Quum à Francorum Principe captiuus detineretur, totúmque biennium in vinculis exegisset: nunquam eum ridentem aliquis conspexit. Tandem Francus, intellecto Suldanum risisse: de ipsomet risus illius causam quærit. Tùm ille, se plaustri rotam intuitum, respondet, quæ modò sursùm, modò deorsùm ferretur. Et se casus suos adcommodantem, non potuisse non inæquabiles rerum humanarum vices ridere.*

Simul parta, ac sperata decora vnius horæ fortuna solet euertere, ait Liuius.

A fastu. * 3. *Superbiâ*, victoriarum, & rerum secundarum perpetua comite, qua adfectos solet Deus humiliare.

Prou. 16. *Abominatio Domini est omnis arrogans, etiàm si manus ad manum fuerit, non erit innocens.*

Deus superbis resistit.

Luc. 18. *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur*, sæpè sæpius

pius à Christo repetitum.

Omnis collis humiliabitur. *Isaia.*

Dispersit superbos mente cordis sui.

Superborum & sublimium colla propriâ virtute calcaui.

Vt *Feriunt summos Fulmina montes*, & turres: Ità Deus animos sublimes.

Sequitur superbos Vltor a tergo Deus. *Senec. in Hercul. furente.*

Nôsti *Adrasteian* illam *nemesin*, quæ quos extulit, ob fastum, ex improuiso deturbat.

Sub Deo curuantur, qui portant orbem Reges, atque Imperatores. *Iob. 9.*

Dic sodes; quem, vel ex priuatis, vel ex Regibus, vel ex populis superbis dabis, non posteà deiectum?

Vt Luciferum donis Dei elatum; ità ad Inferos detractum audîsti. *Isai. 4.*

Vt Adamum, scientiam Dijs parem adfectantem legisti; ità & eâ, quâ iàm tum pollebat, destitutum, &, extra paradisum, deportatum in vastam Mundi huius Insulam cinctam Amphitrite legere potuisti. *Genes. 3.*

Nabuchodonozorem nemo nescit apotheosin, & sui in Deos relationem adfectâsse; nemo etiàm nescit, ab hominibus explosum, ad bestias esse damnatum, & cor feræ illi datum esse. *Daniel.*

Sennacheribum, digna atque indigna iactantem, & Deum verum imbelliæ arguentem, milite & castris vna nocte exutum nô-

runt

runt vel tonsores, ac tandem, à filio, ante aras lararias interfectum.

Quid Gygantes illos memorem, quos regnum cæleste ferunt adfectasse, Iouémque suis detrudere regnis? Nam & illos quoque & fulmina & montes obruêre.

Quid illos Babylonicæ turris Architectos? Nàm & illos linguæ vnîus in 72. partitio, infecta re, disgregauit.

Daniel. *Gradientes in superbia potest Deus humiliare,* & reuerà humiliat.

Gallos ferunt, anno 1395. cęsis iàm Turcarum quamplurimis, ac fusis, aliquot prælijs, animos erexisse, ac iactasse, lanceis, quas adtulerant, non modo Turcas superari, sed & cælum, si ruinam minaretur posse sustineri. ô iactantiam arrogantem! sed audi multam. Cùm Nicopolim obsidione cinxissent, Baiazetus sexaginta milibus equitum comitatus illos inuadens, fudit vniuersos, & Burgundionum Ducem, cum alijs nonnullis cepit, restitutos non priùs libertati, quàm is ducenta aureorum milia numerasset.

Carolum illum V. Imp. Max. inter cætera apophthegmata etiàm istud dixisse ferunt; *Hispanicus fastus perdet Belgium meum,* quàm verè aliorum esto iudicium, putauit tamen Heros Max. fastum, iter regium esse ad ruinam.

Demo-

Demosthenes, Philippi adparentem indè ruinam arguit, quòd homines præter meritum fælices, fortunæ prosperitatem, ob ingenij nequitiam, tueri non possunt. occasionem enim prouerbio dederunt, quo dicitur, *difficilius esse tueri parta, quàm parare.* Demosth. Olynthiaca I.

Et ferè solent homines, ante deiectionem, fieri insolentiores, seu in rebus salutis ac spiritalibus, vt vocant, seu in politicis.

Contritionem præcedit superbia, &, ante ruinam, exaltabitur spiritus. Prou. 16.

An non suprà *audiuimus superbiam Moab* istîus? *superbus est valdè. Superbia eius, plusquàm fortitudo eius.*

Turcarum acta, verba, Literæ, cogitationes, nil nisi fastum spirant, vt hominum, spe, totum Orbem deuorantium, & scalis Cœlum ipsum tandem impetiturorum.

Ergò senso meo, tantæ superbiæ ruina ingens proxima est.

An non putas, breui Augustum illum Cæli Triumuiratum dicturum; *Venite, descendamus & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui,* atque indè dispersurum eos *super faciem cunctarum regionum*? Ità profectò mihi animus præsagit; Et faxit Deus, vt hîc *spiritum Dei habeam!* Genes. 11.

* 4. *Tyrannide,* quæ malus custos diuturnitatis regnorum est atque Imperiorum. A Tyrannide.

Cum

Demosth. de Chersoneso. Cum Demosthene, *Vrbis ego quidem* (imperiique) *opes in socijs, fide, beneuolentiâ esse positas existimo, quarum rerum omnium penuriâ vos laboratis*, ô Turcæ.

Nihil prodest, Ianitzaris stipari vndique, aut sagittarijs; nihil muro aheneo cinctum esse, quem beneuolentia bonorum deseruit.

Isoc. in Archidamo. Isocrates: *Ego in nullis socijs plus esse præsidij positum existimo, quàm in iustis actionibus. Consentaneum enim est, Deorum beneuolentiam hisce non defuturam.*

Adparet, non deserturos ciues Principem, quem amant & colunt; at insurrecturos cum hoste, in illum, quem vt tyrannum execrantur.

Senec. lib. 2. de ira. *Quem quisque odit, perisse expetit.*
Necesse est multos timeat, quem multi timent.
Tot pænè hostes, quot subditos, numerat.

Aristot. 3. Physic. Aristoteli, *Nullum violentum perpetuum*, at mihi, nec diuturnum quidem.

Senec. in Troade. *Violenta nemo imperia continuit diu,*
Moderata durant, ait Seneca.
Breuissima illa tempestas, quæ maxima.
Torrẽtes impetu magno voluũtur, sed breui,
Fluuiorum quià lentior cursus, perennis est.

Plato. Platoni, *Immoderata neque inuicem, neque moderatis sunt amica.* Sed Turcæ in victos violenti, vti superiùs à me ostensum est, atque immoderati, Ergò.

In victos. Rursus: Demostheni, *Non fieri potest, Athe-*

Athenienses, vt per iniurias, & periuria, & mendacia, stabilis potentia comparetur. Demosth. Olynthiac 2.

Sed, quid Turcis dolosius, aut fallaciloquentius? Diximus nuper multa in hanc rem, cùm de eorum crudelitate, etiàm contra pacta conuenta, ageremus, ex quibus illud sit, ipsorum legiferi prophetæ Mahumetis verbum esse, *El harbu hudiatum*, quo significare voluit, *prælia fraudem requirere.* Leunclauius histor. Musulma.

Perfidi sunt, & prætextibus ingeniosis abundant, ad fallendam fidem. Nemo est eorum, qui ipsis vsi sunt, quem non deceperint. Instar meretricum, amoris specie, fallunt.

Aut Turcæ Machianelli lecythos, aut Machianellus Turcarum exhausit. Ergò.

Deinde, Traianus sæpè se ex Neruâ audisse aiebat, *Nulli Deos tam irasci, quàm inclementibus.*

At quid Turcis inclementius, qui Clementiæ nomen nescio an sciant, à quâ subditorum beneuolentia, & Imperiorum firmitudo? vbi enim didicissent, qui suis quoque literarum studium penitùs interdicunt, & ingenuarum doctrinarum cognitione arcent? apud quos, nec in Græciâ quidem illâ sapientiæ fonte, vix vnus semiplenè Græcus? inter quos leges nullæ, aut paucę, eæque tyrannorum libidini commodatę? Ioan. Genesius Sepulneda ep. ad Carol. V. Imp. de bello in Turc.

Turcæ à Græcis non solùm tributa exigunt,

gunt, ad quæ vix ſudoribus continuis ſuffi-ciunt, ſed filiorum præſtantiſſimos abſtra-hunt (nec apertè patribus dolere licet) vt religioni in pueritiâ renunciare compulſi, & Mahometiſmo imbuti, idonei facti, fiant Regiæ Tyrannidis miniſtri, ab ipſis Genizari dicti, & in bello præcipui Chriſtianorum obpugnatores, ait Sepulueda.

Ad quinque aut ſex milia, ex gremijs parentum raptos, ex Prouincijs ſubiugatis, annuè Conſtantinopolim abducunt, ſectâ ſuâ, & armorum diſciplinâ imbuendos, ait la Nouë.

Dux la Nouë, 22. diſcurſu militari.

Chriſtianis aratoribus, vti bobus, vtuntur, de quibus ſuperius dixi latiùs.

Idem ibid.

Chriſtianos, quos non alio loco, quàm brutorum habent, ità apud ſe viuere patiuntur (ait la Nouë) vti nos boues & oues in agris noſtris, commodi noſtri gratiâ. Deindè, Chriſtianos ſi exterminarent, futura apud Turcas magna ſolitudo.

Quid dicam, quòd ſubditos ſuos, & clientes ſiue vaſallos, qui tributariorum nomine veniunt, & fœderatos, nullo propè diſcrimine, pro mancipijs habent? quod ſic malè habitos malè habet.

6

Imo & in ſuos

Quòd honoratiſſimi eorum omnem ætatem ità exigunt, vt alijs contumeliosè ac pro libidine imperent, alijs ſeruiant, animos humiles & conſternatos gerant? quæ res

res inferiores offendit.

Quòd inter eos nulli Satrapæ, nulli Tetrarchæ, nulli denique eâ potestate, ac dignitate, qua sunt apud nos Comites, Marchiones, aut Duces adpellati, qui sibi eam dignitatem initio per clara facinora pepererunt? quæ res Optimatibus dura.

Quòd inter eos cautum, ad Tyrannidem roborandam, non solùm intestatò sine liberis decedentium bona regio fisco adiudicentur, sed in omni hæreditate, Rex, tanquàm ex de mortui filijs vnus, pari cæteris portione succedat? quæ res consanguineis, affinibus, amicis sanè grauis. *Vide Genes. Sepuluedã vbi sup.*

Quòd inter eos (ait ipse Lutherus) *potentiores alys eripiunt bona, Vxores, & liberos pro libitu suo. Neque plebeij curant debitum Vinculúmque coniugale, ducunt & extrudunt Vxores, Vt lubitum fuerit, Venundant liberos?* Quæ res varios variè turbare, & ad defectionem irritare possit. *Lutherus in lib. Visitationis.*

Quòd inter eos modò rigidæ ac nouę tributorum exactiones, etiàm ab antehac exemtis iure quodam priuilegiorum? Hinc illæ Spahilarorum, Genitzarorum, aliorúmque militum, & Sacerdotum quoque Musulmanorum exsecrationes, & motus in ipsum Sultanum, & exactionum auctores. Hinc odiorum exortą seges amplissima, iámque ferè matura, qua vti possimus, si vel *Ex Leunclauio proamio hist.*

drachmam ſanæ mentis habeamus.

Quis dubitet victos ægrè hæc pati, & adſpicere ad libertatem? cogitare ſæpè de iugo excutiendo? arrigere aures, ſi quis rumor de Chriſtianorum armis ad liberandum ſe obpreſſos?

Quis dubitet vel ipſos ex fæce plebis Turcas, potentiorum inſolentia offendi.

Quod homines inuiti, ac neceſſariò, faciunt, aut ferunt, neque diu, neque cum caritate in cogentem, facere poſſunt.

Sternacium equorum inſtar, leui occaſione, ſeſſorem Tyrannum ephippijs excuſſerint.

Propoſita leuiſſima ſpe libertatis, ipſa mox ſeruitia noſtrorum ex ergaſtulis erumperent; Et fortè plebecula ipſa Turcarum, quæ violentia potentiorum obprimitur, & tributis nouis deglubitur magis, quàm tondetur, cum ſeruitijs Chriſtianis coirent, ſi Chriſtianorum arma illùc illata clemētiam, libertatem, immunitatem laxiorem, fama precone, adiuuantibus, aut non repugnantibus promitterent.

An non Reges omnes, imò Tyranni, his ferè moribus, his occaſionibus, exacti? Quidni & Ottomannidæ?

Plutarchus tom. 2 vit. in Pyrrho. Roboanus decem tribubus hac occaſione exutus.

Pyrrhus Epirotarum Rex, cùm in Sicilia exigen-

exigendis classiarijs ciuitates non benignè, vt ante, sed imperiosè, & vi cogens recusantes, plecténsque, tractaret, vt Tyrannus factus Siciliâ excidit.

Dionysius iunior ità Syracusis pulsus.

Idem exul apud suos Locrenses, cùm solitam in eos quoque, sex annis, exercuisset sæuitiam, rapinis, stuprísque omnia complendo, etiàm tandem Locrensium coniuratione eiectus est.

Idem, recuperatis per proditionem Syracusis belli securis, cum iterum grauior esset, iterata conspiratione deponere imperium coactus est, & Corinthi, in pueros, quos in triuijs miser docebat, imperium exercere.

Tarquinios Superbos, sua ac regiæ prolis insolentia, Roma exegit.

Gallos è Sicilia ob insolentiam eiectos vesperis Siculis, omnes nôrunt.

Et motûs Belgici magnam partem centesimis & decimis &c. sæuitiæque Albani, & Hispanorũ insolentiæ popellus adscribit, vt dicã quàm verè, Censorẽ me nemo creauit.

Itaque, si vel digito, nutans illud Turcarum imperium, impellemus, mox ruet profectò, adiuuantibus nos exteris, victis, maléque habitis, & ipsis fortè ex plebe Turcica obpressis.

* 5. *Vastitate Imperij.* Viden', vt magna omnia & procera, ferè tandem mole ruũt sua? Ab amplitudine Imperij.

 Viden'

Viden', vt ingentia corpora & athletica, ferè valetudinaria, & vitæ breuioris?

Intractabilis res est, potestas nimis ampla, vti machinæ ingentes, vti triremes, & nauium lignei illi montes, quibus regendis Nauarchus vnus non sufficit.

Tanta est Imperij Turcici amplitudo, tot regna, imò tot Imperia vnus Monarcha complectitur, vt difficile sit, ab vno geri, & regi rectè vniuersa.

Centum 50. populos, quos Philippus pater, & Alexander filius, rexerunt, vnus Turca possidet, præter cæteros.

Ouid. lib. trist.

----- *cælum sublime tuenti*

Non vacat exiguis rebus adesse Ioui.

A te pendentem dùm tu circumspicis orbem, ô Turca,

Effugiunt curas inferiora tuas.

Non id est homo vnus, in regno tàm vasto, quod anima in vno corpore, vt in omnes ipse regiones, vt illa in singula membra, satis dominetur.

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Ne Sol quidem vnicus climata orbis vniuersa æquè & simul illustrat.

Vt Turca, hàc à Germanis, illàc ab Vngaris, isthàc ab Hispanis; hàc à Gallis, illàc à Venetis, isthàc à Polonis eodem anno inuadatur, quo primum, aut potius intendat? quo vires? quo arma citius vertat?

Nume-

Numero numerum parem vbique obponet? at non vbique Reges Regibus obponet, sed Bassas Regibus, seruos Dominis, ipse Imperator vnus homo, vnico circumscriptus loco, non vbique existendi potens instar Dei; vnico Regi obcurret, cæteris serui.

Sed alia Regum consilia, imperia, fortitudo & constantia, singulorum pro suis sceptris pugnantium, alia Legatorum & Vicariorum, ad seruitutem natorum & seruientium, & adde pro alieno dimicantium.

Vt *Vis vnita fortior dispersa*: & Arx arcta, sed munita, tutior, & ad vim repellendam aptior, quàm vrbs vasta, & Thebarum instar, portarum centum: sic parua regna, amplis illis minus iniuriæ obnoxia.

Senecæ, *Modicis rebus longius æuum est.* *Senec. in Agamem.*
Vt Modicis corporibus plus ferè ingenij, (vndè & Homerus describit Vlyssem prudentem paruæ staturæ, Aiacem stultum ac furiosum, ingentis: ità in paruis imperijs plus prouidentiæ.) *Vide D. Anto. Gueuarram in epist aureis.*

* 6. *Similitudine aliorum Imperiorum.* Vt enim illa, sua initia, incrementa, ac decrementa habuêre, & stata standi tempora; sic & illud. Fortuna instabilis *nunc mihi, nunc alij benigna.* A simili decremento cæterorum. *Horat. 3. Carm. 29.*

Ipse Mundus, ipse anni tempestates, ipsa terra fatiscere videntur vetustate.

Munsterus lib. 1. Cosmogr. pag. 40.

Assyrij, continua Regum successione, 1300. annis perstitêre.

Medi in Assyriorum locum subiêre, qui 50. annis rerum potiti.

Persæ successêre, quibus sub rogatus Alexander Magnus 12. annorum dumtaxat Monarcha.

Carthaginienses denique & Romani multum diúque de Imperio contendêre fortuna vaзla, quæ tandem, Pœnis victis, Romanos rerum Dominos effecit, & adhuc tuetur, sed quàm mancos iam ac mutilatos! Sed hęc Imperiorum vicissitudo est.

Turcæ non tàm successerunt, quàm in partem magnam Imperij irruperunt, mille iàm prope annos.

Et non putamus illos cæterorum instar, post tot annos, ac tantam amplitudinem, quanta forte nullius adhuc imperium fuit, decrementa etiàm sua passuros? Non dubito.

Hieronym. Turlerus I. V. D. epist. dedicatoria libri Machiavelli, de migrationibus pop.

Deindè, vt adnotat quidam, *Omnes Monarchias incepisse videmus, cum centrum excentrici Solis in aliquo insigni loco Epicycli fuit. Vt cum Solis esset maxima excentricitas paulò ante Christum natum, Romanum Imperium ad Monarchiam declinauit: &, quemadmodum illa decreuit, ità & hoc tanquam consenescens defecit, atque ideò euanuit. Cùm perueniret ad quadrantem terminúmque mediocrem, lata est lex Mahometica.*

metica. incepit itaque aliud magnum Imperium, & velociſsimè, ad motus rationem, creuit. Iam 100. *annis, cum minima futura eſt excentricitas, hoc quoque Imperium ſuam conficiet periodum, vt circa noſtra tempora in ſummo ſit faſtigio, à quo æquè velociter, Deo volente, lapſu grauiore ruet. Centro verò excentrici ad alterum terminum mediocrem perueniente, ſperamus adfuturum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Nàm hoc loco circa creationem Mundi fuit &c.*

Itáne ſcilicet Turcicum Imperium ſit comparatum, vt legibus aut ordine imperijs ſcripto ſuperius eſſe poſſit?

Hæres aut particeps honoris, oneris etiàm partem capiat ac ferat oportet.

Socij conſolationum, ſocij & tribulationum.

Adde, magnos & magna fere ruere, cùm firmiſſimè ſtare videntur, & corporum optimam valetudinem, morbi eſſe præſagium, & tranquillitatem maris maximam, magnæ tempeſtatis: *breuis eſt magni fortuna fauoris.* *Silius 4.*

Sed Turcarum Imperium iàm ſibi nobíſque maximum, firmiſſimúmque videtur;

Ergo illi ruinam, morbum, naufragiúmque imminere, liceat ſuſpicari.

* 7. *Corruptela diſciplinæ, Domi, Militiæque.* A corruptela diſciplinæ,

* 1. Domi: Monarchæ enim mulierculárum nunc ſunt mancipia.

Leunclauius in prooem. hiſtor. Muſulma.

Auaritiæ ſtudium, tàm in Veziribus, id eſt conſiliarijs graſſatur, quàm alijs Officia-

tis, quibus & animus & manus venales sunt, adeo, vt ausit aliquis dicere, *Dominum mutaturam Turcorum potentiam, siquidem inueniat emtorem.*

Tam domi,

An hoc vitio quidquam tetrius, præsertim in principibus, & Rempub. gubernantibus? an firmitudini regnorum exitialius aliquid, quàm quæstui habere Rempublicā?

Philippo Macedoni nulla vrbs inexpugnabilis, in quam asellus auro onustus posset irrumpere, aut irrepere.

Danaën incorruptam non seruet vel turris ahenea, si quà imbre aureo complui, & perplui possit.

C. Pontius Sannis aiebat; *Vtinam ad illa tempora me fortuna reseruauisset, & tunc essem natus, quandò Romani accipere dona cepissent, non essem passus diutius eos imperare.*

Cic. lib. 2. off.

Quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spartam, nulla re alia, nisi auaritia perituram, id videtur non solum Lacedamoniis, sed & omnibus opulentis populis prædixisse, ait Cicero.

Quam bellis;

* 2. *Militia*; Iàm enim illis arma ridicula. *Olim* (ait Philippus Callimachus Exper.) *arcus fortis & terribilis, & sagittæ grandes, nunc omnia ornata & debilia, vt dicas puerorum ludicra.* Adde fiduciam virium propriarum genti innatam, contemtum hostium suorum, id est nostri, cum moderatus metus hostiū, optimus sit magister, despectus nimius, exitialis.

Philip. Callimach. Exper. in orat. ad Pontif.

Adde

Adde ebrietates, & vini vsum liberiorem contra leges &c.

Moribus antiquis res stat Romana virisque, Græci, illustres quondam animæ, haud quaquam vigorem antiquum retinent. Degenerauerunt fermè omnes qui Turcis parent, neque in armis, neque in literis pristinum referunt spiritum: Non stant simùl fortia pectora, & seruitus, qui fortes viri in castris Turcorum militant, ex Christianis sunt. Pius 2. lib. 1. epist. ep. 397.

Dimidio mentis depriuat Iupiter illos, Homer. Odyss. 5. aliter paulo.
Seruilis quoscunque viros sors ceperit vnquam aiebat iampridem Homerus.

* 8. *Dissidiis Religionis*, quæ ad nouandas mouendásque res, & motas confirmandas, vim habent semper maximam. A nouitate religionum, imo superstitionum.

Vbi enim morum, cultúsque diuini distinctio publicè est, illîc & animorum, voluntatúmque seceßio, & corporum murorúmque fit frequenter, ne qui discholi sunt, aut peregrini cultùs, aliud professos aut rideant, irriténtque atque corrumpant.

Non coëutuntur Iudæi Samaritanis; non Ethnicis &c.

Hieroboam decem tribus à cæteris iàm auulsas, mutatione cultûs, & loci ad cultum destinati, in defectione continuit. Qua vna mire franguntur imperiorum vires.

Dixit enim *Hieroboam in corde suo, nùnc reuertetur regnum ad domum Dauid, si ascenderit populus iste, vt faciat sacrificia in domo Domini in Hierusalem, & conuertetur cor populi huius ad Dominum* 3. Reg. 12.

num suum Roboam Regem Iuda, interficiéntque me, & reuertentur ad eum. Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltrà adscendere in Hierusalem: Ecce Dii tui Israel, qui te eduxerunt de terrâ AEgypti. Posuitque vnum in Bethel, alterum in Dan, & factum est verbum hoc in peccatum: ibat enim populus ad adorandum vitulum, vsque in Dan. Et fecit fana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis
2. Paralip. 13. *leui (quicunque,* ait alia scriptura, *venerit, & initiauerit manum suam in tauro de bobus, & in arietibus septem.) Constituitque diem solemnem in mense octauo, quintâ decimâ die mensis, in similitudinem solemnitatis quæ celebrabatur in Iuda. Et ascendēs, altare similiter fecit in Bethel, vt immolaret vitulis quos fabricatus fuerat: constituítque in Bethel Sacerdotes excelsorum quæ fecerat. Et ascendit super altare quod extruxerat in Bethel, quinta decima die mensis octaui, quem finxerat de corde suo; & fecit solemnitatem filiis Israel, & ascendit super altare, vt adoleret incensum.*

3. Reg. 13. *Fecit de nouissimis populis sacerdotes excelsorum quicunque volebat, implebat manum suam, & fiebat Sacerdos excelsorum.*

Itaque prouincias siue tribus illas, quæ à Roboamo ac fratribus suis secesserant, non modo in secessione continuit, sed paratas ad bellandum in fratres, cum vsus esset, fecit.

His ferè artibus nostro æuo, & in orbe nostro, Satrapa quispiam vtinam tàm bonæ

quàm

quàm magnæ famæ! res nouauit, & eheu! hactenus vtcunque firmauit.

Adfectus ille, quo in religionem quisque suam fertur, hùc vrget, vt suæ blandiendo, alienam improbando, quiuis suam promouere conetur, alienam verò vel ipse subuertat, vel ab aliquo tertio subuerti aueat, & gaudeat.

Frigida sic pugnant calidis, humentia siccis,
Mollia, cum duris, sine pondere, habentia pōdus. Ouid. 1. Metam.

Generatio vnius, corruptione alterius conatur inualescere.

Sic Iudæos Dei populum, ab Assyrijs Antiochóque subuerti gaudebant vicini dischili ac religionis alterius. Hinc noster Asaph; *Facti sumus*, inquit, *obprobrium vicinis nostris &c.*

Sic Pharisæos, Essæos, Sadducæos, vnîus Mosaicæ legis quidem cultores omnes, sed tamen capitulis & opinionibus quibusdam inter se dissidentes, alteros alterorum ruinam voluisse, & Pharisæos, quamlibèt Christo infensos, tamen *cùm* is *silentium imposuisset Sadducæis*, in sinu risisse, quis vetet suspicari? Sadducæos quoque, suspensis adunco naso Pharisæis, choros agitâsse?

Iudæos, non coüti Samaritanis, quid, nisi, in parte religionis, dissidium quoddam impellebat?

Vides, leuiculâ reformatione, penè duos Ordi-

drachmam ſanæ mentis habeamus.

Quis dubitet victos ægrè hæc pati, & adſpicere ad libertatem? cogitare ſæpè de iugo excutiendo? arrigere aures, ſi quis rumor de Chriſtianorum armis ad liberandum ſe obpreſſos?

Quis dubitet vel ipſos ex fæce plebis Turcas, potentiorum inſolentia offendi.

Quod homines inuiti, ac neceſſariò, faciunt, aut ferunt, neque diu, neque cum caritate in cogentem, facere poſſunt.

Sternacium equorum inſtar, leui occaſione, ſeſſorem Tyrannum ephippijs excuſſerint.

Propoſita leuiſſima ſpe libertatis, ipſa mox ſeruitia noſtrorum ex ergaſtulis erumperent; Et fortè plebecula ipſa Turcarum, quæ violentia potentiorum obprimitur, & tributis nouis deglubitur magis, quàm tondetur, cum ſeruitijs Chriſtianis coirent, ſi Chriſtianorum arma illùc illata clemẽtiam, libertatem, immunitatem laxiorem, fama precone, adiuuantibus, aut non repugnantibus promitterent.

An non Reges omnes, imò Tyranni, his ferè moribus, his occaſionibus, exacti? Quidni & Ottomannidæ?

Roboanus decem tribubus hac occaſione exutus.

Plutarchus tom. 2 vit. in Pyrrho.

Pyrrhus Epirotarum Rex, cùm in Sicilia exigen-

exigendis classiarijs ciuitates non benignè, vt ante, sed imperiosè, & vi cogens recusantes, plecténsque, tractaret, vt Tyrannus factus Siciliâ excidit.

Dionysius iunior ità Syracusis pulsus.

Idem exul apud suos Locrenses, cùm solitam in eos quoque, sex annis, exercuisset sæuitiam, rapinis, stuprísque omnia complendo, etiàm tandem Locrensium coniuratione eiectus est.

Idem, recuperatis per proditionem Syracusis belli securis, cum iterum grauior esset, iterata conspiratione deponere imperium coactus est, & Corinthi, in pueros, quos in triuijs miser docebat, imperium exercere.

Tarquinios Superbos, sua ac regiæ prolis insolentia, Roma exegit.

Gallos è Sicilia ob insolentiam eiectos vesperis Siculis, omnes nôrunt.

Et motûs Belgici magnam partem centesimis & decimis &c. sæuitiæque Albani, & Hispanorũ insolentiæ popellus adscribit, vt dicã quàm verè, Censorẽ me nemo creauit.

Itaque, si vel digito, nutans illud Turcarum imperium, impellemus, mox ruet profectò, adiuuantibus nos exteris, victis, maléque habitis, & ipsis fortè ex plebe Turcica obpressis.

* 5. *Vastitate Imperij.* Viden', vt magna omnia & procera, ferè tandem mole ruũt sua? Ab amplitudine Imperij.

Viden', vt ingentia corpora & athletica, ferè valetudinaria, & vitæ breuioris?

Intractabilis res est, potestas nimis ampla, vti machinæ ingentes, vti triremes, & nauium lignei illi montes, quibus regendis Nauarchus vnus non sufficit.

Tanta est Imperij Turcici amplitudo, tot regna, imò tot Imperia vnus Monarcha complectitur, vt difficile sit, ab vno geri, & regi rectè vniuersa.

Centum 50. populos, quos Philippus pater, & Alexander filius, rexerunt, vnus Turca possidet, præter cæteros.

Ouid. lib. trist. ----- *cælum sublime tuenti*

Non vacat exiguis rebus adesse Ioui.

A te pendentem dùm tu circumspicis orbem, ô Turca,

Effugiunt curas inferiora tuas.

Non id est homo vnus, in regno tàm vasto, quod anima in vno corpore, vt in omnes ipse regiones, vt illa in singula membra, satis dominetur.

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Ne Sol quidem vnicus climata orbis vniuersa æquè & simul illustrat.

Vt Turca, hàc à Germanis, illàc ab Vngaris, isthàc ab Hispanis; hàc à Gallis, illàc à Venetis, isthàc à Polonis eodem anno inuadatur, quo primum, aut potius intendat? quo vires? quo arma citius vertat?

Nume-

Numero numerum parem vbique obponet? at non vbique Reges Regibus obponet, sed Baſſas Regibus, ſeruos Dominis, ipſe Imperator vnus homo, vnico circumſcriptus loco, non vbique exiſtendi potens inſtar Dei, vnico Regi obcurret, cæteris ſerui.

Sed alia Regum conſilia, imperia, fortitudo & conſtantia, ſingulorum pro ſuis ſceptris pugnantium, alia Legatorum & Vicariorum, ad ſeruitutem natorum & ſeruientium, & adde pro alieno dimicantium.

Vt *Vis vnita fortior diſperſa*: & Arx arcta, ſed munita, tutior, & ad vim repellendam aptior, quàm vrbs vaſta, & Thebarum inſtar, portarum centum: ſic parua regna, amplis illis minus iniuriæ obnoxia.

Senecæ, *Modicis rebus longius æuum eſt.* *Senec. in Agamem.* Vt Modicis corporibus plus ferè ingenij, (vndè & Homerus deſcribit Vlyſſem prudentem paruæ ſtaturæ, Aiacem ſtultum ac furioſum, ingentis: ità in paruis imperijs plus prouidentiæ.) *Vide D. Anto. Guauarram in epiſt aureis.*

* 6. *Similitudine aliorum Imperiorum*. Vt enim illa, ſua initia, incrementa, ac decrementa habuêre, & ſtata ſtandi tempora; ſic & illud. Fortuna inſtabilis *nunc mihi, nunc alij benigna.* A ſimili decremento cæterorum. *Horat. 3. Carm. 29.*

Ipſe Mundus, ipſe anni tempeſtates, ipſa terra fatiſcere videntur vetuſtate.

Munsterus lib. 1. Cosmogr. pag. 40.

Assyrij, continua Regum successione, 1300. annis perstitêre.

Medi in Assyriorum locum subiêre, qui 50. annis rerum potiti.

Persæ successêre, quibus subrogatus Alexander Magnus 12. annorum dumtaxat Monarcha.

Carthaginienses denique & Romani multum diúque de Imperio contendêre fortuna vagla, quæ tandem, Pœnis victis, Romanos rerum Dominos effecit, & adhuc tuetur, sed quàm mancos iam ac mutilatos! Sed hęc Imperiorum vicissitudo est.

Turcæ non tàm successerunt, quàm in partem magnam Imperij irruperunt, mille iàm prope annos.

Et non putamus illos cæterorum instar, post tot annos, ac tantam amplitudinem, quanta forte nullius adhuc imperium fuit, decrementa etiàm sua passuros? Non dubito.

Hieronym. Turlerus I. V. D. epist. dedicatoria libri Machiavelli, de migrationibus pop.

Deindè, vt adnotat quidam, *Omnes Monarchias incepisse videmus, cum centrum excentrici Solis in aliquo insigni loco Epicycli fuit. Vt cum Solis esset maxima excentricitas paulò ante Christum natum, Romanum Imperium ad Monarchiam declinauit: &, quemadmodum illa decreuit, ità & hoc tanquam consenescens defecit, atque ideò euanuit. Cùm perueniret ad quadrantem terminúmque mediocrem, lata est lex Mahometica.*

metica. incepit itaque aliud magnum Imperium, & velocißimè, ad motus rationem, creuit. Iam 100. *annis, cum minima futura est excentricitas, hoc quoque Imperium suam conficiet periodum, vt circa nostra tempora in summo, sit fastigio, à quo æquè velociter, Deo volente, lapsu grauiore ruet. Centro verò excentrici ad alterum terminum mediocrem perueniente, speramus adfuturum Dominum nostrum Iesum Christum. Nàm hoc loco circa creationem Mundi fuit &c.*

Itáne scilicet Turcicum Imperium sit comparatum, vt legibus aut ordine imperijs scripto superius esse possit?

Hæres aut particeps honoris, oneris etiàm partem capiat ac ferat oportet.

Socij consolationum, socij & tribulationum. Adde, magnos & magna fere ruere, cùm firmissimè stare videntur, & corporum optimam valetudinem, morbi esse præsagium, & tranquillitatem maris maximam, magnæ tempestatis: *breuis est magni fortuna fauoris.* *Silius 4.*

Sed Turcarum Imperium iàm sibi nobísque maximum, firmissimúmque videtur;

Ergo illi ruinam, morbum, naufragiúmque imminere, liceat suspicari.

* 7. *Corruptela disciplinæ, Domi, Militiæque.* A corruptela disciplinæ,

* 1. Domi: Monarchæ enim muliercularum nunc sunt mancipia. *Leuunclauius in proam. histor. Musulma.*

Auaritiæ studium, tàm in Veziribus, id est consiliarijs grassatur, quàm alijs Officia-

tis, quibus & animus & manus venales sunt, adeo, vt ausit aliquis dicere, *Dominum mutaturam Turcorum potentiam, siquidem inueniat emtorem.*

Tam domi,

An hoc vitio quidquam tetrius, præsertim in principibus, & Rempub. gubernantibus? an firmitudini regnorum exitialius aliquid, quàm quæstui habere Rempublicã?

Philippo Macedoni nulla vrbs inexpugnabilis, in quam asellus auro onustus posset irrumpere, aut irrepere.

Danaën incorruptam non seruet vel turris ahenea, si quà imbre aureo complui, & perplui possit.

C. Pontius Sannis aiebat; *Vtinam ad illa tempora me fortuna reseruauisset, & tunc essem natus, quandò Romani accipere dona cœpissent, non essem passus diutius eos imperare.*

Cic. lib. 2. off.

Quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spartam, nulla re alia, nisi auaritia perituram, id videtur non solum Lacedæmoniis, sed & omnibus opulentis populis prædixisse, ait Cicero.

Quam bellis

Philip. Callimach. Exper. in orat. ad Pontif.

* 2. *Militia*; Iàm enim illis arma ridicula. *Olim* (ait Philippus Callimachus Exper.) *arcus fortis & terribilis, & sagittæ grandes, nunc omnia ornata & debilia, vt dicas puerorum ludicra.* Adde fiduciam virium propriarum genti innatam, contemtum hostium suorum, id est nostri, cum moderatus metus hostiũ, optimus sit magister, despectus nimius, exitialis.

Adde

Adde ebrietates, & vini vsum liberiorem contra leges &c.

Moribus antiquis res stat Romana virisque, Graeci, illustres quondàm animae, haud quaquam vigorem antiquum retinent. Degenerauerunt fermè omnes qui Turcis parent, neque in armis, neque in literis pristinum referunt spiritum: Non stant simùl fortia pectora, & seruitus, qui fortes viri in castris Turcorum militant, ex Christianis sunt. *Pius 2. lib. 1. epist. ep. 397.*

Dimidio mentis depriuat Iupiter illos,

Seruilis quoscunque viros sors ceperit vnquam aiebat iampridem Homerus. *Homer. Odyss. 5. aliter paulo.*

* 8. *Dissidiis Religionis*, quae ad nouandas mouendásque res, & motas confirmandas, vim habent semper maximam. *A nouitate religionum, imo superstitionum.*

Vbi enim morum, cultúsque diuini distinctio publicè est, illic & animorum, voluntatúmque secessio, & corporum murorúmque fit frequenter, ne qui discholi sunt, aut peregrini cultùs, aliud professos aut rideant, irriténtque atque corrumpant.

Non coütuntur Iudaei Samaritanis; non Ethnicis &c.

Hieroboam decem tribus à caeteris iàm auulsas, mutatione cultûs, & loci ad cultum destinati, in defectione continuit. *Qua vna mire franguntur imperiorum vires.*

Dixit enim *Hieroboam in corde suo, nùnc reuertetur regnum ad domum Dauid, si ascenderit populus iste, vt faciat sacrificia in domo Domini in Hierusalem, & conuertetur cor populi huius ad Dominum* *3. Reg. 12.*

quàm magnæ famæ! res nouauit, & eheu! hactenus vtcunque firmauit.

Adfectus ille, quo in religionem quiſque ſuam fertur, hùc vrget, vt ſuæ blandiendo, alienam improbando, quiuis ſuam promouere conetur, alienam verò vel ipſe ſubuertat, vel ab aliquo tertio ſubuerti aueat, & gaudeat.

Frigida ſic pugnant calidis, humentia ſiccis, Ouid. 1. Metam.
Mollia, cum duris, ſine pondere, habentia pōdus.

Generatio vnius, corruptione alterius conatur inualeſcere.

Sic Iudæos Dei populum, ab Aſſyrijs Antiochóque ſubuerti gaudebant vicini diſcholi ac religionis alterius. Hinc noſter Aſaph; *Facti ſumus*, inquit, *obprobrium vicinis noſtris &c.*

Sic Phariſæos, Eſſæos, Sadducæos, vnîus Moſaicæ legis quidem cultores omnes, ſed tamen capitulis & opinionibus quibuſdam inter ſe diſſidentes, alteros alterorum ruinam voluiſſe, & Phariſæos, quamlibèt Chriſto infenſos, tamen *cùm* is *ſilentium impoſuiſſet Sadducæis*, in ſinu riſiſſe, quis vetet ſuſpicari? Sadducæos quoque, ſuſpenſis adunco naſo Phariſæis, choros agitâſſe?

Iudæos, non coüti Samaritanis, quid, niſi, in parte religionis, diſſidium quoddam impellebat?

Vides, leuiculâ reformatione, penè duos Ordi-

Ordines ex vno conſtitui.

Chriſtianiſmum ipſum ecquid paulatim perdidit? an non ſententiarum de fide, ac moribus diſcordia? Nónne hinc effectum, vt aut ipſi Chriſtiani vulneribus ſe mutuis vt Thebæi, & Calmæi illi fratres conficerent, aut externorum iniuriæ paterent? Alteri enim alter in periculis, Sacrorum & religionis diuerſæ odio, non ſubcurrit; imò velut in ſinu de fratris ſeruitute, riſit, plauſit, exultauit. *Quod quiſque odit, periſſe expedit.*

Sententię condiſcipulorum variæ, varias philoſophorum ſcholas dedêre, has in illas coniuratas.

Da vel in vnâ domo fratres, da geminos, colendi Dei vel ritu tantùm, vel tempore, vel loco diſſimiles; da iſtùm geſtu alio vtentem; da alterum tempore alio atque alio orantem; da tertium loco, templo, aut Ordini alteri beneuolentiorem; etiàm vel tantilla illa, inter fratres diſcordiæ, imò nonnunquàm iurgij, & fortè fratricidij, ſeminarum erunt.

Gen. 4. In Abelem ſacris operantem ſanctiùs, meliúſque de finibus, ſeu premijs bonorum, ac malorum ſentientem, an non Caim coniurauit? In Iacobum Eſau?

In Ioſephum plus ſenij, quàm ſenectutis habentem, id eſt, ſenilem animum in iuuenili corpore gerentem, fratres alij?

Quòd

Quòd Iosephum pater in senectute id est prudentiorem genuisset, cæteri fratres adeò adolescentulum oderant, vt vitæ insidiarentur, vt in cisternam demitterent, vt venderent mancipium exteris futurum.

Vti morum similitudo generat amicitiam, odium verò aut disgregationem dissimilitudo; ità, ac multo magis, religio eadem multos vnit; diuersa, vnitos dissipat. *Cic. in Lælio.*

Si Ciceroni rectè *amicitia nihil aliud est, nisi omnium diuinarum humanarúmque rerum, cùm beneuolentia & caritate consensio*; an tibi videtur, constare caritatem ac beneuolentiam posse, inter variè de rebus diuinis sentientes? Nàm religionem, diuinarum rerum scientiam à Philosophis minoribúsque cæteris adpellatam fuisse, autor est Plutarchus. *Idem ibid.* *Plutarch. in Paulo Æmylio.*

Si religio à religando, vel à relinquendo, quasi dicatur relictio; an non à religando, quòd liget arctiore amicitiâ homines sacrorum eorundem? à relinquendo verò, quòd deserat alia professos? Ego arbitrer.

Contraria omnia, ad contrariorum ruinam, tàm in elementis, quàm in compositis; tàm in animatis, quàm inanimatis; tàm in brutis animantibus, quàm hominibus ipsis; tàm in rebus morum, quàm religionis, nituntur.

Sed Turcarum religio, imò superstitio quam variè nunc secta!

An tanta turba, à Mahumetana sententia dissidentium non possit in imperium illud, quantum in reliqua res eadem solet?

Ego sanè, vnîus eiusdémque causæ eosdem effectus fore non despero; ego omnibus hinc optimè sperandi de rebus nostris, si bellum illuc inferremus, Turcis contra de diuturnitate Tyrannidis suæ desperandi, autor sim.

Omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus, supra domum cadet, oraculum est non Delphis, sed cælitus datum.

Vulgatissimum & illud Micypsæ Numidarum regis, apud Salustium; *Concordia res paruæ crescunt; discordia maximæ dilabuntur.*

Et cessamus miseri, his occasionibus, dextras iungere, bellum Turcæ perituro inferre?

Filij hominum vsquequo graui corde. *Psalm.*

Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. Vsquequo Domine irasceris? in finem? An ira tua de istis aliquando seriò cogitare nos non sinet.

III.

¶ *Per quem videatur Turca Superandus.*

MAGNVM vero opinionum certamen, ecquis ex tot Regibus vnus de Turca domito triumphabit, aut victimas, victo

victo tanto hoste, Deo cedet?

Turcas iterum redituros sub iugum Christianorum, creditur quidem;

* Consensus vnus omnium quidem est, quod aliquis ex Occidentalibus populis, iisque Christianis, nobis restituet rem;

Soiterus enim superius, vbi meminit ilicis Manbræ, ait, Saracenos, & gentiles cum nostris, opinari, ilicem illam reflorere non posse, antequàm missus ab Occidente Imperator victor factus, sanctis locis restituerit cultum Christi;

Thenetus lib 5. c. 6. tom. 1.

Et Theuetus historicus æui nostri, prophetiæ apud Æthiopes percrebræ meminit, quæ adserat, Suriam totam, & loca sancta sub iugum Principis alicuius Septentrionalis ventura.

Methodius vero loquens de fine seculi, ait, Deum tandem recordaturum misericordię suæ & liberaturum suos: & distinctius addit; *Surget autem Christianorum gens, & praliabitur cum Saracenis, & occidet eos gladio, & captiuas ducet mulieres eorum, & interficiet infantes eorum* &c. quæ superius a nobis commemorata sunt.

Isai. 14.

Erunt capientes eos qui se ceperant, & subiicient exactores suos. Iugum scilicet Turcis aliquando reponemus.

At quis ex tanta Christianorum populorum multitudine? Italusne, an Hispanus? Gallusne, an Vngarus? Germanus, an Polonus?

* Rei

• *Rei. Etsi ad Christianos* æquè omnes pertinere primâ facie videatur illud Methodij, nescio tamen an non maximè de Gallis sit intelligendum, vt quorum Rex vocetur Christianissimus, & primogenitus Ecclesię; & quoniàm Turcæ ipsi Christianos omnes, Gallos (nisi fallor) vocant; quasi dixerit Methodius per Antonomasiam *Christianorum gentem*, pro gente Gallorum, vti poëtam dicunt nostri Poëtæ pro Virgilio, Oratorem pro Cicerone &c. Sed dubitatur, an Gallorum armis, quod tamen est verisimilius.

Huc accedit Mantuani concordia: *Sacrosancta canunt nostrorum oracula vatum,* Bapt.Mant. tom 1. ad Insubres in fine.

Venturum ex Gallis Regem, qui nauibus altis
Nauiget in Syriam, Solymásque ascendat in arces,
Victor, & asserto statuat noua regna sepulcro.

Et alterius alicuius, *Nulli constantia maior,*
Nulli maior erit pietas in numina genti.
Defendent mucrone fidem, bellóque domabunt
Quoscunque audierit Christum se adtollere cōtra,
de ijsdem Gallis loquentis.

Certè hactenùs nemo maioribus cladibus Turcam adfecit, nemo Gallicâ gente, Mahometi infestior fuit. Carolos Magnos, Carolos Martellos, Gothefridos Buillonios, Sanctos Ludouicos, & eorum expeditiones in Saracenos Turcásque, vel pueri nouere.

Franci Aquitanorum, Normarúmque furorem Mantuanus tom 1. ad Franc. Regem.
Christo insultantum bello obpreßere; Boëmos,
Saxonas infrænes, Longobardósque, Latinis

Legibus aduersos domuere; Hispania Gallis
Proxima ferret adhùc Nomades; Apulia Graios;
Semen Agarenum Trinacria; ni Deus, ista,
Misißet fortes, contra genera, impia, Francos.
-------- Gallos, Hispanica regna.
Inuenies, à Getulis, à gente Libyßâ,
Asseruisse; siti bellis Orlandus in illis
Aruit, vt fama est.
Gallis etiàm domuere. Syros, domuere Sabæos,
Et Solymi illustrem regni gessere coronam.

Et forté, dum Turca inaugurandus Imperio, iurat, extincturum se nomen Christianum, Gallos maximè intelligit, vt Christianissimos. Quocircà, Gallorum sit maximè, per antiperistasin, hùc conari.

O quàm benè, tria lilia, in tres lunas militantia, in vexillis gestarentur!

Eueniet,dedit ipse Deus mihi signa futuri. Nàm Henricum hunc quartum aiunt aliquandò iactare, se peregrinationis vnîus Hierosolymos esse debitorem: sibi in arcâ satis auri esse alendis nouennio toto centum milibus armatorum &c.

An Vngarorum.

* 2. *Vngarum* sunt qui scribant fore. Soiterus sic habet; *Flauij Vopisci in Floriani Imp. vitâ adductum vaticinium, palàm, & omni verborum absque inuolucro, confirmat, Nasciturum aliquandò ex Pannonia Principem & Iudices Parthis & Persis, qui Francos, & Alemannos sub Romanis legibus habeat, qui per omnem Africam barba-*

barbarum non relinquat, qui Taprobanæ Præsidem imponat, qui ad Romanam Insulam Proconsulem mittat, qui Sarmatis omnibus Iudices; qui terram omnem, quam Oceanus ambit, captis omnibus gentibus, suam faciat. posteà tamen Senatui reddat Imperium, & antiquis legibus viuat, ipse victurus annis centum viginti. *Soiterus lib. 1. belli Pannonici.*

Antonius Torquatus Ferrariensis, Astrologus clarissimus, in prognostico supmemorato sic ait; *Christus tandem, suorum stragem non ferens, furorem Germanorum, vigorem Vngarorum, militiam Hispanorum, ac Italiorum ingenia contra Turcas adducet. Et tandem eorum Imperator superatus interficietur, in quo prælio negotióque, Regis Vngariæ laus erit prima. Nàm, vt astra prædicunt, dicti Regis auspicio, ingenio, industria, ductúque perficientur omnia, quæ de morte inumanissimi Imperatoris Othmaneorum, & de victoria contra eum habenda, prænuntiantur.*

----- Pannonijs fatale, cruorem
Spargere Thraicum &c.
Nec plus vlla tulit, pro relligione, laborum,
Natio, nec claret maioribus vlla triumphis.

Bapt Mantuanus ad Regem Pãnoniæ.

Quidem Soiterus ausus etiàm dicere, per quos Duces, sic scribens; *Carolo V. Imperatori, & Duci Cæsari* Ferdinando *hoc deberi palmarium, multa ante secula, nec gentium quidem tacuerunt Dij.* *Melchior Soiterus lib. 1. de bello Pannonica.*

Si enim candidissimo rerum Augustalium scriptori Suetonio Tranquillo credimus, ducentis annis

Galbæ ante tempora, à fatidica quadam puella, Cluniacique Iouis Sacerdote, pronunciatum fuit: Oriturum quandoque ex Hispania Principem Dominúmque rerum: quod licèt tùnc temporis quidam ad Galbam ipsum, quoniàm maiores eius hac in Prouincia Præturam, & ipse quoque Pro-Consulare gesserat imperium, referre voluerint; ego tamen id, ad inuictissimos pientissimósque Principes hos, iudico referendum.

Sed & probare hoc nititur, prædictione illâ superiùs memoratâ de ilice Mambræ, & Flauij Vopisci vaticinio, quod iam citabam; post quæ, ità subdit: *Taceo interim, ac lubens prætereo, Methodii, Cyrilli, Rupæcissæ, Merlini, Brigittæ, Ioachimi, Alsanfredi, & Torquati, atque aliorum multa, non è Driudum quercubus, aut Cortina Cynthii, elicita responsa, sed piis mentibus, spiritus instinctu, cælitùs enunciata oracula, quæ omnia tanquam ore vno prolata, his Principibus Orbis deberi Imperium profitentur.* Falsò id quidem Soiterus, cùm iàm Imperator ille Carolus pridem cum fratre è viuis excesserint, & adhùc stet Turcæ Imperium.

Et temerè etiàm fortassis conatus, tàm propè de homine isto vel illo diuinare Soiterus, nisi excuses, dicendo, (quod sanè verum est) Carolum V. ipsum sæpè Turcarum audaciam refudisse, viiésque fregisse, vt ad Tunetum, ad Viennam Austriæ; & per D. Ioannis Austriaci filij sui, ad Naupactum

ſeu Lepanthum, victoriam, magna debellationi Turcarum iecisse fundamenta, & , vti Marcellus Hannibalem , ità illum, vinci posse Turcam, oſtendisse: vel de Carolo V. ità loquutum esse Soiterum , vt olim Deus de Abrahamo; *Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo &c. Et, in ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Nàm vt primum illud Abrahamo ipſi integrè non contigit,nec ſecundum,ipſi Iſaaco , niſi inchoatiuè, & meritoriè, ſed Chriſtum procul vtraque reſpexerunt ; Ità, cùm Carolo V. Imp. ſemper Auguſtiſſimo & fratri Ferdinando id palmarium deberi ſcripſit Soiterus, fortè ità intellexit, nimirum initia rei illîus ab Carolo V. eſſe debere, vti profectò fuerunt; cætera, vel abs poſteris, vel gentilibus ipsîus, vel certè fidei, zeli, virtutum, fortitudiniſque eius imitatoribus, quod vtinàm breui faxit Deus! cæteris tamen Regibus regiè cum ipſo (vt 50. illi Reges ad Troiam, Duce Agamemnone, pro Menelao) militantibus. *Geneſ.*

Quintilianus alicubi tot fuiſſe Reges coniuratos ad Troiam, memorat.

Nàm cùr Auguſtiſſimo illi Imp. Carolo, aut eius ſanguini, palmarium illud deuicti Turcæ inuideam, imò non potiùs ardentiſſimè voueam, vt cariſſimo quondàm Belgij mei Domino, imò, & Belgij alumno, ac (vt ſic dicam) filio? Non equidem inuideo, velim magis hoc tanto viro, aut eius generis, & qui de genere illîus.

Imò, quid adtinet huic aut illi id quemquam optare? Quid enim refert, per quem Turca debelletur, dùm citò, & fæliciter id fiat? Sit ſalus vel in manu fæminæ, quid tum? Ceperim piſces, benè habet, etſi non aureo hamo.

An Germanorum,

* 3. *Germanis* adſcribere quoque liceat, ab hâc vulgi famâ.

Nicolaus VVimmannus in Syncretiſmo. pag. 226.

Vulgò enim non tàm dicitur, quàm creditur à quibuſdam, oraculo prædictum aliquandò, Turcam non poſſe ſuperari occidique, niſi ante Coloniam Agrippinam, putántque ob id non eſſe egrediendum aduerſus illum, donec illud aliquandò peruenerit, ait VVimmannus quidam, vocans hoc ipſum tamen *ſtultitiam hominum inſignem, ac veſanam impiámque crudelitatem*, vltimum illud adſpectans, credo, quo putant, non eſſe antè illi obcurrendum.

Nàm, vt verúm ſit oraculum, non putem ità accipiendum, vt Turca illìc primùm cædi ſeriò incipiat, ſed vt illìc tandem internecione planè intereat. Itaque, & antè obcurrendum, quàm is Annibal ſit ad Coloniæ portas.

An Italorum; *Num. 24.*

* 4. *Italis* quoque propter illud Balaami; *Venient in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabúntque Hebræos*, niſi Titi ac Veſpaſiani vetus illa expeditio prohiberet, & quòd ibidem idem Balaam illis malè ominatur, his verbis: (*& ad extremũ etiàm ipſi peribunt*)

perli-

perlibenter, id palmarium arrogauerim, vt rerum Dominis, & ad hoc propè natis.

* 5. *Aliis alij* forsitan id arrogaturi; Ego autem peruelim, omnes & singulos id sibi maxima contentione ambire. Ità enim citiùs fieret, vt dum *Omnes currunt*, *Vnus* tandem comprehenderet, & *acciperent brauium.*

* *Sed aliquis dicat*; quomodò vincat ac deleat Turcam Germanus, quem Gallus, aut alius quispiam, ab alio vate dicitur deleturus? Nam si Gallus Turcam est domiturus, non ergò Hispanus &c. nec contrà. Prophetas, & fatidicos ex istis omnibus aliquos mentiri, necessarium est. An vero omnium simul, quod magis reor.

* ℞. Bona verba quæso, maxime de illis, qui Spiritu sancto adflante prophetarunt. Nàm vt ex illis nullos mentiri certum est, I.
ità putem rei vnius palmam, alios alijs, magno Dei consilio, adscripsisse, forte vt notarent, tempus aliquandò fore, quo Reges aut populi prædicti coniurabunt, arma se in Turcam vnum conuersuros, tempore quidem simùl, sed non acie vna, sed sic vt Gallus hàc, Hispanus illàc, Germanus isthàc, Polonus alià sit inuasurus, (quo sanè modo ego fieri suaserim, cùm ad disgregandas hùc illúcque Turcarum vires, tùm ad præscindendas Regum Christianorum inter se altercationes illas de Imperio (quis enim, dicat aliquis, ex tot Regibus vnus, cæteros

 omnes,

omnes, velut Regum Imperator, ducat ad hoc bellum?) item alias, de prædæ, & vrbium Turcis ereptarum obcupatione, quibus de rebus, ſuo loco, plenius ſum, Deo dante, dicturus:) atque ita omnes, & ſinguli Turcam per partes ſcilicet ſunt ſuperaturi, & ſic vaticinia illa omnia, & quæ de Gallo ſunt, & quæ de Hiſpano, & quæ de Vngaro, & quæ de cæteris, etſi valde variantia, vera erunt. Nam ſi (quod faxit Deus) aliquandò tempus erit, quo Reges Reſpublicæque Chriſtianorum omnes ſimul (velut olim Græci in Troianos, *Aulide*) *iurabunt* Turcarum *exſcindere gentem*; & ſi, vel ipſimet, vel ſaltim per legatos ſuos; ſeu agminibus iunctis, ſeu diſpartitis, eodem tamen tempore in communem hoſtem communiter ſic inuadent, vt vel tandem ferus ille Annibal debelletur; non video, cur non æquè omnes & ſinguli gloriam ſuperati Turcæ vendicare ſibi poſſint, vti vaticinia cuique pollicentur. Partem huius victoriæ Gallus, partem Hiſpanus &c. decerpent.

Quo modo veraces erunt etiam variantes prædictiones.

Virgil 4. Æneid.

11\. Et quis ſcit, an non diuerſis palmarium illud vnum promiſſum ſit, vt ſingulis id ſperantibus ſibi, fiat agmen ingens Regum, ad ſperatum brauium concurrentium?

Virgil. 2. Æneid.

Sic olim *quæ ſibi quiſque timebat,*
Vnius in miſeri Sinonis exitium conuerſa tulere:

Sic olim Aulidæ Reges 50. coniurant omnes

pro

pro Helenæ marito, aduersus raptorem, dùm sperat quilibet Helenæ nuptias, & sibi militaturam cæterorum coniurationem.

Fortè verò etiàm iste & iste speciatim, Turcam debellaturus prædicitur, vel, quià iste, vel ille in Turcam vnum conspirandi, & Syncretismi seu sacri fœderis, sacríque belli, cæteris autor erit, & consiliarius præcipuis: vel, quià in sacrum illud bellum, plus ille symboli & opum, alter plus militum, tertius plus nauium, quisque pro ratione fortunarum suarum. quartus fortè personam ipse suam corpúsque sit expositurus. III.

Ecclesiæ hæc quoque phrasis cum ait; *Non est inuentus similis illi &c.*

An verò nouum aut insolens, illis rem totam adscribi, cuius non soli, sed præcipui autores extitere? Sic Troiam delêsse dici potest Vlysses, cuius consilijs; & Achilles, cuius armis; & Agamemnon, cuius ductu maximè vrbs illa deleta est.

An non Duces rerum ac victoriarum, etsi soli non pugnant, soli tamen triumphant? particulam tantùm gloriæ illîus, collegæ, partem centuriones, partem præfecti, partem turma decerpit.

Nullus enim Ducum verè dixerit; Solus ego *ipse eques, ipse pedes, signifer ipse fui.*

Ergò hic agite omnes Reges, Principes

populi &c. sic liberaliter tribuite, *sic currite vt comprehendatis.* Iuuerit præcucurrisse.

Ioann. 20. *Currant duo simul Petrus & Ioannes, Ioannes præcurrat citius Petro, & veniat primus ad monimentum,* quid tùm? dum tamen illud Christi sepulcrum ab hoste vacuum videre omnes possimus?

Denique, ecquis scit, an non forté ità Turcæ accidet, in tantâ vaticiniorum varietate, vt quondam fabuloso illi Hermaphrodito?

IIII. Nàm Hermaphroditicum nescio quid est etiàm illa Mahumeti secta, & velut varij sexûs, Iudæorum scilicet legibus, & Christianorum, & suis constans.

Turcarum superstitio Hermaphrodito similis, similiter peritura.

Hermaphroditi certè matrem ferunt, cũ adhuc illum aluo gestaret, ex Dijs quæsisse, quo genere mortis esset ille interiturus; varias verò admodùm fuisse trium Deorum sententias, & tamen veras singulorum, (Iuno enim, ferro; Mars, cruce; Apollo, aquis periturum vaticinabatur:) Tandem, ne quis Deorum mendax esset, triplici genere mortis interîsse.

Nàm, cum arborem riuo contiguam ille, vt fit, adscendisset, decidit ensis ex latere in fluuium aut illius ripam, ille mòx ex arbore in gladium ipsum, sed ità, vt pes delapsi ramis inhæresceret, caput flumine immergeretur. Itaque & ferro transuerberatus, & ex arbore suspensus, & aquâ suffocatus, tribus valdè

val dè dissonantibus vaticinijs fidem fecit, Iunonis, quæ ferro; Martis, qui cruce; Apollinis, qui aquis dixerat interiturũ. vndè est illud ipsius, de seipso, apud Pollucem;

Quærenti lethum, sic Iuno ait: occidet armis,
Mars cruce; Phœbus aquis, sors rata quæque fuit.
Arbor obumbrat aquas: adscendo, decidit ensis,
Quem tuleram, casu labor, & ipse super.
Pes hæsit ramis, caput incidit amne: tulique
Fæmina, Vir, neutrum: flumina, tela, crucem.

In calce operum Virgilij.

Crediderim profectò, aliquid tale Turcarum manere Tyrannidem, ex vaticinorum horum varietate.

Ergò si vrgebis, & quæres, *Vsquequò irasceris, Domine? in finem?* ego tibi, ex vaticinijs, coniecturísque tot recensitis, respondero, *non in finem*; sed verò etiàm ruinam Turcarum imperio mox instare.

Instanti, abs cuius tandem hæc manu? respondebo (ex Torquato) ab Vngarorum; (ex Soithero) ab Austriacorum, (ex Methodio, Mantuano, & rationibus nonnullis:) ab Gallorum, (ex vulgi famâ) ab Germanorum manu; & verè, quod Turcarum populus vnus (vt spero) omnium manu, & communibus viribus ruet, Hermaphroditi instar, vt tot *Prophetæ* licèt verbis diuersissimi, tamen vnicordes, & *fideles inueniantur*.

Quis dubitet sic futurum? iàm olim de Ismahele gentis illius principe est dictum,

Manus

Genes. 16. *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.*

Quid igitur, ô Reges, Respublicæ, Communitates &c. quid cessatis (intermissis saltem tantisper plus quàm ciuilibus istis bellis) communem illam Christianismi pestẽ, iàm per se fatiscentem minantémque ruinam, iàm vestras manus impulsuras præstolantem, ac velut vocantem, coitione virium animorúmque factâ, inuadere, cædere, funditus perdere?

Quo Autor acriter Christianissimi proceres hortatur.

Non facient, aut non poterunt in Turcam tot maximi Reges Christiani, pro sui Christi, & Dei iniurijs, pro aris focísque, quod vndecim olim tribns Iudæorum, in tribum Beniamini, pro Leuitæ vnius vxore fœdissimè constuprata? Imò, quod quinquaginta. Græcorum Reges, in Troiam, pro Helenæ vnius raptu, effecêre?

Nunquám-ne Palladium nostrum? nunquámne Helenam nostram raptam? nunquámne arcam Dei captam, sepulcrum inquam Christi, ab istis prædonibus repetemus? nunquámne fidem illo referemus, vndè ad nos illata est? Non liberabimus vnquã fratres nostros sub illo Pharaone laborantes? Nunquam *meminerimus vinctorum, tanquàm simul vincti?* Nunquámne aris nostris focísque, & tantillis Christianismi reliqnijs conseruandis seriò vel serò incumbemus? Proh

Proh pudorem!

Imperium Machomet⁹ habet, crucibusq́ fugatis, *Mantuanus*
Per quondàm nostras, insignia barbara, turres. *de calamit.*
Adparent; captæ, mutatis legibus, vrbes *temp. lib. 2.*
Dedidicere fidem, & sanctæ, mysteria Romæ.
Flent thalami dehonestati, flet nubilis ætas *Idem tom. 1.*
Incestata palam; flet, dedecorata per aras, *exhorta. ad*
Virginitas sacrata Deo, flent damna pudoris *Reges &c.*
Et viduæ. Natura, mares muliebria passos,
Conqueritur.

Sub Decijs, sub Neronibus &c. cædi satius fuit, quàm sic sub Turcâ viuere. *Melius, melius interfectis gladio.*

Hic dextra, non lingua, opus est. Hac Rhetore caussa *Idem ad Regem Pannonia.*
Non eget, ast equitum turmis, & milite forti.
Nec, sperare licet pacem. nec fœdera, in armis
Vna salus. Lex est violentia; iudice ferro
Lis agitur, pietas illic incognita, membris
Cōsona mens crudis, animo cruda omnia versat.

Incipe (Paule prior, incipe Pontifex maxime coge pecus, & dispersos greges ac Reges) *& exemplo veniant in fædera Reges)* *Idem ad Pont. Max.*
Sancta tuo;
Dißidia extirpare doce. Maxime vero Pontificem Max. Paulum V.

Patris est, liberorum concordiæ studere propulsare discordias. Cuius est, vt Patris, Christianorum sopire discordias;

Sic seniorem filium, in fratrem prodigum, acrius indignantem demulcere contendit pater. *Luc. 15.*

Ex me-

Ex mæſtitijs parentum de filijs, grauiſſima eſſe debet diſſenſio liberorum.

2. Reg. Thecuitis illa quàm pulcrâ hoc parabolâ demonſtrat!

Ammonius lib. 1. de geſtis Franc. c. 18. Chrotildis, Auguſta, & Rebecca quàm egregiè quoque! Auguſta enim audiens inter duos filios ſuos Auguſtos ſimultatem, cucurrit ad D. Martini ſepulcrum Pariſijs, & lacrymis, precibúſque Deum orans, redirent in gratiam, impetrauit.

Geneſ. Rebecca, colluctantibus in vtero ſuo paruulis, orare, precari *in bonum monſtra conuerti*, cæpit.

Exemplo Chriſti: An non Chriſtus ſtudioſiſſimè, ſubortam inter diſcipulos de prælatione contentionem ſedauit?

Chriſtus Mediator Opt. an non *fecit vtraque vnum*?

Et hoc pacificationis officium, quum eſt Sacerdotis omnis Chriſti, tũ eſt vel maximè Pontificibus congruẽs, qui propiùs nobis atque exactiùs referũt perſonas Apoſtolorum, atque adeò Chriſti ipſius.

Pius 2. lib. 1. epiſt. ep. 162. *Veſtrum eſt* (ait Pius 2. ad Nicolaum 5. Pont. Max.) *iam adſurgere, ſcribere Regibus, mittere Legatos, monere, hortari principes atque communitates --- pacem, aut inducias inter ſocios fidei, componant, atque iunctis viribus, aduerſus ſalutiferæ crucis inimicos, arma moueant.*

Leuit. 6. Lege veteri id inſinuatum; *Ignis ſemper ardebit in altari meo, quem nutriet ſacerdos, vt non extin-*

extinguatur, subyciens manè ligna per singulos dies; id est, ad caritatem, ad concordiam, Sacerdotes, præsertim Maximi, suos hortabuntur. Et maiorum.

Sic veteres Rom. Pontifices egêre. Calixtus quidam (apud Æneam Syluium) scribit ad Regem Vngariæ Ladislaum, studio flectendi hominis ad pacem, cum Frederico Imp. *Pius 2. ep. 331. lib. 1.*

Idem dicit, se commisisse Ioanni Cardinali S. Angeli, Apostolicæ Sedis Legato, & Laurentio Rouarellæ S. Theol. Professori Nuncio, & Subdiacono suo, vt pacem adcurarent. *Ibid.*

Calixti ope, anno 1456. effectum, vt Alphonsus Rex Aragonum, cum Petro Fregosio Duce Ianuæ, inducias bellíque ferias componeret; Verba enim Regis ità habent: *Precibus vestris demum factum est, vti Calixtus Pontifex maximè nos * inducias vobiscum ineundas compelleret.* *Ex ep. Alphonsi Regis Arag. ad Petrum Fregosium Ducem Ianua, data Neapoli 10. Augusti 1456.* ** forte deest (ad.)*

Vrbanum illum prætereo, qui pace hic redditâ, Ducẽ Bulionęum cæteróſque Christianismi principes in barbaros armauit.

At Nicolaus 4. Romanorũ Pontifex ord. Franciscani quàm multas etiam discordias inter Christianos Principes autoritate suâ sustulit, eósque sacro fœdere vinxit? *Ex comment. R. P. Sedulii amici nostri ad vitam Diui Francisci. pag. 129.*

Lucius

Lucius 3. nonne concilio Veronæ habito, Christianos Principes hortatus est, vt nostris in Asia, pro fide Christi, laborantibus succurrerent, nulla de suis iniurijs (quæ & grauissimæ fuerant) mentione habita?

Gregorius IIX. nónne vixdum Pontifex creatus, nuncijs ac literis ad Principes Christianos missis, eos viribus omnibus, vna secum, comparato exercitu, terra, maríque, Hierosolymam ab hostibus captam recuperare hortatus est?

R. P. Cornel. Mussus Dominica 2. post Pascha, p. 2. concionis.

Quid? etiam Paulus 3. Pontifex senex, quasi alter Abraham, ad longum iter vocatus, Nicæam scilicet profectus est (*Vicit iter durum pietas*) vt pacem inter duos Monarchas, duos illos ferocissimos leones, Cæsarem & Francum componeret? composuit autem inducias; quod in Cornelio Musso nuper legentes, multum sumus demirati; & sperauimus te (ô Paule Quinte Pontifex Max.) vti tu hæres nominis es & dignitatis, ita, & fore eiusdem studij ac fælicitatis.

Vide Platinam.

Etiam Clemens Tertius quam fuit rerum Ecclesiasticarum componendarum studiosus! quam belli huius sacri curiosus? plærosque enim Principes Christianos huc excitauit, vt arma aduersus Turcam iungerent, ex quibus præcipui fuêre Fredericus Imp. Philippus Franciæ Richardus Angliæ Reges, & Otto Dux Burgundiæ.

Pij 2. id est Æneæ Syluij conatus ipsa eius monimenta abundè restantur. In quibus recentior Clementis IIX. memoria.

Tu quoque (ô magne nuper defuncti Clementis IIX. animæ) vim nominis tui in Belgium nostrum clementer explicare studuisti, & quorum nomen sedémque dignissimè occupasti, eorum pietatem in nos egregiè es imitatus, Gallo nobis reconciliato; speróque etiàm nùnc, vti quondàm Clemens ille primus, Christianos ad latomias damnatos sitíque arentes, reperto fonte, recreauit; sic, te ex alto Belgium hoc nostrum, iàm tot annos velut ad metalla belli plusquàm ciuilis damnatum, & iàm semimortuum, miserantem, aliquo vel pacis (quod malum) vel induciarum (quod non auerser) illud refrigerio, refocillaturum; aut, vt id præstet Paulus V. hæres iàm sedis tuæ meritissimus, diurnis nocturnísque visis agitaturum.

Eià, Pater Sanctissime, eia age, & quam tu operam, non ità pridem in terris positus, dedisti, componendis Philippi Secundi Hispaniarum, & Henrici IIII. Galliæ Regum, bellis nouissimis, constituto honorario vtriusque arbitro Reuerendissimo P. Generali Franciscanorum Bonauentura à Calatagirone; & quod studium nuperrimè, in bellicæ litis, de Ferrariæ Ducatu; pullulantis semine suffocando impendisti, illud

cælo iàm fruens Belgio nostro iàm tot annos turbatissimo, Belgio (inquam) isti, quod vnum vti turbatum Turcicas res adtollere, ità pacatum easdem potest perdere, sedando, pacando, vniendo impende. Fiat, fiat.

Iob 9. Leonis XI. manes beatissimos etiàm aduoco ad hanc caussam, de cuius vnîus rugitu sperabam fore, vt omnes feræ, & importuna Bellonæ animalia, latebras quæque suas, repeterent, pacémque orbi Christiano, abitu suo, reducerent; Quod te breuis vita facere vetuit viuum, mortuus orationibus apud Deum nobis præstes, vti Paulus V. efficiat.

Tu ergò ô Paule V. Paulinâ & caritate & autoritate nobiscum age; illâ, cum infirmis infirmare; ista, præcipe altam pacem, aut gladio, quem Pauli instar geris *abscinde* ab Ecclesiæ corpore, *qui nos conturbant*; & clauibus tibi à Christo porrectis, tàm hactenus patulas illas Iani belliqúe portas, vel tandem Christianis claude, Turcis aperi.

Alius à te *non est, qui vtrumque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus.*

Lis ista est, quales sunt patrum in filios, maritorum in vxores, quas procurare aut tractare, nulli, nisi auis, nisi soceris, nisi socribus, satis tutum.

Tu Regum Catholici Christianissimique &c. tu Ducum; tu Belgarum & obedientiũ, & re-

& rebellium Principi iusto, velut auus es ac parens magnus, tu velut socer; neutra pars (opinor) te defugiet sequestrum.

Te id posse vnum solúmque, vel certè cum paucis, opinor, vt qui multa perfeceris desperanda.

Omnia conciliare
Facile ei, qui perfecit alijs desperanda.

Non sunt Principes ipsi, non ipsi Belgæ hactenus rationales tui canes, Ecclesiæque custodes fidissimi, canibus brutis efferatiores, vt pastore iubente, à latratibus, morsibúsque mutuis cessare noluit. Vel Cerberum latratu trifauci molestum, Sibylla, vna offâ medicata, demulsit.

Non sunt ventis colluctantibus marique turbato intractabiliores nostri, vt Neptuno tali imperante, & tridente pacem imperante, ac serenitatem, non adquiescant.

Si *mare, & venti obediunt Christo*, obedient & homines, ac Belgæ maximè, gens scilicet humanissima, tibi Christi Vicario.

Vox Antigones ad Oedipem Patrem, de Polynicis & Etheoclis bello, apud Senecam in Thebaide.

----- tu impij belli minas
Auertere vnus, túque vecordes potes
Inhibere iuuenes, ciuibus pacem dare,
Patriæ quietem, fœderi læso fidem.
------ te publica exorent mala,
Auctórque placidæ liberis pacis veni.
I, redde amorem fratribus, pacem omnibus,
*Et impia arma, * Patris obpositu, impedi.*

Ibid act. 2.
** al. Matris.*

Dd 2 Tu sta

Ibid. act. 3. * al. matrem. * al. matre. * al. me. * al. anus. * al. tenebo.

Tu sta inter arma, petere qui fratrem volet,
*Petat ante * Patrem: tela, qui fuerit pius,*
*Rogante ponat * patre: qui non est pius,*
*Incipiat à * te: feruidos iuuenes * anus*
** Tenebis, nullum teste te fiet nefas.*

Patrissandum hîc tibi, ô beatissimè Pater; & Patrem paratum à patrando, id est sanciendo fœdere, ità dictum, exibendum.

Pomponius Lætus lib. de Sacerdotijs Rom. c. de Facialibus.

Tu *Pappas* Belgio, & pater esto.

Et quis scit, an non, vti olim Octauiano Augusto Cęsari seruatum est illud pacis vniuersalis sæculum, & Iani portarum obductio; sic etiàm Paulum Quintum Ecclesiæ Romanæ velut Cæsarem, Pacis huius Belgicæ, imò Christianismi totius, compositio expectarit, præsertim coniecturis tot, tótque prophetijs Turcæ aduersa nunc minantibus, & tot causis ad Pacem Christianos omnes vrgentibus? Tot aliæ paces à Sede Apostolica iàm ante perfectæ, spem huius quoque mihi magnam faciunt.

Virgil. 4. Æneid.

Quam tu vrbem, Pater, hanc cernes, quæ surgere regna
Coniugio tali disiunctissimorum animorũ!
Punica se quantis adtollet gloria rebus!

Omnes de Saba venient, Aurũ, & thus deferentes.
Reges Tharsis, & insulæ munera offerent &c.

Gloriam Sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt Christiani omnes, si dederis *pacem his qui longè, pacem his qui propè*, imò, si

tantum

tantum *direxeris pedes nostros in viam pacis*, beneuolentiam vniuersorum consequêre. Vt non possis, voluisse satis erit, vt in reliquis magnis *vt desint vires, tamen est laudanda voluntas.*

Si fiet; Ad gloriam, videbis ex omni regno legatos adfluentes, gratias de communi salute acturos. Ad beneuolentiæ signum, senties Orbem totum, à te, tanquam ab optimo Patre pendêre.

Alij vota facient, vt Deus cæteris conatibus tuis faueat; Alij auxij erunt, ne quid tibi humanitus accidat; Alij mirabuntur, & laudibus maximis efferent *lapidem*, quem non ità pridem *reprobauerunt praué ædificantes*, congratulantes *factum esse in caput auguli*, factum esse instar coaguli, quod lacti mistum adunat, & connectit, te laudabunt scissæ, & lacere Christi tunicę mirandum resartorem.

Si non fiet, quod non ominor, non poterit tamen orbis totus fideliter conato non esse gratissimus.

Si qui obstabunt Politicorum *argue obsecra, increpa*, inculca verendum illis esse, ne Ethnici illos præcedant in regno Dei, qui in alienos ea præstare studuêre, quæ illi, ac in suos quidem, seu subditos, seu filios, seu fratres, seu socios nolunt.

Grego. Presbyter in vita Nazianzeni.

Cratem Thebanum ingredi solitum in ædes, quæ discordijs laborarent, & conten-

tiones verbis pacem ſuadentibus diremiſſe, Sanctitas tua commemorabit, & verendum, ne *Deum pacis, Principem pacis, conſiliarium pacis*, vindicem experiantur, qui pacis non ſunt procuratores, ſed turbatores, ſed diſſuaſores, ſed obices.

Plutarchus tom. 2. moralium. Repetes animo Beatiſsime Pater, quod te omninò non latet, ab Ephoris, ſcilicet Lacedæmoniorum Magiſtratu, patrem multatum, quòd duos filios paſſus eſſet litigare;

1. Reg. Et Heli Sacerdotem quoque ſummum interîſſe, domúmque eius Sacerdotio exutam, quòd filios plebi moleſtos eſſe pateretur.

Politicis valere iuſsis, illos ſcio, audies, qui Belgij totam cauſam pedibus beatiſſ. tuæ Sanctitatis appendunt, & commendāt;

Quod, ſtupens, & exanguis, tremens,

Quod ſtare fratres hinc, & hinc video duos tamdiu

Sceleris ſub ictu, ſubpliciter, & corpore toto proſtratus, procul ex meo Muſæolo, cum propius non liceat, Beatiſsimam tuam Sanctitatem, rogo, obſecróque.

FINIS.

423

CENSVRA.

Hunc Oratorem Terræ-Sanctæ, seu Decadem hanc primã Sacrarum Philippicarum V. P F. PHILIPPI BOSKHIERII Franciscani perlegi, probaui, & dignam quæ prelo traderetur, censui Leodij 18. Iulij, Anno 1605.

F. ANDREAS STRENGNART
Episcopus Tagastensis Sanctißimæ suæ Celsitudinis Leodiensis in Pontificalibus Vicarius.

APPROBATIO.

Hic orator Terræ-sanctæ & Hungariæ seu sacrarum Philippicarum notæ R. P. PHILIPPI BOSKHIERII, vtiliter, pluribus communicandæ, in lucem emittentur. Actum Duaci 24. Septembris 1605.

GEORGIVS COLVENERIVS
Sacræ Theologiæ Licent. & Profeßor, librorum in Academia Duacena Visitator.

Ex Typographia LAVRENTII KELLAM Typogr. Iur.

Sumptibus PETRI BORREMANS Bibliopolæ,

1605.